INSTITUTIONES
JURIS ECCLESIASTICI
MAXIME PRIVATI
ORDINE DECRETALIUM.

AUCTORE

JAC. ANT. ZALLINGER

AD TURRIM

SS. THEOLOGIAE AC JURIS UTRIUSQUE

DOCTORE

ET IN LYCEO CATHOLICO AUGUSTANO
AD S. SALVATOREM SS. CANONUM
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

LIBER I. DECRETALIUM.

ROMAE MDCCCXXIII.

TYPIS ANTONII BOULZALER

Si vis Patronum quærere,
Si vis potentem Vindicem,
Quid jam moraris? invoca
Apostolorum Principem.

Ex Responsorio SS. D. N. Pii P. VI. in honorem B. Petri Apostolorum Principis.

BEATISSIMO

PETRO

GLORIOSISSIMO

APOSTOLORUM PRINCIPI

FIDELISSIMO CAELI CLAVIGERO

DOMINICI GREGIS PASTORI VIGILANTISSIMO,
OPTIMO FIDELIUM PATRI,
DOCTORI SAPIENTISSIMO,
ECCLESIAE MILITANTIS GUBERNATORI POTENTISSIMO,
FIDEI CAPITI,
RELIGIONIS FUNDAMENTO,

DOMINI NOSTRI,

AC SERVATORIS JESU CHRISTI VICARIO PERPETUO.

Ecclesiastici Juris Institutiones, pro usu explicandorum Canonum conscriptas a me, coram Apostolica Sede Tua, in qua nunc etiam vivis ac præsides, et quærentibus fidei veritatem præstas, meque una supplex prosterno, Beatissime Petre! Neminem enim, vel cælestium civium, qui salutaris doctrinæ, ac gubernationis Tuæ ope Tecum triumphant in cælis, vel eorum, qui hic militant in terris, propius ea res, veriusque attingit. Quemadmodum vero de instituto divinitus pastorali officio, quo nunquam non fungeris, perpetuaque regendæ Ecclesiæ cura, et amplissima potestate, tanquam incomparabili cæli dono, infinitas divinæ Majestati gratias habeo; ita de sempiterna salute mea anxius, tanquam ovis a Summo Pastore, auxilium flagito, ac temporum perturbatione conterritus ab immota Petra firmitatem et robur posco. Fac igitur singularibus apud Deum meritis, precibusque Tuis, ut assimiler viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra Petram; et descendit pluvia, et venerunt flumina; flaverunt venti, et irruerunt in domum illam; et non cecidit; fundata enim erat supra Petram.

SERIES TITULORUM

PROLEGOMENA

TITULI LIBRI I. DECRETALIUM.

TITULI LIBRI I. DECRETALIUM.

PROLEGOMENA

DE JURE NATURALI, ET ECCLESIASTICO PUBLICO CONJUNGENDO CUM INSTITUTIONIBUS JURIS DECRETALIUM.

CAPUT I.

DE SEGREGATIONE DISCIPLINARUM

ARGUMENTUM.

I. Cur in exponendo Ecclesiastisco jure ordo teneatur Decretalium, ac titulorum. §. 1 *II. Ab institutionibus juris Ecclesiastici an et quatenus segregandæ sint aliæ disciplinæ, ejusdem veluti affines.* §. 2. *III. Præsertim disciplina juris naturalis.* §. 4.

De instituto hujus scriptionis non uno ex capite rationem a me reddendam esse eruditis Lectoribus, video; quod cum adgredior sine cunctatione ulla, eam mihi ab æquitate eorundem veniam concessum iri confido, ut, quid sentiam ipse de recta canonicarum institutionum via atque ordine, aperte edisseram, cum præsertim, ex quo a percipiendis gravioribus disciplinis discessi, omnem prope in iis publice tradendis ætatem triverim, atque in hac ipsa sacrorum canonum palæstra difficillimis temporibus tertium jam lustrum proxime exegerim, in id unice perpetuoque intentus, ut cupida sacrarum legum juventus quam optimis doctrinis viaque et ratione aptissima im-

bueretur. Equidem neminem contemno doctorem, scriptoremve in hoc genere, qui quidem divinæ Religionis instituta, ejusque velut spiritum, et sacrosanctæ Ecclesiæ auctoritatem, sacrosque canones habere se cordi et præ oculis ostendit, idque agit docendo, scribendove, ut ædificet non ut non ut profanet, ut æterni tribunal Judicis, non judicia hominum timeat perversorum, ut denique summo Deo, ejusque Ecclesiæ servire, non autem ecclesiasticæ potestatis hostibus præstare obsequium elaboret. Hoc animo si canonum interpretes sint, eos maximi a me fieri, atque ab iis multa me didicisse profiteor; sed hanc veniam petimusque, damusque vicissim, ut aliena non vituperantes, nostra sequamur, teneamusque. De præsenti igitur instituto meo, siquis interroget;

I. Cur ordo teneatur Decretalium, ac titulorum, uti extant in corpore juris sacri; quod aliter fit a plerisque hodie scriptoribus.

§. 1. Respondeo, I. quia in scholis aliqua canonum collectio tanquam interpretationis et institutionis materies, et in judiciis tanquam decisionum norma proposita esse debet. Atqui Gregorius P. IX. a quo auctoritatem habet collectio, quæ extat in corpore juris, sic ait: *Volentes igitur, ut hac tantum compilatione universi utantur in judiciis, et in scholis, districtius prohibemus, ne quis præsumat aliam facere absque auctoritate Sedis Apostolicæ speciali* (a).

II. Quia eadem exhibetur reverentia juri Justinianeo, etsi in subsidium tantum jurispatrii sit adoptatum, ut tum Institutiones, tum Pandectæ eo prælegantur ordine, quo in corpore ejusdem extant.

III. Quia hac forma atque hoc ordine jus canonicum dudum receptum fuit, vigetque etiam nunc in Germania, in summis adeo tribunalibus imperii (*b*).

IV. Quia, si hoc ordine exponitur jus sacrum, multo maxima ejus pars refertur ad jura status Ecclesiastici *privata*, quæ præ ceteris nosse debent, qui ad sacros ordines et pastoralem curam adspirant. Ea jura a recentissimis apud nos scriptoribus leviter attingi hodie solent; cum per omnes fere tractationes suas de juribus magistratuum politicorum et controversiis publicis declament, eaque re ad destruendum omne jus sacrum multo plus, quam ædificandum, conservandumve operæ conferant.

V. Quia ex scriptoribus hodie natis apud nos alius alium, atque alium tenet ordinem in gravissimis pertractandis rebus; id quod mihi visum est, privatorum arbitrio minime relinqui debere; cum eam ob causam sciri haud possit, quæ sit propria cujusque argumenti veluti sedes: quo loco idem in antiquis Decretalium commentationibus sit investigandum: quid denique commodi ex recentibus libris præ antiquis, comparatione facta, studiosi ejus juris exspectare queant.

(a) In præfatione, seu epistola data a. 1230.
(b) Ordinat. Judicii imperialis aulici. Tit. VII. §. 24.

II. A jure Decretalium, inquiunt, differunt doctrinæ Ethices: differt disciplina naturalis juris, et Ecclesiastici publici: differt theologia moralis, ac multo etiam magis dogmatica; juste igitur segregantur istiusmodi institutiones.

§. 2. Respondebo primo generatim. Varietas institutionum, et multitudo Doctorum eodem

tempore opplentium aures teneras vehementer officit progressibus discentium, haud secus, ac vaga lectio; id experientia docet, ipsaque ratio. Qui enim his disciplinis præsunt, definiunt omnes, dividunt, asserunt, confirmant, disputant, idem scilicet, aut propemodum idem: at non iisdem verbis, non iisdem sententiis, non eadem methodo, non eodem systematis ordine; quæ res multo plus impedimenti affert discentibus, quam commodi: quia rem et veritatem ipsam a verborum cortice ægre extricare valent; cumque meditandi labore assuefacti haud sint, et ideas a vocibus distinguere haud didicerint, novis vocabulis novas subesse notiones, veritatesque sibi persuadent, quibus memoriam onerant multo magis, quam intellectum exornant.

§. 3. Non equidem inficior, discrepare ratione quadam disciplinas inter se, quæ supra enumeratæ sunt; nam eadem virtus, idemque virtutis actus aliter atque aliter considerari potest: nunc quidem honesti, pulchri et decori specie, qua ad Ethicam pertinet: nunc justi et justitiæ forma, qua naturali, civili, sacro Juri subjacet: alias utilitatis ratione publicæ, privatæque, qua ad Politicam reducitur publicam, privatamve: referri idem potest ad forum internum et externum, ad suam cujusque perfectionem, ad socialitatem, ad religionem. Similiter disserendum est, contraria tamen ratione, de delictis, et vitiis. At si de singulis hisce actuum, virtutum, vitiorumque rationibus et formis aliæ atqualiæ velati artes, et eodem prope tempore perdiscendæ constituantur, evitari haud poterit, quæ commemorata, notionum cogitationumque confusio. Accedit, quod accessionibus illis recentium disciplinarum, quæ nostra ætate

factæ sunt in publicis scholis, temporis quid quam vel laboris dari, impendique haud possit, quin tantundem de institutionibus gravioribus, magisque necessariis detrahatur, de Theologia nempe dogmatica et morali, et de jurisprudentia ecclesiastica. Quam ob rem vehementer mirari soleo, augeri non paucis locis varietatem, copiamque artium perdiscendarum, et studiorum tamen tempora atque curricula contrahi; quæ res non potest non utrique reipublicæ et sacræ et profanæ ingentia afferre detrimenta.

III. De disciplina naturalis juris non dubitant, quin ab institutionibus juris civilis et ecclesiastici segreganda sit.

§. 4. Antequam respondeam, in eo figenda est mentis acies, ut, quid nomine naturalis juris veniat, comprehendatur, nempe systema veritatum, præceptorumque, quæ vi rationis innotescunt, sive quæ ex ipsa rerum, maximeque hominis natura profluunt. Quid ergo? nostrane demum ætate, aut patrum nostrorum memoria rationis vis donata est humano generi, legumque naturalium lux nunc demum post tot mundi ætates a Prometheo quodam deducta in terras fuit? Ita scilicet nova est et recens adinventa disciplina naturalis juris, quemadmodum *astronomiæ physicæ* scientia a Newtono, præeunte Keplero, invecta est, quam re et nomine ignorarunt veteres? Nihil igitur veteres Philosophi, Poetæ, Oratores, nihil Jurisconsulti, canonum Doctores, Theologi, Ecclesiæ Patres, nihil ipsi Auctores divinitus inspirati, Prophetæ et Apostoli, quid homini, cum homo sit, aut in societate familiæ vel civitatis degat, adcommodate ad naturam faciendum, fugiendumve sit, aut viderunt ipsi, aut prolocuti sunt, aut

monumentis suis ad posterorum memoriam commendarunt? Quis ita expers est rationis, ut de rationis jure usque adeo ineptiat? Nempe disciplina naturalis juris, quanta quanta est, collectitia est, seu antiquarum veritatum, præceptorumque nova complexio, novusque rerum antea cognitarum ordo. Quæ per varias disciplinas vagabantur, veterumque scriptis cujusvis generis erant dispersa, ea ex cumulo veritatum præceptorumque naturalium, positivorum, divinorum et humanorum, sacrorum et civilium, excerpta, ordine quodam distributa, novæque disciplinæ nomine insignita fuerunt. Inventis addere cum facile sit, adjecti postea sunt novi ornatus, novi etiam errores non pauci, nec leves, tanto pejores etiam, quo majorem rationis, commodique inde proventuri speciem præ se ferebant. Quodsi Gratianus principio operis sui non sine causa affirmavit, jus naturale esse illud, quod in lege et Evangelio continetur; sequitur profecto, ut, cum anteactis temporibus viri extiterint maximo numero, divini juris utriusque Testamenti peritissimi, et sacrorum Codicum copiosissimi interpretes, iidem naturalis juris ignari haud fuerint; ut adeo, siquis in eorum commentariis, aut theologiæ moralis scriptoribus diligenter versatus sit, ac dein ad legendas institutiones hujus novæ disciplinæ accedat, magistrum se in arte aut cognoscat, aut cito evasurum speret, in qua nunquam discipulus fuerat.

IV. Quorsum igitur, inquiunt, ista a me commemorantur, cum ipse institutiones descripserim universis juris naturalis libris quatuor?

§. 5. Respondeo. Habeat sane juventus, legum cupida civilium aut sacrarum, in manibus

suis systema quoddam naturalis jurisprudentiæ, idque diligenter volvat, ac sæpe; audiat etiam Doctorem de primis ejusdem principiis, de partibus, universaque descriptione differentem; id quod magnam partem in Prolegomenis facere adhuc soliti sunt, qui de jure tum profano, tum sacro tractarunt, scripseruntque. Commodum illud erit, *primo*, ut naturam hominis, quem ob varios status, nexus, ac fines *animal multiplex* appellarunt veteres, distincte cognoscere discat; *secundo*, ut universam jurisprudentiam ejusque varias tractationes apto ac simplici ordine positas habeat ante oculos, eoque referre, velut ad proprias sedes, singularia institutionum et doctrinarum argumenta possit; *tertio* ut rationes legum morales, quæ fere in natura hominis, tanquam radice, hærent, perscrutari assuescat; nam *scire leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem* (c). *Quarto* ut perniciosos errores, qui obtentu naturalis juris sparguntur in orbem, contraria rationis vi, argumentisque ex natura haustis et detegere et confutare conetur. Sed id quidem ipso decursu institutionum canonicarum velut pro re nata fieri et potest et debet. Sane et Justinianus *jus privatum* tripartitum esse, id est, tribus velut ex fontibus in rempublicam defluxisse docet, nempe natura, gentium institutis, et inventis cujusque civitatis (*d*); nec tamen ob eam causam segregare institutiones civilis juris a naturali gentiumque necessarium duxit.

(c) L. 17. D. Legibus.
(*d*) §. 4. J. de Justitia et jure. Ibi. Collectum est enim ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus.

§. 6. Exposui rationes, ob quas non modicam utilitatem percepturi videbantur studiosi juris sacri, si institutiones juris naturæ universi

haberent in manibus, quas ipsi diligenter persequerentur, et, monente Doctore canonum, in subsidium canonicæ doctrinæ adhiberent. At vero errant opinione quidem mea, qui in ea, quam tantis hodie laudibus in cælum ferunt, juris naturalis disciplina novum veritatum velut thesaurum, hominibus scilicet ante ignotum, se inventuros sibi persuadent; errant ii quoque, qui ad contemptum veterum Theologorum ac Jurisconsultorum jus illud naturale prædicant; non enim illi cognitione naturalium legum, sed eo, quo nunc junguntur, ordine ac systemate caruerunt; id modo commoda sua habet; quia mutato belli genere ratio quoque defensionis commutanda fuit. Denique dubium non est, quin omnium gravissime errent, qui, neglecta institutione christiana præceptisque Ecclesiæ, solis humanæ rationis dictatis vitam suam moresque conformare animum inducunt. De his dicendum: *Lux venit in mundum; et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem* (e).

(e) Joann. III. 19.

CAPUT II.

DE PRIMIS ET GENERALIBUS NOTIONIBUS JURIS NATURÆ.

ARGUMENTUM.

I. Investigatio juris nat. ejusque partium. §. 7. *II. Discrimen internum actionum, et existentia juris nat.* §. 10. *III. Diversitas naturalium jurium et obligationum.* §. 22. *IV. Principium generale et propritates juris nat.* §. 28. *V. Actio humana — imputabilitas — in conscientia.* §. 31. *VI. Actuum valor, aut nullitas* §. 34.

§. 7. Solent fere scriptores utriusque juris, quemadmodum supra animadverti, de naturali ju-

risprudentia, ejusque primis notiouibus et principiis ante disserere, quam ad tractandum ipsum jus sacrum aut civile adgrediantur; idque, si nulla sit ejusdem institutio singularis, tanto magis necessarium est hoc ævo, quo plura de illo nunc scribuntur, dicuntur, jactitantur. In ipso autem limine naturalis jurisprudentiæ duo vulgo peccantur, *primo* naturæ hominis, ex qua deducendum est naturæ jus, descriptio fit falsa, certe manca; et imperfecta (*a*). *Secundo* totum id, quod homo in observandis naturæ legibus spectare debet; referunt ad caducam hanc vitam, ejusque commoda vel incommoda; putant enim, eo acutius se de naturali jure philosophari, quo magis illud a Religione, indique pendente futuro statu removent, ac sejungunt.

(*a*) Pufendorfius P. III. C. VI. §.9, reprehendit Hobbesium, quod universo mortalium generi impegerit malitiam, hominemque generatim plenum suspicionibus, invidia, ambitione, cupiditate finxerit. At idem Pufendorfius a principio socialitatis orditur jus; quasi illud non æque directo ad colendum summum Deum, suamque uniuscujusque felicitatem procurandam pertineret. Alii hominem suae utilitati unice intentum faciunt.

§. 8. Nihil igitur principio, institutionum cujusvis juris, majoris momenti est, quam ut natura hominis vere, perfecteque seu ex toto consideretur, expliceturque;

. I. Secundum corpus et mortalem hanc vitam, dein animum, ejusque vim et proprietates, res quoque externas quas homo sibi velut adhærentes habet.

II. Ab ipsa jam natura adstringitur aliis hominibus, sed nemini propius, quam ipse sibi; omnium arctissime pendet a Deo, conditore, gubernatore, fine suo ultimo, rerumque omnium.

III. Uti homo in hoc mundo esse non potest, quin sit loco quodam; ita neque sine *statu* est, naturali, vel adventitio; ex quo *persona* dicitur in jure, id est, certis obligationibus, et facultatibus moralibus affectus; nam persona res est juris, substantia res naturæ.

IV. In natura hominis, in naturali ejusdem cum aliis nexu, in statibus insunt fines; in finibus constituendus est ordo: distinguendi gradus: expendenda proportio et accommodatio mediorum quemadmodum C. I. Juris naturæ privati enucleate exposui.

§. 9. His veluti partibus naturæ humanæ, quas Philosophi notas partiales appellant, respondet diversitas bonorum animi, corporis, fortunæ; diversitas jurium et obligationum relate ad corpus, animum, res externas; diversitas officiorum erga Deum, se ipsum, alios tum in statu absoluto, tum hypothetico: diversitas causarum, quas impulsivas dicunt, seu motivorum, ob quæ homo agit; diversitas etiam injuriarum, delictorum, calamitatum, et pœnarum, quas homo in corpore, animo, in externis rebus, aut statu suo patitur; sed omnium maxime eisdem naturæ partibus respondet divisio naturalis jurisprudentiæ in partes quatuor: præmissis enim generalibus notionibus et principiis tractatur I. *jus naturæ privatum*, exponendo officia hominis, cum homo sit, erga Deum, se ipsum, alios homines, jura item in res externas hominum gratia conditas, et jura contractuum: II. *jus naturæ sociale*.

quando homo vivit in quadam societate tum generatim, tum in societate conjugali, parentali, herili: III *jus naturæ publicum*, seu jus naturale civitatis, in qua homo degit: IV *jus naturale gentium*, seu civitatum inter se, tanquam personarum moralium in statu naturali libertatis et æqualitatis viventium.

§. 10. Ex natura hominis plene exposita deducitur discrimen internum actionum moralium, quarum aliæ præceptæ, aliæ vetitæ, aliæ nec vetitæ, nec præceptæ, seu velut in se indifferentes sunt: in his tamen aliæ aliis meliores, et perfectiores, veluti naturæ suasiones et consilia, censentur. Vocatur id discrimen actionum *internum*; quia ab ipsa natura constitutum est, et rationis vi ex ea deducitur, non autem ex hominum pactis, non vanis præjudiciis, non legibus imperantium, non privato utilitatis studio, non denique ex arbitrariis, sed, in hypothesi conditarum rerum, ex necessariis Dei legibus pendet. Id discrimen pertinet ad singulas partium quatuor, in quas universum naturæ jus distribuimus (a).

(a) Exempla sint 1. de jure naturæ privato: Pacisci vel non pacisci cum alio, per se adiaphorum est; at pacti conventi fidem liberare, et jus suum unicuique tribuere, præceptum; alios lædere, vetitum. 2. De jure sociali: Inire societatem conjugalem cum hac, illave persona, per se indifferens; at tori fidem violare, natura vetitum; eundem servare immaculatum, præceptum; sic liberos susceptos alere, honesteque educare præceptum: abjicere et destituere, vetitum. Servos instar pecudum mactare, natura prohibitum. 3. De jure naturæ publico: Opprimere subditos, justitiam vendere, abstrahere subditos a Dei cultu, imperanti natura vetitum est. 4. De jure gentium: Invadere alienum imperium, advenas dæmoniis immolare, naufragos prohibere hospitio litoris, natura vetitum est; casu fœderis existente alteri genti succurrere, præceptum.

§. 11. Admisso discrimine interno actionum, eo ipso admittitur naturæ jus; quo vocabulo denotantur *obligationes* naturales, per quas præceptum quidquam, aut vetitum intelligitur; tum jura stricte accepta, seu *facultates morales*, a natura concessæ, agendi quidpiam aut omittendi; denique et *consilia* seu suasiones ad majorem cujusquam perfectionem propositæ ab ipsa natura: sed hæc in tractatione disciplinæ comprehenduntur nomine *facultatum moralium*; quod enim suadet natura, eo ipso concedit. Restant igitur hæc facultates morales et obligationes; utræque uno *jurium* vocabulo solent denotari.

§. 12. Existentia naturalis juris hoc significatu accepti demonstratur.

I. Velut a priore ex perfectione *et sanctitate Dei*, ad cujus imaginem creatus est homo, qui solus ex omnibus animantibus de conditore suo, ac præstituto fine eundem colendi, atque imitandi, eoque modo sectandi beatitatem cogitat: *ex sapientia*, *potentia*, *et bonitate*, seu ex providentia Dei, quæ res omnes a se creatas ad suos fines suaviter ac fortiter dirigit, et hominem, quem creavit, necessario per leges ad commodate ad naturam ejus regit: denique ex *justitia Dei*, qua probis beatitatem, improbis supplicia præparare, decernere debuit.

II. Velut a posteriore ex ipso sensu et consensu humani generis, qui naturæ vox est, ut, siquis neget, non argumentis convincendus, sed vexatione ad confessionem adigendus sit. De eo sensu et consensu humani generis testis omni exceptione major est Paulus: *Gentes*, *quæ legem non habent* (mosaicam) *naturaliter ea*, *quæ legis sunt*, *faciunt*: *ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex*; *qui ostendunt opus legis scriptum in cordi-*

bus suis: testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum judicabit Deus occulta hominum (*b*). *Inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alium, te ipsum condemnas. — Qui alium doces, te ipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis, non mœchandum, maecharis* (*c*).

(*b*) Rom. II. 14. (c) Ibid. 1. et 21.

§. 13. Pauci inventi sunt inde a condito humano genere, qui jus naturæ abnegarent aperte; sed non ita pauci, qui id verbis relinquerent, re tollerent. Utcunque sit, minime ferenda est illa thesis, quam proferre in lucem quidam sunt ausi: *Extant naturales leges, sed eædem intelligi atque explicari possunt sine ulla de Deo mentione*, ac proin etiam sine mentione de statu beato vel misero hominis post hanc vitam, qui a Deo judice dirimi ac definiri debet. His respondendum est:

I. Primum et maximum mandatum seu præceptum juris naturalis est de adorando, et amando summo Deo, colendaque Religione; anne etiam hoc præceptum sine ulla de Deo, ac futuro statu mentione explicabunt?

II. Præcipua vis cujusvis obligationis naturalis sita est in immutabili voluntate Dei, et beatitate vel miseria post hanc vitam hominibus præparata. Hæc una est *vera* càusa, reipsa existens de necessitate illa, qua ad observandum naturæ jus adstringimur; quod ostendit sensus ac consensus humani generis, conscientiæ vox et remorsus, de quo §. præc. Dein hæc etiam una est causa *sufficiens*, qua homines in officio contineantur; quia commoda et incommoda præsen-

tis vitæ facile contemni possunt, sæpe etiam debent; quia non raro incidunt tempora, ut ita cogitare vir sapiens possit, debeatque: Necesse non est ditari in hoc mundo: necesse non est, hominibus placere, probarique: necesse non est, tueri incolumitatem corporis, ac ne vivere quidem necesse est; at necesse est, evitare offensam omnipotentis Dei, et jacturam sempiternæ beatitatis, atque ita necesse est, ut nihil magis. Sola igitur Dei voluntas vim et efficacitatem veram, sufficientemque naturali obligationi tribuit; quia sola præferenda est omnibus aliis rationibus et momentis contrariis.

§. 14. Grotius in Prolegomenis de jure belli ac pacis ait: Manet honestum, ac naturæ jus, *etiamsi daretur*, *quod sine summo scelere dari nequit*, *non esse Deum*, *aut non curari ab eo negotia humana*. Similiter Cicero ex doctrina philosophiæ Stoicæ: *Satis*, inquit, *nobis* (*si modo in philosophia aliquid profecimus*) *persuasum esse, debet*, *si omnes Deos hominesque celare possimus*, *nihil tamen avare*, *nihil injuste*, *nihil libidinose*, *nihil incontinenter esse faciendum* (*d*) Ita, inquiunt, commiserari egenos, depositum restituere, fidem pactorum servare, per se honestum est; etsi nihil præmii a Deo sperari posset.

(d) L. III. de officiis. c. 8. et 9.

§. 15. Respondeo: Notum est ex Dialecticis, hypothesin impossibilem: *non esse Deum*, *aut non curari ab eo negotia humana*; sumi posse duplici modo, in sensu reali et objectivo, aut in sensu pure formali, et præcisivo; de priore sensu qui dicitur primæ intentionis, dicendum: Ex impossibili sequitur quodlibet, et una Chy-

mæra generat alteram, perinde, ac si dicerem: Si homo reipsa est lapis, non cogitat et cogitat. Si vera est hypothesis: *Deus non est, ac proinde nihil est post hanc vitam*; ergo mala est virtus, et inimica naturæ, stultumque judicari necesse est, qui eam sequitur; quoniam se ipse lædit; ut ait Lactantius (*e*): imo, uti argumentatur D. Paulus, qui beatitatis futuræ spe præsentia bona repudiavit, *si in hac vita tantum laborantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*; *et si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest? — Manducemus et bibamus; cras enim moriemur* (*f*). Est hæc vox impiorum, qui tanquam veram et realem statuunt hipothesin: *Ex nihilo nati sumus; et post hoc erimus, tanquam non fuerimus.* Quid ergo inferunt? virtus per se honesta est? justitia tamen colenda est? pravæ cupiditates nihilo minus refrænandæ? Haud sane; sed in hunc modum concludunt: *Venite ergo, et fruamur bonis, quæ sunt; —vino pretioso, et unguentis nos impleamus; —coronemus nos rosis; —nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. — Opprimamus pauperem justum, et non parcamus viduæ; — sit autem fortitudo nostra lex justitiæ. -- Circumveniamus justum* (*g*). Ex sensu ergo reali hypothesis impossibilis nihil concluditur.

(*e*) Divin. Institut. l. VII. c. 9.

(*f*) I. Cor. XV. 32.

(*g*) Sap. II.

§. 16. Superest alter sensus præcisivus et abstractivus, quem secundæ intentionis dicunt; id est: Etsi nihil cogitem de Deo, aut futuro statu, tamen virtus honesta est, et per se movet; neque vero, inquiunt, homines de Deo semper

cogitant, aut de præmio futuræ vitæ, quando honeste agunt, turpitudinem vitant, miseris opitulantur. Respondeo: Virtus honesta est; at sine Dei lege nulla eam colendi vera necessitas intelligitur: per se movet; sed per se non satis *obligat* et adstringit hominem, ut ipsam sequatur: movet, sed motum extinguit contraria mentis affectio, si lex supremi Dei virtuti vim non tribuat. Vides periclitantem de vita et cum aquis luctantem, cui manum dare, et succurrere potes; at est inimicus tuus, quem dudum sublatum optaras. Movet honestas; sed obsistit æmulatio, invidia, odium; neminem habes inspectorem, nisi Deum. Quid cogit, odio refragari et emulationi; ac sequi honestatem (*h*)?

(*h*) Carneades Atheniensis contra justitiam et jus naturale disserens Romae, teste Lactantio divin. Inst. l. V. c. 17, et 18. sic ajebat: „ Quid ergo justus faciet, si forte naufragium fecerit, et aliquis imbecillior viribus tabulam ceperit? Nonne „ illum tabula deturbabit, ut ipse conscendat, eaque nixus evadat; maxime cum sit nullus medio mari testis? Si sapiens est, faciet; ipsi enim pereundum est, nisi fecerit. Si autem mori maluerit, quam manus inferre alteri, jam justus ille, sed stultus est, qui vitae suae non parcat, dum parcit alienae. Item, si acie suorum fusa, hostes insequi caeperint, et justus ille nactus fuerit aliquem saucium equo insidentem, eine parcet, ut ipse occidatur, an dejiciet ex equo, ut ipse possit hostem effugere? Quodsi fecerit, sapiens, sed idem malus; si non fecerit, justus, sed idem stultus sit, necesse est. „ Recte addit Lactantius; Sed videlicet, qui sacramentum hominis ignorant, ideoque ad hanc vitam temporalem referunt omnia quanta sit vis justitiae, scire non possunt. Conf. J. N. pr. §. XI. et quae adnotavi ad §. XXII.

§. 17. Mirum est, quanta sophismata excogitarint homines profani, qui se philosophos uninn-

pant, ut metum Numinis, religionemque a naturali jure exterminarent, honestatem, nescio quam, jactantes, qua virum bonum duci oporteat; quasi honestius quidquam, mentique creatæ magis consentaneum afferri posset, quam vereri supremum Deum, atque ob id obsequi divinis legibus. Sed nempe videntur hi cum Epicureis conqueri de nobis, qui aliter philosophamur: *Imposuistis in cervicibus nostris sempiternum Dominum, quem dies et noctes timeremus* (*i*).

(*i*) Cicero l. I. de natura Deorum.

§. 18. Ajunt: Honestas non pendet a lege Dei; quia in natura rationem habet; naturæ autem rerum sunt æternæ, necessariæ et immutabiles. Veteres Scholastici respondent distinguendo: Honestas fundamentalis non pendet a lege Dei; c. honestas formalis n. Id hoc sensu videtur accipiendum: si propositionem sumas *mere theoreticam*; e. g. *Conveniens, et accommodatum est naturæ hominis, alterum non lædere, turpitudinem fugere, calamitosos juvare*, ea est æternæ veritatis, nec pendet a lege Dei; uti nec ista propositio: *Conveniens et accommodatum est naturæ hominis, ut a Deo, qui ipsam de nihilo condidit, per leges regatur, atque ad præstitutos fines ducatur*; quoad veritatem a lege aut voluntate Dei pendet. Sed inde non concluditur: *Ergo homo per leges Dei regitur, atque ad præstitutos fines ducitur sine lege et voluntate Dei.* Posita natura, eo ipso ponuntur leges Dei: ponuntur facultates morales a Deo concessæ.

§. 19. At homo, inquiunt etsi regulas honestatis sequatur, sæpissime non cogitat de lege Dei: ergo actio hominis ob id solum honesta non est,

quia legi Dei conformis est. Resp. Si homo quidpiam agit, quod rationi et conscientiæ repugnat, eo ipso supremi Dei legem se violare, quantum satis est, agnoscit; id testatur conscientiæ vox, et remorsus: igitur si id, quod agit, rationi et conscientiæ non repugnare sentit; satis etiam agnoscit, se agere secundum facultatem a Deo concessam. Si consuetudine peccandi debilitetur conscientiæ vis, et omnis propemodum cogitatio de Deo animo effluat, dicendum cum Tertulliano: *Hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt* (k).

(k) In Apologetico adversus gentes c. 17. Ad ea, quæ hic dicta sunt, pertinet propositio de peccato philosophico, damnata ab Alexandro VIII. die 24 Augusti 1690.

§. 20. Dicunt etiam: Status alterius vitæ ex sola revelatione innotescit, ceu promissio beatitatis supernaturalis, aut minæ suppplicii æterni: ergo pro fundamento obligationum naturalium haberi non potest. Resp. n. a. Homo *vi naturæ* destinatur post caducam hanc vitam ad statum vitæ alterius multo beatioris, si recte vixerit, aut ad supplicia delictis vitæ anteactæ respondentia. Id manifesto colligitur tum ex perfectione summi Dei, tum ex sensu, et consensu universi generis hominum, omnium temporum ac locorum. Si Deus infirmitati humanæ mentis per revelationem succurrit, qua statum alterius vitæ distinctius prænuntiavit, et extra omnem prorsus dubitationem posuit, concludi non potest: Ergo status alterius vitæ, ejusque præmia et supplicia ad naturam hominis ejusque finem naturalem non pertinent; quia revelatio non sustulit naturam, et naturalem hominis finem. Si denique Deus hominem singulari gratia extulit ad statum supernaturalem, et beatitati naturali surrogavit supernaturalem; de

hoc statu, tanquam adventitio, in jure naturæ disserendum est: secus omnis status vitæ alterius excluderetur (quod per naturam et finem ultimum hominis fieri non potest), et natura hominis omnino manca et imperfecta, ac nobilissima parte sua quodammodo mutilata proponeretur (*l*).

(*l*) Ex his intelligitur, quod homo vi naturæ ad Deum, tanquam finem ultimum per actus suos tendere debeat refrenatis pravis cupiditatibus, et illecebris præsentis vitæ. Hinc ab eodem Alexandro P. VIII. juste simul confixa fuit hæc thesis: „*Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative.* Hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.“ In verbis hisce ultimis latet falsitas et pestilentia theseos. In statu hominis elevato actus fidei, spei et caritatis pertinent ad obligationes naturæ hypotheticas. *Vide propositionem* 1. damnatam ab Alexandro VII. prop. 5. 6. 7. 16. 17. 23. damnatas ab Innocentio XI.

§. 21. Addunt denique: Obligatio naturalis multo rectius explicatur per connexionem motivorum cum actionibus liberis: ergo in evolvenda notione obligationis ad ejus *causam*, nempe voluntatem supremi Legislatoris, recurri non debet. Resp. d. a. rectius explicatur per connexionem motivorum, nempe talium, quæ necessitatem servandi legem obligationi propriam vere constituunt, et sufficientia sunt vincendis motivis contrariis, c. a. rectius explicatur per alia motiva a commodis vel incommodis præsentis vitæ petita, n. a. et c. Sciendum, scriptores hodiernos jurisprudentiæ naturalis obligationem constituere in connexione motivorum cum actionibus liberis; per *motiva* autem intelligere com-

secutiones bonas aut malas, per se, et vi naturæ connexas cum actionibus: e. g. quod temperantia ad sanitatem conducat, opes conservet et augeat: quod obedientia, quam liberi debent parentibus sit necessaria ad ipsorum educationem, ut suo tempore ipsi sibi de subsidiis vitæ possint prospicere: quod observationem naturalium legum comitetur tranquillitas animi, violationem sequatur perturbatio, et morsus conscientiæ. Dico: id, quod de conscientiæ tranquillitate aut perturbatione disserunt, manifeste referendum est ad Deum remuneratorem boni ultorem mali (§. 12); alia autem motiva, quæ memorant, faciunt ea quidem ad commendationem virtutis, ac sceleris reprehensionem; sed veram ac sufficientem obligationis vim non continent, uti satis perspicuum est consideranti. Denique consensu omnium veterum Doctorum lex proprie talis sine idea legislatoris intelligi non potest. Contemnunt quidem doctores hodie nati antiquos; sed anne ob id etiam confutant, aut melius quidquam proferunt, præsertim in re, de qua omnes semper, diligenterque commentati sunt?

§. 22. Eruto in hunc modum ex natura naturali jure, et confirmata naturalium obligationum vi, diversitas jurium uno velut obtutu spectanda est, denotando voce *jurium*, non modo facultates morales, sed consilia quoque, et obligationes (§.11.). Sunt igitur I. relate ad actiones positivas aut negativas jura *affirmativa*, aut *negativa*. Illa poscunt tempus, locum, opportunitatem, vires, ac ne quid obstet; fere etiam per leges positivas, aut suo cujusque arbitrio determinari debet, quod a natura determinatum non est. Negativa autem dicuntur obligare *semper pro semper*.

§. 23. Spectata origine sunt alia jura *connata*, quæ cum ipsa hominis, rerumque natura ponuntur, alia jura *acquisita*, et obligationes *contractæ* statu adventitio, facto proprio, lege divina vel humana. Ad connata pertinet jus æqualitatis et independentiæ, vi cujus cuilibet permittendum, ut suis in actionibus suum sequatur judicium, neque rationem aliis reddere cogatur, quoad aliorum jura et libertatem non lædit. *Ipse autem neque imperare sibi, neque prohibere se quisquam potest* (*m*), neque reddere sua unius voluntate ad agendum jure inhabilem. Præterea ad jura connata pertinet jus conservandi sui, statusque sui; qua voce intelligitur etiam jus perficiendi; jus item paciscendi, res externas hominum causa conditas occupandi, id est apprehendendi, ad usum aptandi, asservandi, proprias efficiendi: jus securitatis, defensionis, præcautionis, jus necessitatis, in quo jus belli, et indemnitatis inest. Jura acquisita sæpe ad hypothetica referuntur, de quibus mox dicendum.

(*m*) L. 51. D. de receptis.

§. 24. Ex statu absoluto societatis hominum nuncupantur jura *absoluta*, ex statu societatis hypothetico jura *hypothetica*; ceu in statu familiæ, civitatis, Religionis supernaturalis revelatæ, et Ecclesiæ a Deo institutæ. Eodem referunt jura, quæ non competunt, nisi ex hypothesi certorum adjunctorum, aut facti alieni vel proprii.

§. 25. Considerata efficacitate exequendi, alia sunt jura *perfecta*, alia *imperfecta*; quæ divisio permagni momenti est. Perfecta extorqueri possunt adhibita vi aut actione, pro conservando et vindicando eo, quod cujusque τo *suum* efficit; suntque

realia, vel jura in re, ceu in dominio, hereditate, servitute, pignore; aut *personalia*, sive jura ad rem, nempe in iis, quæ nobis debentur promisso, contractu. Jura imperfecta, etsi naturali obligationi caritatis subjaceant, tamen vi extorqueri non possunt; qualia sunt jura et officia humanitatis tum *vulgaris*, seu innoxiæ utilitatis affirmativa et negativa, tum *eminentis*, seu noxiæ utilitatis, id est, beneficentiæ et officiositatis. Ex hoc jurium discrimine facile explicantur ea, quæ a Veteribus de justitia commutativa disputáta sunt fuse: indidem petenda est distincta notio injuriæ ac damni.

§. 26. Relate ad forum conscientiæ, seu Dei, aut solam impunitatem coram hominibus, aliud est jus *internum*, aliud *externum*, sive ut S. Augustinus ait, *jus poli*, *et jus fori* (*n*).

(*n*) Can. ult. XVII. q. 4.

§. 27. Denique alia sunt jura, quæ abdicari, cum aliis communicari, aut transmitti possunt: alia non item, quæ dicuntur personalissima.

§. 28. Exposita jurium diversitate, in generale inquiritur principium, quod notiones contineat directrices pro juribus naturæ specialibus definiendis. Stirps omnis juris, inquit Tullius, natura est, quod de naturæ jure in dubium vocari non potest, modo ea plene perfecteque accipiatur, et multiplici maxime ratione, qua ad summum Deum, conditorem rerum, et gubernatorem, finemque ultimum, hominibus vi naturæ præstitutum, refertur. Auctores quidem in constituendo hoc principio magnopere inter se videntur dissentire. Causas dissensionis retuli principio Cap. IV. Instit. J. N. Turbulenta

est, et plane terrifica Hobbesii Hypothesis de naturali jure se conservandi modis quibuscunque, indeque proveniente jure omnium in omnia, et in omnes, ac de naturali, qui consequitur, statu belli omnium in omnes. Hanc hypothesin, in qua jus naturæ nullum est, verbis repudiant omnes; re et concludendi forma retinent scriptores non pauci, quando de jure majestatico naturali, præsertim adversus personas, res et causas divinæ Religionis agunt. Utile cum honesto confundunt; qui est error gravissimus, dudum a Tullio profligatus in officiorum libris. Sed hi, quod privatis licere negant, imperanti dant obtentu publicæ utilitatis, quam suo ipsi arbitrio, odioque in divinam Religionem metiuntur, ac sæpe necessitatem vocant, omnes necessitatis gradus plane miscentes. Non est hoc profecto, abdicata libertatis parte, in civitate quærere securitatem, pacemque, sed jus et bellum principis in omnes, et in omnia invehere; quo ipso civitates intereant, necesse est. In numero principiorum naturalis juris, celebris pariter est socialitas Pufendorfiana, speciosa illa quidem, sed non æque plena perfectaque; cum neque summam naturalium officiorum, neque justum ordinem contineat.

§. 29. Ex principio naturalis juris, ipsaque notione proprietates ejusdem manant, ut nempe censeatur jus universale et commune omnium hominum, æternum, necessarium, immutabile; quales rerum essentiæ a philosophis dicuntur:dein ratione promulgatum, in præcipuis, maximeque necessariis capitibus perspicuum, uniforme, et quodammodo norma positivarum legum, denique factum, id est, perfectissima sanctione munitum, spe scilicet maximæ beatitatis, ac metu summæ miseriæ. Ut immutabilitas naturalis juris recte

perspiciatur; 1. discrimen fieri oportet inter jus affirmativum et negativum; 2. inter ea, quæ a supremo Dei Dominio arbitrioque, aut alia pendent perfectione necessaria: 3. cogitandum, jus naturæ non vage et separatim a variis adjunctis hominem obligare, sed certas actionum, temporumque complexiones respicere, quæ in generali legum præscripto fere intelligi, non exprimi solent (*o*).

(*o*) Exempla occurrunt, cum de naturali obligatione voti, et juramenti promissorii, ejusque irritatione aut dispensatione, aut cum de jure necessitatis in res aut vitam aliorum agitur.

§. 30. Actio humana ad legem, tanquam normam, refertur; ac si extet lex præcipiens aut vetans, actio ei conformis, ex se bona, difformis autem ex se mala dicitur; si nulla extet istiusmodi lex, in genere indifferens. Sic in disciplinis de actione humana tanquam earum *objecto*, disserimus, actionemque ex objecto bonam aut malam dicimus, quando neque speciales operantium fines aut causas impulsivas, neque singulares circumstantias attingimus, quæ infinitæ sunt, et singulæ casum mutant. Moralitas tamen perfecta actionum tum ex objecto sive actione in se spectata, tum ex animo seu intentione agentis, denique et adjunctis seu circumstantiis pendet; ac pro regula est tritum illud: Bonum ex integra causa: malum ex quocunque defectu; ut jam spectato animo seu intentione agentis et adjunctis nulla concipi possit actio *in specie*, sive, ut Theologi loquuntur, *in individuo* indifferens.

§. 31. Ad generales notiones pertinet *imputabilitas* actionum. Primo fit *imputatio facti*, qua quis declaratur auctor, seu causa actionis;

dein juris, qua consectaria actionis alicui assignantur, laus, culpa, pœna, solutio, præstatio damni. Imputatur quidpiam, quatenus cognitum fuit, et voluntarium liberumque. Cognitioni obest error, et ignorantia, quæ est juris aut facti, antecedens aut subsequens, vincibilis aut invincibilis. Voluntarium non uno modo dicitur: est enim purum, et mixtum, expressum, tacitum seu interpretativum, negative voluntarium, directe, aut indirecte seu in causa. Voluntario obest coactio, non item metus, de quo frequens in jure fit mentio: unde recte distinguitur in hoc genere, ut alius dicatur antecedens, vel comitans, alius gravis seu probabilis, vel levis, extrinsecus vel intrinsecus, juste vel injuste incussus.

§.32. Fere contingit, ut actus ab uno gestus, seu datus executioni, imputari possit, debeatque pluribus, ceu mandanti, opem vel receptum danti: quo spectat imputatio actuum alienorum, qui tamen ratione quadam proprii fiunt ejus, cui imputantur. Egi de his C. VII. Inst. J. N. In imputatione autem tum quæ ni fit, tum quæ pluribus, insunt *gradus*; et ipsa actionum moralitas quantitatem habet, cui imputatio juris conformanda est; unde in jure non modo dolus, sed multiplex *culpa* consideratur, lata; levis, levissima. De specifica et numerica actionum, virtutum ac peccatorum differentia in theologia morum tractatur.

§. 33. Prima et accuratissima facti imputatio fit in foro conscientiæ, ac Dei, quam imputatio etiam juris consequitur: unde, ut Paulus ait, illæ cogitationum accusationes ac defensiones existunt, quæ conscientiam consequentem efficiunt. De antecedente legem naturæ pro-

mulgavit idem Paulus: *Omne*, *quod non est ex fide*, *peccatum est* (p). Ac, qui ex fide non agit, ædificare ad gehennam dicitur in jure nostro. Jure igitur naturæ præceptum est, ut actionem præcedat firmum judicium ac persuasio de honestate actionis, sive ut Theologi loquuntur, dictamen moraliter certum. Quomodo id formetur pro casu, quo certa honestatis et licentiæ actionum veritas explorata non est, theologi disputant. Pro foro externo in rebus incertis et dubiis, de quibus sententia ferenda est, variæ extant regulæ, pro ipsa rerum incertarum varietate locis variis dispersæ; ceu titulo de regulis juris, de præsumtionibus, aliisque; quæ generales non sunt, eo ipso, quod ex definitione juris fiat regula, non jus ipsum ex regula definiatur (q). Sed cum proposita re incerta, dubiave de capiendo consilio, ferendaque sententia agitur, peccari in utramque partem solet, uti fit fere in rebus aliis; cum virtus in medio consistat. Alii levi ac temeraria rationis specie feruntur, quo volunt; alii nunquam invenire possunt, ubi consistant, et ab inquisitionibus atque dubitationibus conquiescant. In jure nostro tres assignantur gradus; nam aut *pro certo* constat de re: aut habetur *credulitas levis*, *et temeraria*, aut credulitas *probabilis et discreta.* Conscientia antecedens *perplexa* dicitur, si, utrumvis quis eligat, peccare se putat (r).

(p) *Rom.* 14. 23.

(q) Leg. 1. D. de R. J. ibi: Non ex regula jus sumatur: sed ex jure, quod est, regula fiat. In hunc modum ex dispositione juris suppetunt regulæ de dubio facti, regulæ de judiciis, ut reo potius faveatur, quam actori: de causa possessionis: de contractibus: ut contra eum, qui legem dicere potuit apertius, interpretatio fiat; regulæ de irregularitate ex homicidio in dubio facti; ut eligatur, quod totius est: de irregularitate ju

dubio juris, ut non censeatur incurri, si expressa non sit in jure. Aliæ regulæ de pœnis et in causa criminali: aliæ in causa favorabili libertatis ac dotis: aliæ, si agitur de matrimonio contrahendo, aliæ, si de dissolvendo. Qui unam ex his pro arbitrio arripiunt, et generalem faciunt, videant, obsecro, quam longe recedant a mente legum, quarum verba identidem in ore habent. Leges scire non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem, l. 17. D. de LL.

(r) C. inquisitionis. 44. de sent. excom. de credulitate levi, et conscientia scrupulosa. Confer c. 18. de Simonia; ac l. 8. D. de conditionibus institut. l. 21. c. de fide instrument. De perplexa c. 13. de censibus. can. 7. XXII. q. 3. et can. 1. et 2. dist. 13.

§. 34. Est denique alia humanorum actuum affectio, qua iidem validi censentur, aut nulli, uti nempe effectum suum, ceu jus quoddam aut obligationem reipsa producunt, aut non producunt. De hoc genere valde crebra et anceps incidit disputatio, quæ fere ad generales juris naturæ regulas devolvitur (s). Generatim actus sine sua forma nullus est; et in his, quæ ab hominum pendent dispositione, voluntas spectatur, jus seu facultas moralis agendi, denique materia apta, quæ in actum cadat.

(s) Sæpe dubitatur de valore actuum non modo ordinis, sed etiam jurisdictionis pro foro utroque: de iis quoque, quæ, errore, quæ vi metusve causa gesta sunt: de vario promissionum et contractuum genere, ceu de pactis simoniacis, meretriciis; de professione religiosa, aliis votis aut juramentis promissoriis; de electionibus, renuntiationibus, rescriptis, censuris, absolutionibus, dispensationibus; aliisque dispositionibus publicis et privatis, inter vivos et mortis causa. In dubio leges judicari jubent, ut actus potius valeat, quam pereat, l. 12. D. de rebus dubiis; quam reginam omnium interpretationum nonnulli appellant. De valore actuum, de quibus tam frequens incurrit disceptatio, non segniter tractavi C.X. Jur. Nat. priv.

CAPUT III.

DE NATURALIBUS ERGA DEUM OFFICIIS, HOMINIS ITEM ERGA HOMINEM, AC NATURALI JURE IN RES EXTERNAS, SEU DE JURE DOMINIORUM, ET CONTRACTUUM.

ARGUMENTUM.

I. Quae in Jure Nat. exponuntur de officiis hominis, locum suum in Jure habent Ecclesiastico. §. 35. *II. Quod ostenditur de officiis erga Deum.* §. 36. *III. Erga proximum.* §. 39. *IV. De officiis circa res externas.* §. 49.

§. 35. Enumeratis superiore capite primis notionibus, principiisque naturalis juris, quæ variis disciplinæ canonicæ vagantur locis, difficile non est ostendere, quam in ea proprium locum ac veluti sedem habeant, quæ in jurisprudentia naturali de officiis erga Deum, ac de officiis hominis in hominem, et de jure in res externas, id est, dominiorum et contractuum jure tractantur; ob quam causam utriusque disciplinæ institutiones, naturalis scilicet, et ecclesiastici, haud ægre conjungi possint, temporisque et studiorum compendio debeant.

§. 36. Naturalia erga Deum officia exponuntur in hunc modum, ut primo rationis ope ac theologiæ naturalis evolvantur ideæ creatoris, gubernatoris, ac finis ultimi seu beatitatis, quæ nulla est extra cognitionem et amorem Dei in statu etiam naturali. Dein explicatis hisce ideis et notionibus connexis, a theoreticis veritatibus ipsa rationis vi atque impulsu mentis descenditur ad practica officia tum intellectus, tum voluntatis, interna et externa, affirmativa

et negativa, quæ generatim ponuntur ob oculos, confirmata etiam naturali obligatione cultus externi. Postmodum ex proposita complexione istiusmodi officiorum per sese colligitur distincta notio religionis, cujus officia affirmativa, etsi vi naturæ parum determinata sint, tamen non possunt ad res et personas divino cultui et ministerio speciatim dicatas aut consecratas non extendi; quod ipso jure aut consuetudine gentium palam fit.

§. 37. In jure sacro cognitio perfectionum summi Dei magnopere perfecta atque aucta ponitur divina revelatione, statuque adventitio finis supernaturalis, quo per gratiam sanctificantem efficimur divinæ consortes naturæ, et accipimus spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba, Pater (*a*). Unde fit, ut omne genus naturalium officiorum erga Deum non modo illustretur, mireque perficiatur, sed eminente quadam ratione contineatur in disciplina juris sacri, Religionis vero notio perfectior, tanquam fundamentum universi juris Ecclesiastici, mox L.I. Tit.I. *De summa Trinitate et fide catholica* proponatur, quemadmodum in Isagoge C.II. exposui. Specialia dein Religionis exercitia tum intellectus in tuenda fide, tum voluntatis actuumque externorum, quæ in virtutibus theologicis, in Sacrificio, Sacramentis, piis ritibus et cæremoniis, in divinis officiis sita sunt, itemque ea, quæ ad personas, ac res divino cultui dicatas pertinent, suos habent singula titulos, sedesque proprias, ut naturali divino jure minime egeamus.

(*a*) Rom. VIII. 15. Qui ad cultum externum Deo exhibendum a natura hominem adstringi negant, ipsum naturæ jus fœde depravant, mutilantque. Quid? si

homines impii idem asserant verbis, re ostendant in adventio Religionis statu tot externis mysteriis, ac cæremoniis exornato? Ajunt, Religionis sedem intus in animo esse. Hoc si de se intelligant, nemini prudenti facient fidem; monuit enim nos divinus Magister: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ac, docente Apostolo Domini, quivis probus sic ad illos inquiet: Ostende mihi fidem tuam sine operibus (quod nunquam poteris tu), et ostendam tibi fidem meam ex operibus. Fac. II. 18. Sed isti homines fere impietatem suam novo cumulant delicto, ut sanctissimos quosque ritus, religionisque actus superstitionis accusent, et in numero pravorum usuum ponant.

§. 38. Quemadmodum ex hypotesi status adventitii civilis varia dimanant naturæ jura; sic fit idem in adventito Religionis statu: ut proin sacrilegia, simoniæ, hæreses ac schismata, aliaque istius generis delicta, de quibus libro Decretalium quinto agitur, non minus repugnent naturali juri, ac crimina perduellionis, seditionis, lesæ majestatis in statu civili; et sicut, propositis indiciis divinæ revelationis, naturalis gravissimaque existit obligatio veræ fidei religionisque diligentissime inquirendæ, et seligendæ, et profitendæ: ita nulla est, aut concipi potest in hoc statu autonomia; de quare re apte disseritur ad titulum de hæreticis, quando justitia pœnarum, quæ contra eosdem constitutæ sunt, contra improborum criminationes tuenda est.

§. 39. Ab officiis religionis ad exponenda hominis erga hominem officia valde expedita progressio fit; quia mens humana, quæ metu ac reverentia Numinis cohibere didicit perturbationes, et refrenare cupiditates, atque id actionibus suis spectare, quid cælesti omnium Parenti gratum sit maxime, et qua eum ratione imitari possit; cito cognoscet rationis vi, quid homo homini debeat, neque in hoc genere of-

ficiorum facile claudicabit. Certe Doctor gentium cum Philippenses suos, Religione imbutos jam, ad omnem naturæ honestatem formare vellet, minime illos ad Philosophorum institutiones amandavit, neque longum docendi laborem sibi sumsit, sed monere satis habuit in hunc modum: *De cetero, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, siqua virtus, siqua laus disciplinæ, hæc cogitate* (*b*).

(*b*) Phil. IV. 8. Hæc commemorâvi ob eam causam, quod in ea constanter opinione sum, doctores quosdam, qui, prætermissa veræ fidei defensione, religionisque institutione, temporum pravitati, morumque labi doctrinis suis ethicis et philosohicis mederi se posse opinantur, laborem suscipere inanem, seseque, ni fallor, ipsis dæmonibus ridendos præbere. Acute Lactantius L. V. c. 15. Instit. de Philosophis justitiæ patronis scripsit: ,, Erat facillimum, justitiam radices non habentem labefactare; quia tum nulla in terris fuit, ut, quid esset, ,, aut qualis, a Philosophis cerneretur. ,, Confer dicta in Isagoge c. II. in fin.

§. 40. Fundamentum igitur, et radix officiorum hominis erga hominem in Religione, id est, amore ac timore summæ Divinitatis situm est, ad cujus imaginem et similitudinem conditus est homo. Ex hac radice primum veluti germen provenit naturalis cujusque in se, aliosque amor, sed qui ratione regi debet, neque cum prava illa levitate confundi, qua peccatis indulgetur, cæcisque vitæ erroribus; et levitati et pertinaciæ humanæ licentia datur et impunitas.

§. 41. Naturalis hic amor, si ratione regitur, commune est principium practicum officiorum cujusque erga se ipsum, et alios; quia communem habet radicem, neque naturam ad Dei

imaginem conditam. Segregantur vulgo ea officia; sed conjugenda in Institutionibus censui, quæ male distracta videbantur; cum præsertim divinus Magister docuerit nos, ut ex nobis disceremus ipsi, quid præstare aliis debeamus, et ex aliis, quos reprehendimus, a quibus abstinendum sit nobis. (*c*)

(*c*) Conf. Inst. Jur. Nat. priv. C. XII. §. LXXVIII.

§. 42. Deprehenso communi principio practico, veluti fonte officiorum, derivatur *primo* diversitas eorundem: alia enim ad animum, maximeque ad curam sempiternæ solutis; alia ad corpus, et conservationem præsentis vitæ, alia ad existimationem et famam, alia denique ad mutuam communicationem, et significationem mentis in humana societate referuntur. De iis, quæ ad res externas spectant, separatim videbatur agendum postea.

§. 43. In hoc officiorum numero ordo constituendus est; quia alia aliis nobiliora sunt, et graviora; denique de singulis veluti mensura capienda est, ac videndum, quatenus rationis præscripto pertingant, ut nempe aut veræ obligationi ac necessitati subjacere, aut instar consilii esse, vel concessa quoquo modo intelligantur. Ob quam causam cit. C. XII. observavi, in officiis erga hominem inesse numerum, pondus et mensuram.

§. 44. Enucleate, exacteque pro conscientiæ foro hæc officia exponuntur in theologia morum. Jus sacrum effectus maxime externos, et delicta iisdem officiis opposita, cum ad forum Ecclesiæ de personis potissimum ecclesiasticis deducuntur, expendit. Ac.

I. De perfectione animi, cultuque mentis multa requirit ab iis, qui in clerum adoptandi,

vel ad sacra officia promovendi sunt; uti patet, cum agitur de irregularitatibus; de vita et honestatę clericorum; ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant (*d*).

(*d*) Mens humana tum exercitio virtutum, tum veritatis, cognitione, et doctrinis atque artibus excolitur. Ex adventitio autem hominis statu definiendum est, quibus maxime veritatibus cognoscendis, et perdiscendis disciplinis opera addicenda sit. Solent agricolæ ea in solo fertili semina spargere, ex quibus ad rem domesticam et æconomicam fructus maxime conducibiles proventuros sperant. Culturæ animi nihil tam obest, quam ingluvies, ebriositas, et impudicitiæ genus omne; quæ non eo tantum ex capite repugnant naturali juri, quia vitam, viresque corporis pessumdant; verum quia naturæ celsitati ac dignitati humanæ mentis ad Dei imaginem conditæ gravissime adversantur. Sane in verberibus alapisque viro honesto inflictis, præter brevem pulsationis dolorem aliud contumeliæ injuriæque genus inest, quod considerari a judice maxime debet; sic idem de ingluvie, ebrietate, et luxuria cogitandum.

§. 45. Extra ordinem officia hominis erga hominem aliquando definiuntur ex incidente necessitate, quæ spiritualis dicitur aut corporalis, uti aut sempiterna hominis salus, aut præsens vita, integritas membrorum, fortunæ periclitantur. Utraque gradus habet; ut censeatur necessitas extrema, gravis, aut communis: unde duplex oritur quæstio, prima *facti*, quæ et quanta, penes quem, et quam præsens atque urgens sit necessitas; altera *juris*, quid, posita ea necessitate, obligationis aut facultatis competat vel iis, qui laboranti succurrere valent, vel qui ipsi laborant necessitate. Ut ea jura definiantur, opus est, ut tria examinentur, facultas succurrendi, modus, et necessitatis gradus. Quamvis autem hic favor

sit extremæ necessitatis, ut res etiam aliena contrectari valeat; communio tamen bonorum per eam non reducitur, quemadmodum in commentariis Decretalium titulo de furtis aut raptoribus exponi solet.

§. 46. Aliud est necessitatis genus, quo conservatio vitæ nostræ, incolumitatis, libertatis, pudicitiæ, fortunarum cum conservatione vitæ aliorum aliquando colliditur, idque vel tristi casu et citra hominum culpam, vel ex injusta aliorum aggressione; ex qua justitia cruentæ defensionis pendet, pro iis nempe conservandis bonis; quod non idem ad defensionem existimationis et famæ porrigendum est. Appositum hæc exponendi locum præbent tituli de homicidio, et de pugnantibus in duello.

§. 47. Jus hominum in res externas ipsorum gratia conditas derivari potest a primo fonte, seu primævo statu, qui est communio rerum negativa. Hæc autem per occupationem tolli potuit non invita natura, et jure sublata est. Inde manat notio Dominii; cujus consectaria sunt jus percipiendi omnia emolumenta ex re sua: jus possessionis: et jus alienandi. Modus acquirendi Dominium alius est primitivus, alius derivativus: uterque principalis vel accessorius. A modo acquirendi differt titulus, seu ratio, ex qua intelligitur justitia acquisitionis. Vim acquirendi Dominium a natura habet occupatio et accessio saltem naturalis, qui sunt modi primitivi: dein tanquam modi derivativi divisio rerum positive communium, cessio quoad res incorporales, et traditio corporalium fundata maxime in contractibus. At vim a natura non habet præscriptio, nec quævis successio ex testa-

mento vel ab intestato (*e*). Reliquiæ communionis primævæ extant in rebus inexhausti usus, in iis, quæ occupari non possunt, aut occupatæ non sunt, vel iterum abjectæ, non tamen in rebus deperditis, nec jacentibus. Fundamentum Dominii, quod interimisticum vocant, petendum est ex justa hominum, ignorantia, et bona fide. Possessioni enim malæ fidei ipsum repugnat jus naturæ, quemadmodum aliis delictis, quibus aliorum circa res externas jura læduntur. Jus quidem extremæ necessitatis in res aliorum dominio subjectas censeri potest tanquam jus ex primæva Communione residuum, idque certis temporibus perfectum est: at jus innoxiæ utilitatis in rebus alienis est imperfectum (*f*).

(*e*) Hæ doctrinæ juris naturalis pertinent ad titulos de causa possessionis et proprietatis, de præscriptionibus, de variis contractibus, de acquisitione ex testamento vel ab intestato. Quidam interpretes eas etiam attingunt ad titulum de clerico venatore.

(*f*) De delictis juri dominii et possessionis oppositis agitur ad titulum de restitutione spoliatorum, de furtis, de raptoribus et incendiariis, de usuris, de damno dato. De naturali obligatione restituendi res alienas aut resarciendi damnum datum, de qua egi toto Capite XVI. Institut. Jur. Nat. Priv. singularis titulus in jure non extat: notiones tamen generales exponuntur titulo de solutionibus et de damno dato, itemque cum agitur de contractibus, et acquisitione hereditaria.

CAPUT IV.

DE JURE NATURÆ SOCIALI GENERATIM, AC DE SOCIETATIBUS MINORIBUS, PRÆCIPUE CONJUGUM, PARENTUM, DOMINORUM, ET FAMILIÆ.

ARGUMENTUM.

I. In Jure Eccles. de variis agitur societatum generibus §. 48. II. Hinc ex Jure Nat. usum habet distincta societatis notio, multiplex divisio, resultans personarum status, et modus per suffragia definiendi negotia. §. 49. III. In Jure Nat. et Ecclesiastico agitur de minoribus societatibus. §. 53.

§. 48. Ipsa Christi Ecclesia societas est divinitus instituta, eaque catholica, seu universalis, in qua unio et connexio membrorum perfectissima, non modo externa per imperium sacrum, sed interna quoque pro foro Dei quoad communionem bonorum, operumque spiritualium obtinet. In hac societate per orbem diffusa aliæ insunt minores societates, ceu inter Episcopos unius nationis, provinciæ, clerum unius diœcesos. Collegia canonicorum ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, seminaria clericorum, Universitates studiorum, piæ confraternitates, ordines regulares utriusque sexus, jure sociali, tum naturali, tum positivo reguntur. Accedit, quod in jurisprudentia ecclesiastica multi extent canones, ad societatem conjugum, parentum ac liberorum, dominorum ac servorum pertinentes, et frequens hoc maxime ævo mentio fiat de societate civili, de qua proximo capite erit agendum. E contrario sacri Canones gravissime resistunt illicitis conventiculis hæreticorum, schismaticorum et occultis coi-

tionibus liberorum murariorum, conspirationibus et conjurationibus clericorum adversus Prælatos, synodis reprobis, quas aliquando *prædatorias* appellant, et *latrocinia*, non modo ob acta earundem, sed ob ipsum agendi modum, et personarum, quæ eo convenerant, conditionem. Ex his satis jam intelligitur, quomodo generalia principia juris socialis naturalis jus ecclesiasticum quasi pervadant, ac proin hæc pars jurisprudentiæ naturalis cum institutionibus ecclesiasticis conjungi possit, debeatque, præsertim postquam variæ loquendi formulæ notionesque connexæ ex jure naturæ sociali ad jus sacrum transferri cœptæ sunt.

§. 49. Quando societas dicitur conjunctio plurium ad obtinendum communem finem permanentem, vox, *conjunctio*, tum actum denotat, quo plures consociantur, tum vinculum inde resultans et statum perdurantem. Pro distincta autem cujusvis societatis cognitione expendi debent

I. Personæ, ex quibus ea componitur:

II. Origo et modus consociationis, utrum pacto vel ex lege proveniat:

III. Finis, societati et sociis propositus:

VI. Rationes ac viæ assequendi propositum finem; seu *negotia socialia*.

V. Forma societatis; æqualis sit, an inæqualis; si inæqualis et cum imperio, utrum hoc penes omnes sit, plures, an unum; dein utrum imperium sit plenum, vel minus plenum; absolutum, an limitatum; quo casu *limites pactitii* spectandi sunt.

VI. A forma et imperio societatis differt ejus *politia* seu interna constitutio et ordo actionum et agentium, quo determinatur, quid, quo modo agat quisque socius, aut non agat.

VII. Salus societatis sita est in progressu non impedito per actiones sociales obtinendi propositum finem; atque id, quod per istiusmodi actiones tanquam finis obtinetur, *bonum commune* societatis nuncupatur.

§. 50. Ex his multiplex societatum denominatio petitur. Nam ex fine proposito societas dicitur *sacra*, *profana*, *literaria* etc. Ex personis et origine alia est societas *absoluta*, in qua omnes homines in terra degentes ipsa natura constituit: alia *hypothetica* ex lege aut pacto proveniens: illa *legalis*, hæc *pactitia* nuncupatur: iterum alia *particularis* uti pactitia, alia *universalis* ceu ecclesia Catholica. A forma nuncupatur *æqualis*, quæ si particularis est, appellatur *Collegium*; cujus Directorium non tollit æqualitatem: alia *inæqualis*. In omni hoc genere personæ societatem componentes efficiunt unam personam moralem, estque societas *simplex* aut *composita*, uti personæ eam componentes aut singulares ac physicæ sunt, aut morales; ex quibus componuntur *corpora*, seu *universitates*.

§. 51. Status naturalis hominum per adventitium societatis statum magis magisque determinatur, novaque affert jura, aut novas arctioresque jurium rationes (*a*). Qui societatem init, ad explenda jura, quæ intrinsecus eidem inhærescunt, aut legitime connexa cum ea sunt, obligationem suscepisse censetur: cum ipse status nihil sit, nisi jurium, id est, facultatum et obligationum complexio. Fieri etiam potest, ut status statum pervadat et unus homo statuum ratione multiplex persona fit (§. 8. n. III.)

(*a*) Diversæ quæstiones sunt, quid homo homini debeat: quid conjux conjugi: parentes liberis. Si hominem occidere, nefas; multo magis parentem, aut prolem.

§. 52. Sociorum conventus, qui fiunt ob negotia societatis, sunt *veri*, aut *repræsentativi*; *stati* vel *extraordinarii*. Vota autem, seu suffragia, per quæ negotia definiuntur, varii itidem generis sunt, ac primo *virilia*; vel *curiata*; dein *unanimia*, aut *diversa*, eaque *paria*, vel *imparia*, *minora* vel *majora absolute* vel *respective*; præterea nominantur vota *saniora*, *decisiva*, *consultiva*. Modus terminandi negotia per parem suffragiorum numerum, dicitur *calculus Minervæ*, in specie quando par est numerus judicum absolventium et condemnantium; tunc enim sententia *absolutoria* prævalet (*b*). Si ergo per suffragia decidendum est, in quæstionibus *an*, absque majoritate suffragiorum frequenter obtinet calculus minervæ; ut res priore statu relinquatur: nam in pari causa melior est conditio prohibentis (*c*). In quæstionibus *quomodo*, necessaria regulariter est eorum pluralitas. In certis tamen negotiis nec ista sufficit. Exempla dari possunt tum ex sacris canonibus, tum ex constitutionibus imperii Germanici, tum ex natura talis negotii, in quod cadit regula juris: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari* (*d*).

(*b*) Origo ex fabulis est. Orestes Clytemnestram matrem furiosus occidit. In judicium vocatus, cui Minerva, id est, æquitas præsidebat, cum majores essent lapilli atri, seu condemnatorii, et Minerva addendo album suffragia æquasset, Orestes evasit.

(*c*) L. 24. D. Communi dividendo.

(*d*) C. 29. de R. I. in 6. Exempla juris canonici vide c. 40. de Electione, quando postulatio cum ea concurrit. c. 43. §. 1. eod. in 6. de electione Abbatissæ vel Priorissæ. De Imperio germanico extat exemplum in Inst. P. O. Art. V. §.52.

§. 53. A generalibus *societatum* notionibus jurisprudentia naturalis progreditur ad minores societates, naturæ maxime conformes, nempe conjugum inter se, dein parentum et liberorum; his commodi causa et velut jure quodam, aut consuetudine gentium adjuncta fuit societas Dominorum ac servorum. Ex triplici hoc genere existit societas perfecta familiæ.

§. 54. Naturalia jura societatis conjugalis per leges divinas revelatione cognitas, ecclesiasticas item, et civiles magnopere confirmata, illustrata, atque ad majorem honestatem, perfectionemque adducta sunt; agiturque de matrimonio recte ineundo, ejusque legitimo usu toto libro IV. Decretalium; cui ex libro III. adjungendi sunt tituli, tertius *de clericis conjugatis*, secundus et tricesimus *de conversione conjugatorum*; et quadragesimus septimus *de purificatione post partum*. Ex libro V. titulus sextus decimus *de adulteriis et stupro.*

§. 55. De parentibus et liberis multa naturæ præcepta extant in sacro Codice utriusque Testamenti, multa per canonum collectiones dispersa sunt. Ex Decretalibus singillatim eo referendi sunt tituli de *baptismo et cognatione spirituali*: de *testamentis et successionibus ab intestato*; *qui sint filii legitimi*; *de infantibus et languidis expositis*: *de his*, *qui filios occiderunt.* Declaratur item, patriam potestatem ad beneficiales, aliasque causas spirituales non extendi.

§. 56. Cum natura omnes liberi nascantur, de servitute et Dominorum jure in jurisprudentia naturali disseri non potest, nisi ex hypothesi adventitii status servilis ac herilis, pro qua legitimi modi, quibus oritur servitus, et quibus

cessat, examinari solent. Habuit antiquis temporibus Ecclesia quoque servos, iisque manumissis jus patronatus in ipsos, ipsorumque liberos retinuit. Ex decretalibus huc pertinent tituli *de servis non ordinandis, et eorum manumissione*; *de conjugio servorum*; *de natis ex libera ventre*. Quibus locis disserendi de societate servorum ac Dominorum, quantum necesse est, copia et facultas suppeditat. Extincta inter Christianos servitute, res tota usum vix habet, nisi forte in infidelibus bello captis. Nam homines proprios, etsi duræ conditionis sint in nonnullis regnis, multoque etiam minus domesticos famulos et ancillas jure antiquo servorum metiri non possumus.

§. 57. Ex societate conjugali enascitur parentalis: utriusque commodo adhibetur societas herilis aut nostris temporibus famulatus, qui locatione conductione nititur. Ex triplici hoc genere componitur *status familiæ* perfectæ. Interest accurate expendere naturalem gravissimamque obligationem patrum - matrumque familias, qua invigilare domesticorum saluti non modo temporali, sed spirituali quoque tenentur, omnemque suam interponere auctoritatem, ut, amotis pravis exemplis et peccandi occasionibus, domus universa Religionem sancte colat, et Ecclesiæ leges observet; quin ob eam causam patres - aut matresfamilias de ipsis Eccelesiæ legibus jus habeant judicandi, disponendique. Eo respexit haud dubie D. Paulus, quando in hanc sententiam scripsit: *Siquis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (e). Si isthuc patrum - matrumquefamilias officium appellare velis *jus circa sacra*, non refragabor, modo servata

ratione quadam similiter de jure Imperantis circa sacra cogitare ac disserere velis.

(e) I. Timoth. V. 8. Ceterum familiæ ac domus nomine aliquando designatur series personarum a communi quodam stipite descendentium, certaque jura participantium; quod explicari solet, cum agitur de successione in principatibus, in feudis, in fidei commissis, ab intestato, ac de consanguinitate, ejusque gradibus.

CAPUT V.

DE JURE NATURÆ PUBLICO.

ARGUMENTUM.

I. Hujus Juris, quod instar novæ disciplinæ jactitatur, perutilis hoc ævo est cognitio. §. 58. *II. Hinc expendi potest origo civitatum.* §. 60. – *Majestas, et forma imperii ac status civilis, et respondens subjectio.* §. 61. *Jura majestatica in specie.* §. 64.

§. 58. *Jus Naturæ Pubblicum*, vel *majestaticum naturale* dicitur, quod, posito civili statu, inter imperantem ac subditos obtinet, et rationis vi cognoscitur. De qua parte jurisprudentiæ naturalis scriptores hodierni mox in limine præfantur, et asseverant, eam *scentiæ* rationem mathematicarum facultatum more, id est, demonstrationes veritatum, æque perspicuas ac firmas continere. Sed fidem nempe facient iis, qui μαθηματων tam imperiti, quam ipsimet, sunt. Rationis quidem lux non hoc primum ævo illuxit humano generi, et quid ea pro adventitio civili statu præscriberet, ita exploratum omnibus videbatur, ut admonitione quidem, aut pœnali sanctione, nulla autem singulari disciplina opus esset, qua sapere cogerentur juvenes et senes, profani et sacri, docti atque indocti. Pro con-

cessis, probatisque sumebantur ea, quæ de imperantium, ac subditorum juribus ratione innotescunt; neque aliud juris publici nomine denotabant Majores nostri, quam historicam regnorum et provinciarum cognitionem de legibus maxime fundamentalibus, ut vocant, seu pactis conventis inter Principem et subditos, ac de pacificationibus, et fœderibus, cum Principe vicino quodam, aut natione extera initis; quæ omnia, uti scitu necessaria, ita bona fide, ac sine fraude observanda credebantur.

§. 59. Posteaquam autem notiones, doctrinæque generales de juribus imperantium ac subjectorum uno jam loco congestæ, atque in artem et disciplinam singularem redactæ sunt, earum studiosa informatio his maxime de causis suadenda est, *primo* ut naturalia præcepta in hoc genere discentium oculis animisque exhibeantur distincto facilique ordine, id quod memoriæ levandæ, et doctrinarum tenendæ consequentiæ per quam conducibile est. *Secundo* ut perspectis intimis hujus disciplinæ principiis errores novatorum, errorumque causæ certius deprehendi et fidentius impugnari, rejicique possint. Quæ maxime causa ad pertractandum jus naturæ publicum me impulerat.

§. 60. Primum est in jurisprudentia naturali publica ut origo civitatum investigetur, earumque *notio* ponatur ob oculos. *Origo* inquiunt, alia est *historica*, alia *philosophica*, id est, ni fallor, alia vera, alia commentitia Societas conjugum, parentum item et liberorum tanquam seminarium humani conservandi generis haud dubie a natura constituta est, quin opus sit, ut ea, aucto jam hominum numero, et incitato nuptiarum æstu, singulis præcepta censeatur. A

familiari societate ad anarchicam homines transiisse fingunt, qua patresfamilias communis utilitatis aut securitatis causa pacto quodam consociantur; demum ventum est ad societatem civilem communi imperio copulatam; quæ, cum perquam composita sit, distincte cognoscitur pervestigata ejus materia, forma, causa effectrice et fine, quem in securitate maxime situm volunt. Atque hæc jam societas in suo genere perfectissima est, pactitia, inæqualis et rectoria, perpetua, et comparate ad alias civitates una persona moralis, gaudens juribus connatis internis et externis.

§. 61. Societatis civilis, tanquam corporis politici, velut anima censetur imperium civile, seu complexio jurium ad gubernandam civitatem pertinentium, quæ *Majestas* dicitur. Ea jura sunt *immanentia et transeuntia.* Illa ad jus inspiciendi, ferendi leges, et exequendi referuntur. Persona physica vel moralis, cui imperium inest, ejus subiectum dicitur; a cujus determinatione *forma* status civilis pendet, quæ simplex est, aut mixta. Ratione partium aut jurium Majestatis imperium vocatur *plenum*, aut *minus plenum*: ratione exercitii eorundem jurium censetur *absolutum*, vel *limitatum*. Manente eodem imperio et imperii subjecto, varius esse potest modus id exercendi, in quo *regimen* consistit (*a*). Quævis civitatis forma, uti fit in humanis rebus, sua commoda habet, et incommoda.

(*a*) His notionibus, iisque fixis ac determinatis carere non debet, qui de forma Ecclesiastici status disputare recte velit.

§. 62. Ex modo acquirendi imperium civile civitas *electiva* dicitur, aut *successiva* non una specie; est enim successio *patrimonialis*, aut contra

non patrimonialis, atque hæc ipsa *familiaris* secundum lineam, aut gradum, aut non *familiaris*. Quovis casu de origine Majestatis quærunt, utrumne et quatenus a Deo sit, nempe ut auctore naturæ, et quodammodo intra sphæram naturalium rerum. Sine dubio distingui debet singularis Dei revelatio, qua e. g. in veteri Testamento quosdam Reges constituit, ab occultis Providentiæ viis et multiplici causarum temporumque concursu, qui idem a divina pendet Providentia, quæ in humanis rebus omnia disponit suaviter et fortiter. Hac spectata divinæ Providentiæ operatione *omnis potestas* a Deo est, non modo suprema, sed etiam subalterna : quæ tamen proxime et immediate a Deo profecta non censetur (*b*). Quemadmodum legitimi sunt modi acquirendi imperium civile ; ita quæritur, utrumne sint et qui modi illud amittendi, manente, aut una intereunte civitate.

(*b*) Rom. XIII, Quæ in jure sacro de origine potestatis spiritualis pro foro maxime externo, ac de canonicis eam acquirendi modis exponuntur, aut analogia quadam imperii civilis, aut potius a contraria et discrepante ratione illustrari possunt.

§. 63. *Imperio* civili respondet *subjectio*, quemadmodum omni *potestati et juri* correlativa dicitur *obligatio*. Pro legitimo, validoque usu potestatis vel imperii spectari præterea debet *materia vel causa*, in qua id exercetur, aut exerceri potest; omnis enim humana potestas ex origine sua, et natura ac fine ad certas actionum aut negotiorum causas, tanquam propriam suam materiam adstricta est, et coarctata. Potestas naturalis ad negotia naturalia pertinet, et imperium civile ad negotia civilia: potestas spiritualis et supernaturalis ad causas spirituales et supernaturales.

Hæc *relativa subjectio et personæ et causæ*, quæ imperio respondet, in quavis ejusdem imperii parte e. g in jure inspiciendi, ferendi leges, et exequendi primo ac diligentissime spectari debet, quemadmodum de jurisdictione ac foro competente statuitur, illud habita ratione tum *personæ*, quæ in jus vocatur, tum *causæ* constituendum esse.

§. 64. A generali status, imperii, et subjectionis civilis notione in jurisprudentia naturali descenditur ad particulares articulos, in quibus majestatica jura sese exerunt; ac

I. Securitati publicæ externæ providetur jure armorum, ac belli, jure legationum, fœderum, pacificationum; quæque alia sunt jura majestatica *transeuntia*, quæ fere in disciplina juris naturalis gentium examinantur:

II. Securitati internæ tum publicæ tum privatæ consulitur jure gladii et vi armata, legibus item politiæ, per quam pericula vitæ, fortunarum, honoris, honestatis arcentur et propulsantur a civibus; e contrario opportuna commoda comparandi victum, vestitum, habitationem, exercendi artes, opificia, agriculturam, commercia etc. suppeditantur.

III. Quia sine sumtibus publicoque ærario salus, et tranquillitas civitatis obtineri, et conservari nequit, de jure tributorum, collectarum; vectigalium, fisci, bonorumque publicorum agitur.

IV. Imperans civilis eget consiliariis, ministris et multiplici præfectorum atque administratorum genere: quod expendi solet in hac disciplina una cum jure conferendi honores, titulos dignitates.

V. Nullum est securitatis, ac tranquillitatis conciliandæ, et retinendæ, et recuperandæ præsentius remedium, magisque necessarium, quam administratio justitiæ. Hinc generales notiones, et naturalia principia potestatis judiciariæ, tum civilis tum criminalis, adcurate in hac parte jurisprudentiæ naturalis exponi debent.

VI. Articuli potestatis civilis hactenus enumerati, quæ veluti partes quædam sunt Majestatis, per leges subditis promulgatas maxime explicantur. Unde dubium non est, quin generales notiones, ac regulæ de potestate legislativa, ipsisque legibus in Jure Publico naturali suam veluti propriam sedem habeant, indeque ad alias disciplinas derivari possint, debeantque (c).

(c) Quas jurisprudentia naturalis publica de hisce partibus imperii civilis notiones regulasque complectitur, eæ generales fere sunt, et quodammodo metaphysicæ. Unde perspicuum est, eas ad partes imperii Ecclesiastici explicandas adhiberi omnino debere, proindeque in disciplinam Juris Ecclesiastici quasi influere, et cum ea concurrere, conjungique.

§. 65. Enumeravi amplissimam materiam, in quam, veluti campum longe lateque patentem, excurrant Majestatis jura boni communis, publicique curandi causa. Quid ergo; inquies, cum de Religione verbum fecerim nullum, nihil juris a me Principibus politicis in causa Religionis et Ecclesiæ tribuitur? Non id dico, cum paulo ante patribusfamilias Religionem atque Ecclesiæ leges maxime cordi esse oportere docuerim (§.57). Habeant sane Principes in causis divinis atque ecclesiasticis jus defensionis et protectionis: habeant jus imitationis in constituendis legibus sacris, præeunte Ecclesia: habeant jus gladii adversus impios hæresum, schismatum, sacrilegiorum aucto-

res et sectatores. *Non enim sine causa gladium portat* Imperans civilis *Dei enim Minister est: Vindex in iram ei, qui male agit* (*d*). Atque ego quidem de juribus Principum circa negotia Religionis non segniter egi toto Capite VI. Institutionum Juris Naturæ Publici, tum vero in Jure Ecclesiastico Publico locis pluribus, et in Isagoge Cap. XI. Hoc autem loco ea proposui politicæ potestatis objecta, in quibus illa jure suo, arbitrioque utitur, ut iis vel leviter consideratis fallacia et pravitas eorum scriptorum incurreret in oculos, qui Principem, nisi in causis Religionis atque Ecclesiæ exercere auctoritatem possit, omnemque hierarchiam suæ ditioni habeat subjectam, nihil prope habere fingunt, quod agat in civitate, aut cur præsit. Ita optimum quemque Principem more scelesti Amani loquentem inducunt: *Cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores regias* (*e*).

(d) Rom. XIII. 4.
(e) Esther. V. 13.

CAPUT VI.

DE JURE NATURALI GENTIUM.

ARGUMENTUM.

I. Expenditur notio gentis, et in quam hominum multitudinem cadat. §. 66. *II. Jura specialia gentium enumerantur.* §. 68. *III. Aliter jus gentium definit Justinianus.* §. 69. *IV. Jus gentium consuetudinarium, et civitas gentium maxima.* §. 72.

§. 66. Plures civitates, sive societates quarum singulæ civili, eoque summo gaudent imperio, in-

ter se comparatæ instar totidem personarum moralium sunt, quarum altera ab altera independens, suisque juribus connatis, internis et externis à natura instructa est. Complexio istorum jurium appellatur *jus gentium naturale*, estque pars juris naturæ socialis personarum moralium, in societate absoluta humani generis viventium.

§. 67. Prima est quæstio, an in multitudinem aut societatem hominum notio gentis et civitatis cadat. Ea decisa, jura æqualitatis, libertatis, conservationis, aliaque istiusmodi §§. 23. 24. 25. enumerata, in personis moralibus multo magis perspicua sunt, quam in personis singularibus aut physicis, haud secus, ac vires mutuæ corporum in globis totalibus systematis solaris distinctius cernuntur, quam in minoribus materiæ particulis. Re autem vera jus naturale gentium a jure naturæ privato non tam regulis differt, quam subjecto, atque etiam objecto. Sunt enim negotia quædam gentium propria, non item singulorum.

§. 68. Jura gentium, uti privatorum, in statu libertatis viventium, alia sunt perfecta; alia imperfecta noxiæ vel innoxiæ utilitatis: activa vel passiva; maxime spectantur jura Dominii, proprietatis, et territorii: alia jura ex pactis et fœderibus resultant; eminent jura belli, victoriæ, pactorum bellicorum, ac pacificationum, denique et jura legationum (*a*).

(*a*) De his omnibus frequens in jure sacro fit mentio; certe multiplex ea pertractandi se offert opportunitas, quando agitur de jure perfecto justitiæ, vel imperfecto caritatis: de modo acquirendi dominium per universitatem: de jure territorii, extra quod jus dicenti impune non paretur: de præscriptione, utrumne ex natura vim habeat, an creatura juris civilis sit: de fæderibus cum

gente infideli initis, quando et quatenus justa sint: de commerciis cum hostibus Christiani nominis: de tregua et pace: de homicidio justo in bello: de modo gerendi bellum ad tit. de Sagittariis. de bonis naufragorum: de officio legati etc.

§. 69. Recensui summa capita juris gentium *naturalis*, quod nempe in natura hominum, gentiumque relatione rationem sufficientem habet, et in specialem disciplinam a Grotio, aliisque post ipsum scriptoribus redactum fuit. In legibus Romanis a Justiniano collectis *jus gentium* miscetur cum eo, quod generatim *jus naturæ* dicimus, sive, ut Justinianus inquit, *quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes populos peræque custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utantur.* Contra vero *jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit. Nam jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quæ in cælo, quæ in tarra, quæ in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque feminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus. Hinc liberorum procreatio, hinc educatio: videmus enim cetera quoque animalia istius juris peritia censeri*(*b*).

(*b*) Princip. et §. 1. J. de jure naturali gentium et civili. Etsi sint actus quidam hominum et bestiarum communes, tamen hi ipsi quoque ab homine ratione regi debent; ac proin juris legumque notio in hominem cadit, non item in bestias.

§. 70. Exempla juris gentium a Justiniano recensentur hæc: *Erga Deum Religio; ut parentibus et patriæ pareamus: ut vim atque injuriam propulsemus; — manumissiones quoque juris gentium sunt. — Ex hoc jure gentium introducta bella: discretæ gentes: regna condita: dominia distincta: agris termini positi, ædificia collocata;*

commercium, *emptiones*, *venditiones*, *locationes*, *conductiones*, *obligationes institutæ* (*c*).

(*c*) L.2. 3.4.5. *D.* de Justitia et jure.

§. 71. Romani ergo non ea tantum jura, quæ inter plures gentes aut civitates, tanquam personas morales, a natura constituta sunt, ad jus gentium retulerunt, sed quidquid omnino ad jus naturæ privatum, sociale, publicum, aut gentium jus pertinet. Interpretes dein juris Romani duplex gentium jus distinxerunt, primævum et secundarium; *primævum*, quod non excogitatum, aut inventum usu exigente, sed nobiscum natum est, ceu Deum colere, parentes revereri, neminem lædere: hæc enim inter homines semper observanda erant. *Secundarium*, quod, *usu exigente et humanis necessitatibus*, homines constituerunt; quo pertinent *bella*, *captivitates*, *servitutes*, *omnes pene contractus*, *ut emtio et venditio*, *locatio et conductio societas*, *depositum*, *mutuum*, *et alii innumerabiles* (*d*). Hinc contractus, aliave negotia dicuntur *juris gentium*, quatenus non apud Romanos tantum, sed alias etiam nationes in usu sunt. Hæc ipsa tamen, quæ sunt juris gentium secundarii, jure et facultate a natura concessa ab hominibus et populis acta et constituta sunt, atque stricte ad disciplinam naturalis juris pertinent (*e*).

(*d*) §. 2. J. de Jure Nat. gent. et civ.
(*e*) Conf. libr. Isagog. §. 197. Ubi de distinctione inter jus gentium primarium et secundarium memorabilem addidi animadversionem.

§. 72. Scriptores temporum præteritorum, præter jus gentium naturale et necessarium, assignarunt aliud voluntarium ac positivum, item-

que aliud pactitium. Utrumque hoc genus recentiores auctores fere rjiciunt. Nam voluntarium illud ex longo usu et observantia inter gentes proficisci deberet, unde ab aliis *consuetudinarium* appellatur. At enim quam obligandi vim habet consuetudo, nisi ex voluntate tacita vel expressa imperantis? Porro gentes liberæ nulli communi imperanti vel imperio subjacent. Id tamen videtur effici per consuetudinem posse, ut actio quædam inter gentes, aut actionis omissio haberi possit pro signo contemptus, aut læsi honoris: sæpe tamen istiusmodi actiones vim meri *decori* habent: alia, quæ consuetudini gentium adscribuntur, juris naturalis vere propria sunt. Pacta obligant gentes, inter quas intercesserunt; non item alias: proindeque ad jus universale gentium haud magis pertinent, quam pacta, quæ inter privatos cives conventa sunt, ad jus referri civile possunt.

§. 73. Fuere, qui sibi ideam effinxerunt *civitatis gentium maximæ*, cujus membra, ac velut cives censeri debeant gentes singulæ. Sed naturalis gentium libertas omnem istiusmodi unionem et commune imperium respuit. Societas quidem universalis gentium ex ipsa natura fluit, eaque absoluta est, et necessaria, cujus juribus perfectis satisfit per actiones negativas vi Principii: *Neminem lædere.* Neque ista gentium absoluta societas cum Democratia analogiam habet. Nam in statu democratico speciale pactum subjectionis singulos patresfamilias communi imperio corporis politici adstringit, tenetque adstrictos Deest autem istiusmodi pactum gentium singularum relate ad universitatem gentium, in statu naturali libertatis degentium; secus non pollerent singulæ suprema potestate civili; quia universitati subjectæ essent: uti civis, etsi civi subjectus

non sit, cum tamen communi subjaceat imperio, in statu naturali haud vivit.

CAPUT VII.

DE JURE ECCLESIASTICO PUBLICO CONJUNGENDO CUM INSTITUTIONIBUS JURIS DECRETALIUM.

ARGUMENTUM.

I. Exposita notione quæritur, an separatim tractandum sit; conjungi certe cum Jure Decretalium haud ægre potest. §. 74. *II. Descriptio ejus, rerumque ordo proponitur.* §. 77.

§. 74. *Jus Ecclesiasticum Publicum* complectitur jura, id est, facultates et obligationes eorum, qui ex institutione Christi cum potestate publica et rectoria præsunt in Ecclesia sancta Dei, nempe Episcoporum, atque in primis summi Romani Pontificis. *Publica* dicitur istorum potestas, quia non pro foro tantum interno ad dimittenda peccata, et fideles verbo Dei, et Sacramentis pascendos pertinet, verum etiam ad eosdem gubernandos per leges, coactionem, pœnas, administrationem justitiæ in foro Ecclesiastico, et stabilitum ordinem Præpositorum, ac subditorum. Est autem jus Ecclesiasticum publicum aliud *commune ac universale*, quod per se ad totam pertinet Ecclesiam catholicam: aliud *publicum particulare*, in moribus specialibus et concordatis, maxime inter nationes et Sedem Apostolicam initis consistens; id fere historicum est totum, atque ad rectam interpretationem prælucente notitia juris publici communis eget, ut nempe definiri possit, utrumne et quatenus juri generali per speciale derogatum, aut jus commune correctum sit; quod odiosum censetur in omnium disciplina jurium.

§. 75. in corpore juris Decretalium et in commentariis veterum jus isthuc Ecclesiasticum publicum separatim non exhibetur, sed pro ratione titulorum quaquaversus dispersum est. Cel. Zechius in hunc modum sentit: *Cum auditorum nostrorum intersit, utriusque hujus juris, publici et privati notitiam simul, unaque opera haurire; hinc sicuti in ipso corpore juris materiæ istæ inter se permistæ sunt; ita urgens causa hucusque non adparuit, ut in publicis scholis ab invicem separentur* (a). Sed prævaluit hoc ævo apud plerosque non tam cupiditas,quam æstus novandi omnia;et quia non pauci extitere,qui obtentu emendandæ methodi rem ipsam in pejus mutarunt,sacrumque jus corruperunt locis plurimis; idcirco necessitatem mihi ante annos decem impositam credidi, ut publicam jurisprudentiæ canonicæ partem a privato jure, in quo prælegendo versabar maxime, segregatam ederem, ut hac etiam parte nihil deesset iis, qui ingenio atque otio abundarent, cum juri sacro dant operam, iisque supplementis integrare institutiones juris privati ipse possem.

(a) In Præcognitis juris canonici. Tit. IV. §. 47.

§. 76. Si argumentum expenditur Juris Ecclesiastici, totum id propemodum dogmaticum est, ac Theologiæ proprium; at si tractandi rationem, quam mihi quidem ineundam duxi, paulo attentius consideres, haud ægre intelliges, illud non attingi in disciplina canonum, quatenus materia est dogmaticæ fidei, sed qua parte fundamentum hierarchicæ potestatis, rectæque gubernationis Ecclesiasticæ continet. Fides quidem commune est bonum, ejusque velut fundamento ac radice non magis Theologi, et Clerus,

quam laici omnes, totusque Jurisconsultorum ordo egent; convelli jus sacrum haud poterit, quamdiu firma stat, vigetque in animis divina fides: at eo labante aut subruto fundamento, in asserendis, confirmandisque sacris juribus vix quidquam efficies, ac ne vix quidem; innumerabiles enim excogitatæ sunt viæ rationesque auctoritatis divinorum Codicum depravandæ, et sacræ eludendæ Traditionis.

§. 77. De conjungendo cum institutionibus juris decretalium ipso jure Ecclesiastico publico non magnopere laborandum est; præcipua enim istius capita titulum in Decretalibus habent, ac velut sedem propriam, aut obtinere facile possunt. Quapropter illud tantum relinquitur, ut opportunas quasdam de jure illo publico animadversiones hic præmittam. Ac primo quidem Publicistæ omnes in genere quocunque descriptionem proferunt communitatis illius perfectæ, cujus publicum jus expositurì sunt, ejusque internam constitutionem, quantum fieri principio potest, ponunt ob oculos. Potestas enim publica, de qua dein acturi sunt, internæ constitutioni respondet.

In Decretalibus titulus primus inscribitur *de summa Trinitate et fide catholica*; unde de Ecclesia etiam catholica, ejusque proprietatibus divinitus inditis agendum est, cum ipsum symbolum Lateranense ibi propositum complectatur dogma *de una fidelium universali Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.*

§. 78. Posita ob oculos Ecclesia, agitur de potestate ecclesiastica, eaque publica et rectoria. In verbo Dei scripto ea proponitur generalibus atque amplissimis verbis; reipsa autem est com-

plexio *plurium* sacrorum jurium, ad Ecclesiæ gubernationem pertinentium, et continet jus prædicandi fidem et doctrinam Christi, et controversias de illis ortas decidendi infallibili auctoritate: jus credentes baptizandi, eoque ritu subjiciendi Ecclesiæ; alia dein Sacramenta iis administrandi, præscribendi cultum divinum, sacrosque ritus, adsciscendi et ordinandi ministros et dispensatores mysteriorum Dei, eosque specialiter informandi ac regendi ad omnem vitæ honestatem: lites inter ipsos exortas decidendi, delinquentes coercendi ac puniendi etc. Hæc igitur potestas primo generatim velut in fonte ac radice proponitur, ex qua plurimi tanquam rivuli aut rami proveniunt; de quibus singillatim, ac suis locis explicate agitur. Ipsi adversarii ejus potestatis, identidem ad generalia Scripturæ verba velut ab hypothesi ad thesin disputando revolvuntur.

§. 79. Duo sunt, quæ de potestate ecclesiastica disceptari debent: *primo*, ut ostendatur, eam ex institutione divina, ab omni naturali, civili et politica potestate penitus distinctam esse, et segregatam, eaque disputatio non uno loco generatim confici potest, sed ad singulas prope sacri imperii propositas partes recrudescit. *Secundo* eandem inter eos, quibus ex Christi institutione aut Ecclesiæ dispositione competit, apte ordinateque esse distributam, ut caveri maxime debeat, ne alii aliorum jura usurpent, suæque potestatis limites transgrediantur.

§. 80. Dominus noster J. Ch., tanquam auctor gratiæ, de potestate acturus, quam in Ecclesiam collaturus erat, ex omni discipulorum numero elegit *duodecim*, quos Apostolos nominavit; atque ex his duodecim *unum*, quem sin-

gulari consilio Petrum, seu Petram nuncupari voluit, atque ita a summo principatu, velut a fundamento, exorsus est, quod apertissime in Petro ejusque Successoribus situm voluit; sic enim de prima institutione atque origine potestatis ecclesiasticæ agendum est, ut transmissio ejusdem potestatis in Successores ex verbis et mente Christi una explicetur. De illo principatu seu primatu Petri in S. Codice agitur Matth. XVI. a v. 13. Luc. XXII. v. 31. 32. Joan. XXI. 14. seq.

§. 81. Constituto Petri primatu, expenditur, quid potestatis a Christo collatum sit in Apostolos, a quorum numero nunquam aberat Petrus; nihil enim Apostolis datum, quod non et Petro; at Petro concessa est peculiaris potestas, quæ Apostolorum non erat communis. Ad universos Apostolos pertinent verba Christi Joann. XX. v. 19. Matth. XVIII. 18. Matth. ult. Marc. ult. item quæ Paulus habet Ephes. II. 20. et Joannes Apoc. XXI. 14. Ut transmissio potestatis in successores seu Episcopos recte intelligatur, consensu omnium, atque etiam ipsorum Protestantium distingui oportet jura Apostolorum extraordinaria, et ordinaria: in juribus extraordinariis successio nulla est.

§. 82. Facta comparatione potestatis *Soli* Petro datæ, et potestatis in universos collatæ Apostolos, stabilitur Petri et Successorum primatus non qualiscunque ordinis, honoris aut directionis, sed veræ potestatis et jurisdictionis, ejusque universalis, supremæ, ordinariæ, et conjunctæ cum potestate cogendi subjectos ad consentiendum in fide et communione cum Sede Petri, tanquam fidei et communionis centro.

§. 83. Ex divina ordinatione, præter Petrum et Apostolos, atque utrorumque successores, Ro-

manum nempe Pontificem, et Episcopos reliquos, instituti sunt Ministri inferioris ordinis. Pro faciliore item regimine universalis Ecclesiæ inter ipsos dein Episcopos auctoritate ecclesiastica constituti sunt quidam gradus, designatis diœcesibus, provinciis, amplioribus etiam districtibus: unde diœcesani Episcopi, Metropolitæ, Primates, et Patriarchæ dicti sunt; synodi item diœcesanæ, provinciales, nationales, generales seu plenariæ et œcumenicæ.

§. 84. Propositis hisce sacrarum personarum et ministrorum Dei gradibus, enascitur idea *Hierarchiæ*: in ea distinguitur potestas ordinis et jurisdictionis, suis utraque gradibus ordinatim distributa: jurisdictio alia est fori interni, alia externi, seu publica et rectoria, in Episcopatu maxime ejusque gradibus consistens. Fit comparatio eorum graduum, eaque duplici ratione, ut Episcopi seu Hierarchæ tum seorsum spectentur, tum collecti in synodos: maxime autem duplex hæc comparandi ratio refertur ad primatum Successorum Petri.

§. 85. Ut dein *forma* status atque imperii ecclesiastici definiri possit, ex dictis *subjectum* potestatis publicæ et rectoriæ in Ecclesia deduci debet, illudque expendi, utrumne et quales limites potestatis Episcopis, tum seorsum spectatis, tum in synodos congregatis, atque ipsi Episcoporum Capiti, Successori Petri, positi a Deo sint, vel ecclesiastica auctoritate poni potuerint. Atque hæc de subjecto potestatis, ac de forma ecclesiastici status quæstio juris publici maxime propria est.

§. 86. Constituto potestatis subjecto, ac definita status forma, in disciplina juris publici fit pro-

gressio ad pertractandas eas causas, seu exponenda objecta, quæ publicæ potestati maxime subjacent. Istiusmodi causæ in jure publico ecclesiastico aliæ sunt juris divini, aliæ juris humani. Illæ appellantur *causæ fidei*, hæ vero *disciplinæ*. Ad causas fidei referuntur quæstiones de naturali honestate actionum et morum: causæ item communionis et oppositi schismatis. Disciplina ad quatuor capita vulgo reducitur. Est enim disciplina liturgica seu interna, ad quam referuntur actus religionis, virtutum, ceremoniæ, festa; pœnitentiæ item, jejunia, cultus et veneratio Sanctorum, reliquiarum, sacræ imagines, benedictiones, aliaque istius generis: reliqua disciplinæ, ejusque externæ, capita sunt creatio et ordinatio ministrorum, promotio ad officia, et universa politia cleri: dein regimen ecclesiasticum seu modus exercendi potestatem legislatoriam, inspectoriam, judiciariam: ultimum disciplinæ caput in administrandis, riteque dispensandis temporalibus Ecclesiæ bonis situm est.

§. 87. Etsi autem potestas Ecclesiastica penitus diversa sit et distincta a naturali et politica potestate; tamen dubium non est, quin Principi politico ex naturali obligatione religionis pro statu hypotheticoEcclesiæ divinitus institutæ jus defensionis ac patrocinii circa negotia Religionis et Ecclesiæ causas competat. Quapropter ut recte exponantur causæ ecclesiasticæ publicæ, disquiri singillatim debet, quid juris summo Pontifici, quid Episcopis vario gradu positis, seorsum aut in synodis, quid denique defensionis et patrocinii titulo Principi politico in iis tractandis et expediendis causis tribui debeat. Atque hæc de jure publico ecclesiastico generatim præmittenda duxi.

LIBER I.

TITULUS I.

DE SUMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA.

AGRUMENTUM.

I. Fidei, quæ Fundamentum est, symbola. §. 88. *II. Definitio et proprietates Ecclesiæ* §. 91. *III. Symbolum. SS. Conc. Trid. Addita pro Græcis* §. 96. *IV. Quis teneatur profiteri ex Symbolo Trid.* §. 98.

§.88. Fundamentum omnis veræ justitiæ divina fides est, a qua disciplinæ Canonicæ exordium rectissime duci, in Isagoge præmonui (*a*). Neque vero in animum induco, ut doctores scriptoresque catholicos, qui jus sacrum, tot seculorum atque ecclesiarum usu stabilitum, modis omnibus lacerant, ea, qua oportet, fidei firmitate atque integritate pollere judicem. Auctorem hujus sententiæ habeo S. Leonem IV. ad Episcopos Brittaniæ ita scribentem: *Luculentius et magna voce pronuntiare non timeo, quia, qui illa, quæ diximus, sanctorum Patrum statuta, quæ apud nos Canones prætitulantur, sive Episcopus, sive clericus, sive laicus, non indifferenter receperit, ipse se convincit, nec catholicam et apostolicam fidem, nec sancta vera Christi Evangelia quatuor utiliter et efficaciter, et ad effectum suum retinere, vel credere* (*b*).

(*a*) C. II. §. 15.
(*b*) Apud Gratianum Can. I. dist. 20. in Concil. edit. Mansi T. XIV. Col.. 884.

§. 89. Veritas quæcunque, a Deo revelata, dicitur *veritas divinæ fidei*: si, ut talis, publico Ecclesiæ sensu aut judicio proposita est, nominatur *dogma*: dogma quoddam præcipuum, omnibus scitu necessarium, est *articulus fidei*; dogmatum et articulorum breves summulæ aut collectiones nuncupantur *fidei symbola*, tanquam publica signa, per quæ orthodoxi ab infidelibus et sectariis distinguuntur.

§. 90. In Ecclesia Catholica sex numerantur fidei symbola, quorum nullum alteri adversatur; alterum tamen altero distinctius exhibet Catholica dogmata; quod propter exortas hæreses fieri debuit.

I. Symbolum *Apostolorum*, quod in omnium mente et ore versatur.

II. *Concilii Nicæni*, quo magis declaratur Divinitas Jesu Christi contra Arianos.

III. *Concilii Costantinopolitani primi*, quod in Missis decantatur, apertiusque definit Divinitatem Spiritus sancti contra Macedonianos.

IV. *Sancti Athanasii*, ut vulgo nuncupatur, vel alterius Doctoris catholici horis canonicis ad Primam insertum. Id non tam per modum professionis fidei, quam doctrinæ et instructionis compositum est: quia tamen *integram fidei veritatem ejus doctrina breviter continet*, *auctoritate Summi Pontificis est recepta*, *ut quasi regula fidei habeatur* (c).

V. *Concilii Lateranensis IV.* sub Innocentio III., quo clarius explicatur mysterium SS. Trinitatis, atque id in capite libri primi Decretalium positum est.

VI. *Concilii Tridentini*, cujus formula eadem est cum symbolo Constantinopolitano, nisi quod declarationes habeat adjunctas contra errores posteriorum temporum, et sectarum.

(*c*) S. Thomas 2.2. q.1. a. 10 ad 3. Idem S. Doctor binas decretales hujus tituli eruditissime explicat opusc. 23. et 24.

§. 91. Si fides, tanquam anima credentium, spectatur, congregatio fidelium firmiter credens, et simpliciter confitens pro corpore animato haberi debet, quod est *Ecclesia*, sive cœtus hominum unius professione fidei, et eorundem Sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum pastorum, atque in primis Summi in terris Christi Vicarii, Romani Pontificis: estque hæc Christi Ecclesia ex divina institutione necessario *Una*, *Sancta*, *Catholica et Apostolica*: quas Theologi *notas* appellant, quibus ea a sectis distinguitur; in jure autem Ecclesiastico publico pro *legibus fundamentalibus* ipsius status et imperii Ecclesiastici habere debemus: quia certæ sunt et indubitatæ, ab omnibus agnitæ utpote in symbolo fidei contentæ; et quia rationem ac finem imperii sacri, seu potestatis ecclesiasticæ comprehendunt. Nam eo tendit hæc potestas tota, ut Ecclesia sit, maneatque una, sancta, catholica et apostolica; atque ex vi ejusdem potestatis, cui singularis assistentia divini Spiritus a Christo adpromissa est, ea fit indefectibilis active, ut ajunt, et passive, etsi inde a primo ortu suo nostris æque ac præteritis temporibus tum aperto furore, tum occultis machinationibus dæmonum, et pravorum hominum gravissime impugnata sit, et in dies impugnetur (*d*).

(*d*) De hoc bello, quod ardet inter regnum Christi et Satanæ, altum silent hodierni scriptores, omnia sci-

licet metientes ingenio suo, et ecclesiam, nescio quam, fingentes pro naturali statu, opinationes dein suas, aut somnia transferentes ad statum præsentem. Unde SS. et œcumenica Tridentina Synodus, antequam ad extirpandas hæreses, et mores reformandos aggrederetur, justissime omnes hortata est his verbis *Sess. III.* „ Agnoscens „ (SS. Synodus) cum Apostolo, non esse sibi collu- „ ctationem adversus carnem et sanguinem, sed adver- „ sus spirituales nequitias in cælestibus, cum eodem „ omnes et singulos in primis hortatur, ut confortentur „ in Domino, et in potentia virtutis ejus, in omnibus „ sumentes scutum fidei, in quo possint omnia tela ne- „ quissimi ignea extinguere, atque galeam spei salutis „ accipiant cum gladio Spiritus, quod est verbum Dei. „

§. 92. Notio Ecclesiæ in ipso limini jurisprudentiæ depravatur a multis ob occultos errores, quos fovent, aut ex imperitia certe quidem. Ajunt enim, definitiones vocum esse arbitrarias. Resp. Definitiones vocum, quæ rem existentem, et divinitus institutam exprimunt, neutiquam ab humano pendent arbitrio. Quando Christiani omnes universi orbis ex symbolo fidei dicunt: *Credo unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam*, non certe Ecclesiam cogitant, quæ esse, aut fingi potest; aut quæ nulla sit modo, sed fuerit tantum primis quatuor, aut quinque seculis: sed eam denotant Ecclesiam, quam Christus acquisivit Sanguine suo: quam totam ædificavit supra petram: quam *regnum suum*, *hæreditatem suam*, *ovile suum* appellavit: quæque in sacro Codice dicitur *domus Dei vivi*, *columna et firmamentum veritatis*, *civitas supra montem posita*, *corpus Christi*, cujus corporis ipse est *caput*, *acies castrorum ordinata*, *sponsa Christi.* Hæc omnia in unam et individuam, reipsa existentem, divinitus institutam et conservatam cadunt Ecclesiam. Sic ergo describi debet hæc Ecclesia, ut sponsa Christi a meretricibus, domus

Dei a speluncis latronum, Ecclesia Christi a synagogis Satanæ, congregatio orthodoxorum a conventiculis sectariorum internoscatur (*e*).

(*e*) De conventiculis hæreticorum juste indignantur imperatores orthodoxi l. Ariani. 5. c. de hæret. quod ea audacter ecclesias nuncupare conentur. Justinianus Nov. 109. pr. ait: „ Licet nomen Christianorum sibimet „ imposuerint; at tamen a Christianorum se fide et „ communione separant, Dei judicio semet ipsos subdi „ agnoscentes. „ Conf. Apoc. II. 9. et 13. et III. 9.

§. 93. Aliqui expressam supra notionem Ecclesiæ tanquam *novam* reprehendunt. Resp. Nova dici potest verbis et complexione notarum, quæ tamen minime novæ sunt, sed semper agnitæ fuerunt. Ac debuit nova fieri complexio contra Sectarios, qui, uti animadversum est paulo ante, conventicula sua audacter ecclesias nuncupare conantur: re autem ipsa nequaquam nova est; quia ea, quæ exprimit, semper requisita fuerunt, ut aliquis veræ Ecclesiæ membrum censeretur.

§. 94. Auctor quidam moleste fert, Ecclesiam Christi nuncupari sæpenumero Romano-Catholicam, putatque omnino has notas inter se pugnare, quia vox *Romana* aliquid *singulare*, Catholica contra quidpiam *universale* exprimit. Resp. Auctor ille aperte favet factioni Jansenisticæ in Hollandia, ubi veri Catholici, ut a Jansenistis distinguantur, passim *Romano-Catholici* nominantur; hinc mirum non est, quod ægre id ferat. Imperite autem pugnam verborum objicit; non enim Ecclesia dicitur catholica seu *universalis*, tanquam genus, quod plures species, aut tanquam species, quod plura continet individua; sed quæ una et unica atque individua est sponsa Christi, eadem est catholica seu universalis, quippe *quæ semper*, *quæ ubique*, *quæ apud omnes*, *quæ tem-*

pore, *loco*, *multitudine*, *antiquitate*, *universitate et consensu*, *novitati*, *parti*, *et paucorum errantium* (quales fuerunt Donatistæ in Africa, et Jansenistæ sunt in Hollandia) *dissensioni præfertur* (*f*). Una ergo, et singularis est Ecclesia, etsi sit universalis: una est arbor, etsi rami quaquaversus diffundantur: unus est fons, etsi rivuli dimanent in omnes partes: unus sol, etsi radii dispergantur in orbem. *Romana* nuncupatur; quia tota supra Petram seu Petrum, et Successores a Christo ædificata fuit; et quia, ut Claudius Fleurius in Catechismo hist. l. 2. p. 2. lect. 9. ait, veræ Ecclesiæ nota est conjunctio cum sancta Sede Romana.

(*f*) Gothofred. ad I. 1. lit. F. C. de Sum. Trinit.

§. 95. Alius ante paucos annos emersit juris sacri profanus scriptor, qui Ecclesiæ notas seu prærogativas enumeraturus, *una est*, inquit, *Ecclesia Caholica*, *et perpetua.* Resp. Ferendum non est, ut sacrosanctæ Ecclesiæ detrahatur nota *Sanctitatis*; et *Apostolicæ originis* prærogativa vel auferatur, vel ambigua voce *perpetua* obscuretur. Notæ singulæ et universæ non modo veram Ecclesiam aperte distinguunt a falsis sectis, sed manifesta continent argumenta, probationesque decisionum juris sacri; facultas autem probationum coangustanda non est, quemadmodum docet lex Romana (*g*). *Perpetuitas*, quæ in futurum spectat, præsentem rei veritatem non demonstrat, eamque omnes Sectarii, vel qui invisibilem fingunt ecclesiam, impudenter polliceri et jactare possunt.

(*g*) Ostendi C. I. Juris Eccl. publ. eas quas Theologi veræ Ecclesiæ notas appellant, in jurisprudentia Eccle-

siastica pro legibus fundamentalibus, primisque atque ultimis rationibus sacri imperii, ejusque decisionum haberi oportere. Hujus assumpti systematis adeo me non pœnitet, ut omni potius modo excolendum putem, hoc præsertim ævo, quo maxima labes, quam patitur jus sacrum, labenti ac deficienti fidei religionique adscribenda est. Multa ejus systematis commoda, perspicuosque usus inde ab editis institutionibus meis cogitando detexi, quos suis commemorare locis haud prætermittam. Illud nunc quæro: Omnia adversariorum molimina, quibus impetunt jus sacrum, omnia calumniarum, conviciorum et fallacium conclusionum genera, qualia sunt tandem, aut quo spectant, nisi ut unitatem catholicam scindant, sanctitati Ecclesiæ detrahant, catholicæ diffussioni obsistant, apostolicam originem doctrinæ ac sacerdotii abscindere, aut obstruere conentur? Consideranti tempora nostra totum id tam perspicuum erit, ut nihil magis: velim autem, ut inde quivis concludat, recteque intelligat, quid sit tueri Christi Ecclesiam, ejusque jura et prærogativas defendere.

§. 96. De professione fidei, quæ ex mente SS. Concilii Tridentini, atque ex formula a Pio P. IV. præscripta fieri debet, agendum nunc est. Ut autem ejus legis justissima ratio, maximusque usus hoc ævo perspiciatur, præcipua ejus symboli capita ad verbum excribere, atque ob oculos ponere haud piget. Sic igitur habet:

I. „ Ego N. firma fide credo et profiteor „ omnia et singula, quæ continentur in symbo- „ lo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, „ videlicet: Credo in unum Deum Patrem etc. „ *Sequitur totum symbolum constantinopolita-* „ *num, uti in sacrificio Missæ recitari, aut de-* „ *cantari solet. Dein contra errores novos fit* „ *sequens professio.*

II. „ Apostolicas et Ecclesiasticas traditio- „ nes, reliquasque ejusdem Ecelesiæ observa-

„ tiones, et constitutiones firmissime admitto, „ et amplector.

III. „ Item sacram scripturam juxta eum „ sensum, quem tenuit, et tenet sancta Mater „ Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et „ interpretatione sacrarum scripturarum, admit- „ to; nec eam unquam, nisi juxta unanimem „ consensum Patrum, accipiam, et interpre- „ tabor.

IV. „ Profiteor quoque, septem esse vere „ et proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu „ Christo, Domino nostro instituta, atque ad „ salutem humani generis, licet non omnia sin- „ gulis, necessaria; scilicet Baptismum, Confir- „ mationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, ex- „ tremam Unctionem, Ordinem et Matrimo- „ nium; illaque gratiam conferre; et ex his „ Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine „ sacrilegio reiterari non posse.

V. „ Receptos quoque et approbatos Ec- „ clesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum „ omnium Sacramentorum solemni administra- „ tione recipio, et admitto:

VI. „ Omnia et singula, quæ de justifica- „ tione in sacrosancta Tridentina Synodo defi- „ nita et declarata fuerunt, amplector et re- „ cipio.

VII. „ Profiteor pariter, in Missa offerri „ Deo verum, proprium et propitiatorium Sa- „ crificium pro vivis et defunctis; atque in „ sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, „ realiter, et substantialiter corpus et sangui- „ nem, una cum anima et divinitate Domini no- „ stri Jesu Christi, fierique conversionem to- „ tius substantiæ panis in corpus, et totius sub-

„ stantiæ vini in sanguinem; quam conversio-
„ nem catholica Ecclesia transubstantiationem
„ appellat. Fateor quoque sub altera tantum
„ specie, totum atque integrum Christum,
„ verumque sacramentum sumi.

VIII. „ Constanter teneo, purgatorium
„ esse, animasque ibi detentas fidelium suf-
„ fragiis juvari.

IX. „ Similiter et Sanctos una cum Chri-
„ sto regnantes, venerandos, atque invocandos
„ esse, eosque orationes Deo pro nobis offer-
„ re, atque eorum reliquias esse venerandas.
„ Firmissime assero, imagines Christi ac Deipa-
„ ræ semper Virginis, nec non aliorum Sancto-
„ rum, habendas et retinendas esse, atque eis
„ debitum honorem ac venerationem imper-
„ tiendam.

X. „ Indulgentiarum etiam potestatem a
„ Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarum-
„ que usum Christiano populo maxime salu-
„ tarem esse, affirmo.

XI. „ Sanctam, Catholicam et Apostolicam
„ Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum
„ Matrem et Magistram agnosco; Romanoque
„ Pontifici, Beati Petri, Apostolorum Principis,
„ Successori, ac Jesu Christi Vicario veram
„ obedientiam spondeo, ac juro.

XII. „ Cætera item omnia, a sacris cano-
„ nibus, et œcumenicis conciliis, ac præcipue
„ a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, de-
„ finita et declarata indubitanter recipio, atque
„ profiteor; simulque contraria omnia atque
„ hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas,
„ rejectas et anathematizatas, ego pariter da-
„ mno, rejicio et anathematizo.

XIII. „ Hanc veram catholicam fidem, ex-
„ tra quam nemo salvus esse potest, quam in

„ praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, „ eandem integram et inviolatam, usque ad ex- „ tremum vitæ spiritum constantissime (Deo „ adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis „ subditis, vel illis, quorum cura ad me in mu- „ nere meo spectabit, teneri, doceri et præ- „ dicari, quantum in me erit, curaturum. Sic „ me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evan- „ gelia. " *Si a pluribus facienda est hæc professio, et unus formulam prælegit, quivis reliquorum tactis Evangeliis ita subjungit*: „ Ego „ N. idem spondeo, voveo, ac juro. Sic me „ deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evange- „ lia " (*h*).

(*h*) Secundum hanc fidei ac professionis regulam divinus Judex examussim dijudicabit doctrinas nostras scripto ac verbo traditas, sensa quoque animi, et opera; cavendumque est hac maxime ætate doctoribus, ne in die revelationis, et justi judicii Dei inveniantur perjuri coram Deo, angelis et hominibus.

§.97. Huic formulæ quatuor articulos addidit Gregorius P. XIII. pro Græcis, a quibus (ut Tournelius inquit de Trinitate Quæst. VI. Art. 3.) *nulla publica fidei confessione impugnata fuere, quæ in Synodo Florentina statuta, et definita fuerant: error est igitur aliquorum personalis, non Ecclesiæ totius græcæ.* Articuli autem, post Symbolum constantinopolitanum additi, sunt hujus tenoris:

I. „ Credo etiam, suscipio atque profiteor ea „ omnia, quæ sacra œcumenica Synodus Floren- „ tina super unione occidentalis et orientalis Ec- „ clesiæ, definivit et declaravit, videlicet, quod „ Spiritus Sanctus a Patre et Filio æternaliter est; „ et essentiam suam, suumque esse subsistens „ habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque

„ æternaliter, tanquam ab uno principio, et uni-
„ ca spiratione procedit. Cum id, quod sancti
„ Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Fi-
„ lium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc
„ intelligentiam tendat, ut per hoc significetur,
„ Filium quoque esse, secundum Græcos qui-
„ dem causam, secundum Latinos vero princi-
„ pium substantiæ Spiritus Sancti, sicut et Pa-
„ trem: cumque omnia, quæ Patris sunt, ipse
„ Pater unigenito Filio suo gignendo dederit,
„ præter esse Patrem; hoc ipsum, quod Spiritus
„ Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre
„ æternaliter habet, a quo æternaliter etiam ge-
„ nitus est. Illamque verborum illorum, *Filioque*
„ explicationem, veritatis declarandæ gratia, et im-
„ minente tunc necessitate, licite ac rationabili-
„ ter Symbolo fuisse appositam.

II. „ Item in azymo sive fermentato pane
„ triticeo Corpus Christi veraciter confici; Sacer-
„ dotesque in altero ipsum Domini Corpus con-
„ ficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ
„ Ecclesiæ, sive occidentalis sive orientalis,
„ consuetudinem.

III. „ Item si vere pœnitentes in Dei chari-
„ tate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ
„ fructibus de commissis satisfecerint et omis-
„ sis; eorum animas pœnis purgatorii post mor-
„ tem purgari, et ut a pœnis hujusmodi releven-
„ tur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Mis-
„ sarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosy-
„ nas, et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro
„ aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ec-
„ clesiæ instituta. Illorumque animas, qui post ba-
„ ptisma susceptum nullam omnino peccati ma-
„ culam incurrerunt, illas etiam, quæ post con-
„ tractam peccati maculam, vel in suis corpori-

„ bus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cælum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est; meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

IV. „ Item sanctam Apostolicam Sedem, et „ Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum Successorem Beati Petri Principis Apostolorum et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur. „ *His præmissis in hunc modum continuatur professio fidei.* „ Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quæ ex decretis sacræ œcumenicæ generalis Synodi Tridentinæ, Sacrosancta Romana et Apostolica Ecclesia, etiam ultra contenta in supradicto fidei symbolo, profitenda ac recipienda proposuit, atque præscripsit, ut sequitur. „ *Sequitur autem totus tenor formulæ Tridentinus, uti §. præc. a. n. II. expressus est, totidem verbis, nisi quod in fine n. XII. verbum addatur*: „ Ego „ pariter damno, rejicio, anathematizo, *et abjuro* „ (*i*).

(*i*) Similis declaratio contra errorem quorundam Græcorum de processione Spiritus Sancti facta jam fuerat in Concilio œcumenico Lugdunensi II. anni 1274, cui B. Gregorius X. præfuit. Ea declaratio valde elegans continetur c. unico h. t. in 6.

§. 98. Professionem fidei ex præscripta formula edere, eamque confirmare juramento tenentur hi, qui sequuntur:

I. *Promoti ad Episcopatum*, in prima Synodo provinciali (*k*), quod hodie præstant post electionem in manibus Nuntii Apostolici vel alterius Episcopi. Professio autem hæc scripto exarata Romam mittitur, inserta instrumento de facta inquisitione super qualitatibus Electi.

(*k*) Trident. Sess. XXV. c. 2. de ref. ibi: Idemque in posterum quicunque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcoposque promovendi, in prima Synodo provinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino observent. Quod si quis ex prædictis omnibus, quod absit, renuerit, Episcopi comprovinciales statim Summum Romanum Pontificem admonere sub pœna divinæ indignationis teneantur, interimque ab ejusdem communione abstineant.

§. 99. II. *Provisi de canonicatu, vel dignitate in Ecclesia cathedrali, aut provisi de beneficio curato*: illi quidem coram Episcopo et Capitulo; hi autem coram Episcopo vel Vicario; utrique sub sanctione pœnali, de qua §. 103. seq. disseram (*l*).

(*l*). Ita decretum in Trident. Sess. XXIV. c. 12. de ref. Canonici Ecclesiæ collegiatæ, et beneficiati simplices hoc jure communi non afficiuntur. Bened. XIV. Inst. 60. n. 1. Eidem tamen subjici possunt consuetudine, aut Diœcesium statutis; quemadmodum id in decretis synodal. Diæces. Augustanæ præscribitur. P. I. C. 3. n. II.

§. 100. III. *Prælati locorum regularium* ex const. Pii IV. *Injunctum*. Addit V. C. Zechius, id non in omnibus religionibus usu receptum esse (*m*). Cujus omissionis rationem non video; cum quivis non arripere tantum, sed captare, deberet occasionem publice profitendi fidem catho-

licam, atque immotam adhæsionem ad Ecclesiam Romanam, tanquam centrum unitatis.

(*m*) In Præcognitis Jur. Can. Tit. VI. §. 66.

§. 101. *IV. Doctores et Magistri publici cujuscunqae disciplinæ* (*n*).

(*n*) Trident. Sess. XXV. c. 2. de ref. et Pius IV. in const. 88. *In Sacrosancta.* Ubi §. 2. rationem reddit his verbis: „ *Occurrere cupientes, ne simplicia nonnul-* „ *lorum adolescentum res novas audiendi cupidorum* „ *ingenia in naufragos blandientium hæresum scopu-* „ *los imprudenter impingant.*" Hæc eadem ratio, quantum valeat, urgeatque ætate nostra, nemo non videt.

§. 102. *V. Promovendi in Academiis ad gradus literarios vel ad licentiam docendi* (*o*). In nostris quidem partibus id Cancellariis Academiarum incumbit, ut licentiam sumendi gradus literarios non aliis dent, nisi quorum fidem et religionem probaverunt (*p*).

(*o*) Pius IV. in const. In Sacrosancta. a. 1564. Hanc constitutionem in Germania omnino receptam esse, tum perpetua annorum plusquam ducentorum observantia probat, tum etiam decreta diœcesium confirmant. Addit vero Pontifex ibid. §. 6. „ Quascunque receptio- „ nes, promotiones, electiones et admissiones absque „ processu, certaque de religione et fide catholica noti- „ tia, ac dicta fidei professione sic, ut præfertur, præ- „ cedente, pro tempore factas, nullas, invalidas, nul- „ liusque roboris vel momenti esse, neque cuiquam in „ judicio vel extra suffragari posse; et §. 7. Sicque per „ quoscunque judices et commissarios, quavis auctori- „ tate fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis „ aliter judicandi et interpretandi facultate et auctori- „ tate, judicari et definiri debere; ac quidquid secus a „ quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter „ attentari contigerit, irritum et inane decernimus." Quid ergo? Siquis in universitate quadam catholica sine

dicta fidei professione promoveatur, poterit ne jure exigere, ut locis aliis catholicis pro vere promoto habeatur? Certe beneficium, officium aut dignitatem Ecclesiasticam, quæ forte gradum doctoratus, vel licentiatus ex theologia vel jure canonico requirunt, juste acquirere, et bona fide capere aut retinere haud poterit.

(p) Memorabilia exempla recensui in J. E. P. C. IX. p. 797.

§. 103. De sanctione pœnali, quam memoravi §. 99, sic decidendum est: *Provisi de canonicatu vel dignitate in Ecclesia cathedrali, aut etiam de beneficio curato, si intra primum bimestre a die pacificæ possessionis culpabiliter omittant professionem fidei, a Tridentino præscriptam, tenentur in conscientia ad restitutionem fructuum post bimestre perceptorum ante omnem sententiam judicis.* Probatur Decisio I. SS. Concilium Trident. sic statuit: *Alioquin prædicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur* (q) At si fructus *suos* non faciunt, eos restituere, tanquam rem alienam, sine dubio tenentur; neque vero ut restitutio fiat rei alienæ, exspectari debet sententia judicis.

(q) Sess. XXIV. C. 12. de ref. ubi verba illa: Nec possessio suffragetur, sic intelligenda sunt, quod omissio professionis hunc tantum habeat effectum, ne dominium fructuum beneficialium acquiratur; eo non obstante retinetur beneficium, ejusque possessio: retinentur item alia jura, ceu vox in capitulo, distributiones item quotidianæ, ut quidem non dubito; quia pænalia restringenda sunt. Ceterum nemo quærat, quorsum fructus illos, quos suos non facit omittens professionem, restituere debeat? Habet enim omne id, quod ex beneficio provenit, atque in sustentationem beneficiati non impenditur, hunc destinatum finem, certamque legem, ut in fabricam Ecclesiæ, vel pauperes erogetur. Fructus tamen Canonicorum hoc casu ad ipsum cumulum capi-

tularem referendos esse; vel in communi massa potius permanere, docet Garzias apud Bened. XIV. Inst. 60. n. 14.

§. 140. Probatur Decisio II. Similem pœnam iisdem conceptam verbis, in alia tamen causa constituerat Concilium Lateranense V. sub Leone X. Sess. 9. „ Statuimus et ordinamus, ut quilibet ha-„ bens beneficium cum vel sine cura, si post sex „ menses ab obtento beneficio divinum officium „ non dixerit, legitimo impedimento cessante, „ *beneficiorum suorum fructus suos non faciat* pro „ rata omissionis recitationis officii, et temporis; „ sed eos, tanquam injuste perceptos, in fabricas „ hujusmodi beneficiorum vel pauperum eleemo-„ synas erogare teneatur." Hanc legem Pius V. in const. *Ex proximo Lateranensi* confirmavit, explicans, quæ sit illa *rata fructuum*, restitutioni obnoxia. Cum autem postea non nulli scriptores asserere nihilominus auderent, ad incurrendam illam pœnam opus esse sententia declaratoria judicis, Alexander VII. a. 1665 inter alias theses reprobas hanc n. 20 damnavit: *Restitutio a S. Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis.* Quo modo id ad nostram pertineat decisionem, quivis non cæcus videt.

§. 105. Qui decisioni nostræ adversantur, sic ajunt: Decretum Concilii, quo omittens professionem fructibus privatur, est pœna: Ergo requirit sententiam judicis Arg. c. 19. de Hæret. in 6, ubi lex pœnalis qua confiscatio bonorum in hæreticos non toleratos *ipso jure* decernitur, sic explicatur, ut ejus pœnæ executio, vel bonorum occupatio fieri non debeat, *antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem*

crimine fuerit promulgata. Resp. Inhærendum est proprietati verborum, eorumquem triplex distingui potest expressio, quando pœna in privatione fructuum constituitur. 1. *Reus privetur fructibus* Hæc pœna requirit sententiam condemnatoriam judicis, quæ a die, quo lata est, vim habet. 2. *Ipso jure sit privatus fructibus.* Hæc pœna, si fortior non additur expressio, poscit sententiam *declaratoriam* criminis, quæ ad diem delicti commissi retrotrahitur. Atque ad hunc casum pertinet cit. c. 19. de Hær. in 6. 3. *Fructus non faciat suos.* Hæc autem pœna nullam omnino sententiam exspectare sinit; quia ad restitutionem rerum alienarum, quam ipsum per se clarum jus naturæ exigit, exspectari non debet sententia judicis. Istiusmodi pœna ab auctoribus vocatur *mere negativa*, quia impedit, ne dominium fructuum acquiratur: aut *conventionalis*, quasi lex non concederet fructus, nisi hac conventione, aut conditione, si intra bimestre fiat præscripta fidei professio. Deficiente igitur conditione, fructus omnino non acquiruntur. Exempla istiusmodi pœnæ habentur tum præsenti hoc casu, tum in casu §. 104. et in Concilio Trid. Sess. XXIII. c. 1. de ref., ubi decernitur, „ eum, qui præscripto tempore personaliter in sua „ Ecclesia non residet, pro rata temporis absæn- „ tiæ *fructus suos non facere*, nec tuta conscentia, „ *alia etiam declaratione non secuta*, illos sibi detinere posse: sed teneri, aut ipso cessante, per „ Superiorem Ecclesiasticum illos fabricæ ecclesia- „ rum, aut pauperibus loci erogare: prohibita „ quacunque conventione, vel compositione, „ quæ pro fructibus male perceptis appellatur;— „ non obstantibus quibuscunque privilegiis etc. “ Etsi autem in præsenti casu de omissa professione fidei Decretum Concilii non addat illa verba: *Alia etiam declaratione non secuta*; tamen id

vim decreti non tollit; quia vis præcipua est in illis verbis: *Fructus suos non facere*; reliqua omnia ex illis sequuntur, et majoris declarationis gratia addi possunt, sed non debent; de quibus dici potest: uti superflua non nocent; ita neque necessaria sunt.

§. 106. Dicunt: Si professio fidei est instar conditionis, ad acquirendos fructus necessariæ, ea deficiente conditione nunquam acquiri poterunt fructus, et nulla omnino excusabit causa. Resp. Etsi ea pœna, de qua agimus, sit conventionalis, vel, ut alii vocant, conditionalis; tamen non cessat esse *pœna*, quæ omnino culpam requirit.

§. 107. De causis excusantibus nota

I. Legitimum impedimentum sine dubio excusat, ceu morbus.

II. Ignorantia, imprudentia, oblivio in re legibus præscripta, quæ est clari juris, non admittitur.

III. Nec excusat absentia a loco, in quo facienda est professio; tum quia peti potest, ut Episcopus aut Vicarius alium deleget, e. g. Decanum, coram quo fiat professio; tum quia in his partibus usu receptum est, ut fieri per procuratorem, speciali ad id mandato instructum, possit; si is, coram quo fieri per se debet, consentiat (*r*).

IV. *Forma* arbitraria non est, sed fieri omnino debet *coram eo*, qui a Concilio ad eam suscipiendam professionem denominatus est; nempe a provisis de canonicatu aut dignitate in Ecclesia Cathedrali fieri debet *coram Episcopo aut ejus Vicario, et coram Capitulo*: a provisis autem de beneficio curato *coram Episcopo, aut ejus Vicario*;

secus professio censetur non facta ad effectum, ut quis fructus faciat suos; quia actus sine forma, quam a lege habet, est nullus.

(r) Zech. in Præcogn. Juris Can. Tit. VI. §. 67. adde Can. 4. dist. 100. Contrariæ declarationes Cardinalium citatæ a Bened. XIV. Instit. 60. n. 3. non videntur comprehensivæ; quia sunt contra regulam juris 68. in 6. Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.

§. 108. De hac fidei professione Summo Pontifici feliciter regnanti an. 1786. hæc fuerunt ab Hispanis proposita dubia:

I. An, siquis de novo acquirit canonicatum vel dignitatem in Ecclesia Cathedrali, et quidem in ea ipsa, in qua ante habuerat, renovanda sit professio fidei ex præscripto Concilii Tridentini?

II. Utrum hæc professio facienda sit coram Episcopo et ipsius Vicario Generali, et, Sede vacante, coram Vicario capitulari, et Capitulo? An, si consuetudo viget, satis sit eam facere coram *solo* Capitulo, præsertim in iis diœcesibus, in quibus Episcopi, præter Vicarium generalem, alium habent Vicarium ex gremio Capituli eum in finem, ut in causis Episcopum et Capitulum concernentibus, Capitulum convocet, eique intersit?

III. An, supposita bona fide, ad S. Sedem recurri debeat pro impetranda absolutione a fructuum jam perceptorum restitutione, siquis ob dictam consuetudinem professionem fecisset coram *solo* Capitulo? S. Congregatio, ad quam Summus Pontifex, Pius VI. id negotium remisit, prima Aprilis anno 1786. respondit: ***Ad Primum affirmative: ad Secundum affirmative, quoad primam partem: negative quoad secundam: ad tertium affirmative.*** Quam declarationem probavit Summus Pontifex 8. Aprilis. 1786 (s).

(s) Giornale Ecclesiastico. N. 50. e 51.

TITULUS II.

DE CONSTITUTIONIBUS.

ARGUMENTUM.

I. Notio legis §. 109. *II. Leges sacras fert. R. Pontifex in causis fidei* §. 112. *et disciplinæ* §. 121. *item Episcopi*, *et Synodi intra limites* §. 130. *III. Materia legis. An actus interni?* §. 137. *IV. Subjectum passivum legis* §. 145. *An Legislator* §. 158. *V. Promulgatio legis* §. 164. *VI. Effectus legis in genere*, *et specie* §. 171. *VII. Quid manente lege excuset.* §. 182. *VIII. Cessatio legis* §. 186. *IX. Interpretatio* §. 192.

§. 109. Constitutio generatim pro lege hic sumitur, quæ est *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo*, *qui curam communitatis habet*; *promulgata* (*a*). Notæ, in hac definitione contentæ, instar axiomatum sumuntur ab iis, qui methodum mathematicam affectant, suntque hæ: 1. Lex est *ordinatio*, seu dispositio aut actus voluntatis, quo permittitur, conceditur, suadetur, praecipitur, irritatur, aut punitur quidpiam. His enim modis fit ordinatio. 2. Est ordinatio *rationis*, seu dispositio rationi conformis, id est, subjecta potestati ejus, qui disponit, et consentanea fini, seu bono communi. 3. Ab eo, qui curam habet communitatis, tamquam principio aut *subjecto activo* fertur: 4. et ipsi quidem communitati, tanquam *subjecto passivo*. 5. Necesse est, ut *promulgetur* communitati; in qua promulgatione, velut *forma* legis, sita est. 6. His omnibus tanquam *effectus legis*, respondet obligatio aut jus eorum, qui ferenti legem in hac causa vel materia subjecti sunt; nam conjunctim seu copu-

lative sumi debent hæc tria: potestas seu jus disponentis: subjectio eorum, pro quibus fit dispositio: et materia seu causa, in qua fit.

(*a*) Recepta est hæc notio ex S. Thoma 1. 2. q. 90. a. 4. vocabulorum autem definitiones, longo usu receptæ, instar nummorum valent; ac si opus est, explicari, non facile rejici debent.

§. 110. Speciali ratione *constitutiones* vocantur, quæ a summo Principe emanant, eæque in jure Romano opponuntur juri veteri civili, et auctorum sententiis. Eodem jure Quiritum aliæ sunt *leges*, alia *plebiscita*, *senatusconsulta*, *edicta* vel *constitutiones Principum*, *responsa prudentum* (*b*). In jure etiam sacro nominantur regulæ Patrum, Decreta et Decretales Epistolæ RR. Pontificum, canones Conciliorum, statuta Episcoporum. In his inest generalis ratio legis vel constitutionis supra exposita: non item in aliis actibus analogis, ceu in Rescriptis, præceptis, mandatis, pactis. Jurisconsulti est, non vim modo istiusmodi actuum nosse, sed verborum quoque proprietatem sectari.

(*b* Gratianus P. I. dist. 2.

§. 111. *De principio aut subjecto activo legum ecclesiasticarum* primo agendum est; nam jus ferendi leges politicas et civiles ex varia statuum politicorum forma pendet. Potestas autem ferendi leges in Ecclesia talis intelligitur, quæ conjuncta est cum vi coactiva, et cui respondet obligatio obtemperandi, ut censeatur ligatus in cœlis, seu in foro Dei et conscentiæ, qui legibus, et pœnis ligatur in terris. Dein ea potestas pertinet ad causas tum fidei, tum disciplinæ; sic tamen, ut causæ fidei censeantur *majores* seu reservatæ Papæ aut Concilio generali, vel con-

sensui Episcoporum orbis extra Concilium. Denique cum potestate et jure ferendi leges per se conjuncta est potestas leges authentice interpretandi — in legibus dispensandi — dandi privilegia etiam contra leges — leges mutandi seu abrogandi, iis derogandi aut subrogandi — confirmandi actus subditorum tum generatim concedendo vim præscriptioni, consuetudini etiam contra leges, ultimis voluntantibus, dando actiones judiciales; tum speciatim causa cognita.

§. 112. Leges universales in Ecclesia condit Papa, tanquam Vicarius Christi et Caput Ecclesiæ habens primatum veræ auctoritatis, potestatis et jurisdictionis. Id poscit ratio fundamenti, quod doctrinæ et legum vi adhærens sibi tenet ædificium Ecclesiæ: id indicat potestas clavium in regno cœlorum, et jus solvendi ac ligandi: id exigit munus pascendi gregem Christi, id est, oves singulas et universas: idem denique efficit Officium Petri et Successorum, confirmandi Fratres in fide, in omni nempe religionis causa. Apertissimis Scripturæ verbis adstipulatur traditio, cujus testes sunt authenticæ epistolæ Pontificum, collectiones canonum, quæ *Constituta Sedis Apostolicæ* exhibent, et tomi seu potius bibliothecæ Bullarum et constitutionum Pontificiarum.

§. 113. Verba Scripturæ, et traditionis exempla de Pontificia potestate ferendi leges, æque pertinent ad causas fidei, quam disciplinæ; nec ulla omnino fit distinctio. Seorsum tamen de utroque genere hodie disputatur. In causis fidei Sucessor Petri edit declarationes, definitiones ac decisiones controversiarum; de quibus ex lib. Isagog. §. 95. recolendum est principio, quid requiratur, ut Pontificia con-

stitutio pro definitione fidei haberi possit, debeatque; dein tanquam indubitata statuenda assertio, quæ sequitur.

§. 114. *Pontificiæ declarationes in causis divini juris, seu definitiones fidei et morum omni reverentia, atque interno etiam assensu mentis accipiendæ sunt*, haud secus, *ac si ipsius Petri voce essent prolatæ*; cui haud dubie interna mentis assensio, tanquam divinam legem promulganti, præstari debuit, debetque etiam nunc. Prob. ex Scriptura ac traditione eodem plane modo, quo primatus RR. Pontificum stabilitur. Nam consensu omnium is primatus ad conservandam unitatem fidei et communionis institutus a Christo fuit, eamque vim habet, ut ad unitatem vi præceptiva obligare ac cogere fideles possit; atque ita in eodem primatu consistit principium illud *activum*, quo Ecclesia perpetuo manet una, sancta, catholica et apostolica (*c*).

(*c*) Adcurate de hac assertione tractant Theologi: quia tamen hodierni scriptores juris sacri Febronianos errores, ab ipso auctore solemniter retractatos, ac deceptrices maxime ideas de ratione judicis et examinis judicialis imperitis lectoribus obtrudunt, eorum fraudes sane detegendæ sunt.

§. 115. Febronius S. Petrum in Apostolorum collegio repræsentat, tanquam præsidem in senatu, qui *senatorum sententias rogat, non cogit: uno suo arbitrio nihil decidit. — Nulla causa majoris momenti sine ejus participatione definiebatur. — Ipse in conventibus proponebat materiam, de qua deliberandum erat: ipse cum id opportunum esset, levabat vocem suam, et omnium loco ac nomine loquebatur.* Habes hic ideam primatus, sed non catholici, id est, non veræ auctoritatis, potestatis et jurisdictionis. Hæc enim

omnia prærogativam meri ordinis, honoris ac directorii non excedunt.

§. 116. Subjicit autem Febronius hæc verba: *Verum inter hujusmodi directorii fines jura primatus non subsistunt; exigit amplius aliquid conservatio unitatis in Ecclesia, non semper in Conciliis congregata.* His verbis tacite sumit, potestatem Petri et successorum duntaxat *in subsidium* fuisse datam, ac pro casu, quo Ecclesia in generalibus Conciliis congregata non est, quæ est falsissima hypothesis, a verbis Christi, ac traditione longe abhorrens.

§. 117. Quid ergo ex mente Febronianorum pro conservanda unitate, si Ecclesia in Conciliis congregata non est, primatus Papæ efficere potest? Ajunt: *Papa præcipuas in judicando habet partes.* Quæ sint autem præcipuæ hæ partes, non explicant; aperte tamen docent, definitiones fidei, extra generale Concilium a solo Pontifice editas, non constituere ultimum judicium, nec esse omnino irrefragabiles seu infallibiles; eis tamen a singulis privatim Ecclesiis reverentiam præstari debere, et obsequium, *provisorie* saltem *ad non dogmatizandum contrarium, quamdiu Ecclesia non reclamat.* Si *provisoria* tantum sunt judicia Apostolicæ Sedis in causis divini juris, eis plus non debetur, nisi silentium obsequiosum, et obedientia mere externa, quæ solam contradictionem externam vetet. Observavi in Isag. §. 97., hanc doctrinam esse novam, et sacræ antiquitati ignotam fuisse. Semper enim Ecclesia et Ecclesiæ filii non provisoria tantum, sed peremptoria habuerunt Apostolicæ Sedis circa fidem judicia.

§. 118. Qui hanc provisorii Decreti novitatem invexerunt, ad finiendam penitus atque ultimato fidei controversiam requirere solent, ut de-

finitionibus Summorum Pontificum accedat Episcoporum Ecclesiæ etiam dispersæ vel expressus vel tacitus saltem consensus. At hoc quidem modo judicium cujusvis Episcopi, consensu aliorum Episcoporum confirmatum, parem habebit vim, ac judicium Romani Pontificis. Quæ sunt ergo *præcipuæ* istius in judicando partes? Dein docente Scriptura et traditione Petrus ejusque Successor confirmare Fratres debet, non confirmari a fratribus: ipse, tanquam petra et Fundamentum, sustentare Ecclesiam debet, non sustentari et fulciri ab Ecclesia: ipse pascere fideles debet salutaris doctrinæ pabulo, non ab iis pasci. Febronius ultra novam hanc doctrinam progressus est, atque ad *ultimatum et conclusum*, ut ait, seu ad infallibile judicium in materia fidei postulavit expressam et consentientem generalis Concilii sententiam, qua sola fidei definitiones peremptorias evadere comminiscitur. Sane in hac hypothesi Christus male prospexisset unitati Ecclesiæ; quia generalia Concilia rarissima sunt, eorumque convocatio multis de causis difficillima, ac pene impossibilis est hoc præsertim ævo. Sed Febronius hoc quoque fulcrum conservandæ unitatis in Ecclesia paulo post sustulit; ait enim, Concilium generale non absolute esse infallibile, sed *conditione, si nempe Patres legitime convocati, in eo ita se gesserint, ut dici debeant repræsentasse totam Ecclesiam; quod an ita de facto sit, declarat agnitio, seu receptio Ecclesiæ* (*d*).

(*d*) De hoc fraudis genere vide dicta in Isag. pag. 124. §. CIX. (CXIX)

§. 119. Dicunt Febroniani: Si Pontificiæ definitioni omnes assentiri debent, Episcopi dici non possunt *judices* in causa fidei; quia non habent libertatem, seu jus dissentiendi. Resp. n. ill.

ac supp. quod ratio judicis ac judicii necessario poscat jus et libertatem dissentiendi etiam pro casu, quo veritas Catholica, et doctrinæ ad judicandum propositæ consensio cum veritate Catholica vel dissensio jam certo cognita et explorata est. Hæresis Lutheri, ut recte Febronius in Commentario suæ retractationis Posit. IX. docet, jam ante Concilium Tridentinum, præeunte Leone X. Pont. Max., irrevocabiliter damnata fuit; ac proin nemo Catholicorum dissentiendi jus ac libertatem habuit; num propterea Patres Tridentini, qui eosdem iterum condemnarunt errores, non fuerunt Fidei judices? Si Episcopus definitionem Concilii œcumenici, cui ipse non interfuit, auctoritate sua probat, et suscipit; anne judicem non agit? Post Concilium Chalcedonense, jubente Leone imperatore, episcopi sexcenti supra mille acta ejusdem ad examen revocarunt, ac de illis judicium tulerunt; anne aut jus dissentiendi habuerunt, aut judicum rationem, et auctoritatem non habuerunt? Deceptrix est hæc judicii idea, quasi necessario obscuritatem causæ, ac dubitationem, hæsitationemque judicis posceret. Vis et potestas judicis non in hæsitando sita est, sed in voto decisivo, seu auctoritate ita ferendi sententiam, ut sibi subjectos ad parendum obligare possit, et cogere; id quod fieri ab eo non potest, qui voto mere consultivo gaudet. Dixi, jus dissentiendi non requiri pro casu, quo Catholica veritas, et doctrinæ ad judicandum propositæ consensio cum veritate Catholica vel dissensio jam certo cognita et explorata est. Atqui id contingit omnino, quando Pontificia definitio præcedit judicium Episcoporum in Concilio. Nam traditionem omnium Ecclesiarum inquirere pro cognoscenda Catholica veritate nimis longum est, et fere impossibile; quamobrem, ut S. Irenæus

docuit, satis est, Romanæ cognoscere traditionem Ecclesiæ, *ad quam propter potentiorem principalitatem, necesse est, omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles; in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab Apostolis est, traditio* (e).

(e) De celeberrimo Irenæi loco, et nunquam satis repetendo confer J.E.P. C. IV. §. 343. et in Isagoge notam §. 41.

§. 120. Adversarii Apostolici primatus audacter asserunt, Pontificias definitiones in causa Fidei sæpe novo examini fuisse subjectas ab Episcopis, et Conciliis generalibus; ergo eædem definitiones ob solam RR. Pontificum auctoritatem non statim recipiendæ sunt. R. Assertum istuc, quod in quæstione facti versatur, aperte falsum ostenderunt viri eruditissimi (*f*): duplex nempe genus examinis cum Episcopis Galliæ distingui debet; unum est *juridicum* sive *examen auctoritatis*, quo utitur is, qui judicandi auctoritate præditus in definitionem vel sententiam jam latam dubius inquirit, utrum juri, Scripturæ et traditioni consentanea sit, an dissentanea; alterum est examen *confirmationis*, aut simplicis adhæsionis, instructionis, vel prudentiæ, quo aliquis editam definitionem recte expendere, argumentis ex Scriptura vel traditione petitis confirmare, oppositos errores detegere, et confutare, ipsamque definitionem suo assensu, suaque auctoritate comprobare satagit. Atque hoc posterius examinis genus, non prius illud Episcopi et Concilia post editas RR.Pontificum definitiones adhibuerunt; quomodo enim *obligatio* et *necessitas* consentiendi in fide cum Sede Petri stare posset cum *jure* et *libertate* dissentiendi a Sede Petri? Jansenistæ et Quesnelistæ Episcopis Galliæ obje-

ctarant, exteros Episcopos, qui Papam haberent infallibilem, in acceptanda Clementina *Unigenitus* constitutione, non examinasse, non judicasse, sed obedivisse tantum. Responderunt Episcopi Galliæ: *In hac obedientia semper adesse judicium prudentiæ, quod, licet in tribunali prolatum non sit* (id est, solemniter), *suum tamen robur, suamque auctoritatem habet. — Certum esse juxta omnium sæculorum traditionem, consensum Episcoporum Primæ Sedis judicio, simul esse actum obedientiæ erga Sanctam Sedem, et actum auctoritatis et judicii sub principali ejusdem Sedis auctoritate.* Præclare admodum clarissimus Fenelonius in epistola seu instructione pastorali diei 20. Aprilis an. 1705. explicavit, qua ratione assensus Episcoporum, Pontificiis definitionibus adhibitus et adhibendus, judicii naturam induat, exemplisque subscriptionum, quæ generalis Concilii Decretis pariter subjiciuntur, confirmavit: *Judicare post judicium Pontificis, est suum judicium cum Pontificio conjungere. Hac ratione Episcopi olim subscripserunt ipsorum Conciliorum generalium decretis. Eorum submissio erat judicium, et eorum judicium erat submissio. Subscribentes sese submittebant simul, et confirmabant decisionem synodi. Id constat ex actis, et ex his, aliisque similibus subscriptionum formulis: Judicans subscripsi; recognoscens consensi. — Obtemperans sententiæ sanctissimorum et beatissimorum Episcoporum . . . consentiens et ego subscripsi, cognoscens discussionem Sanctorum Patrum, et cum sequi debeam eorum judicium, subscripsi.*

(*f*) Ex instituto id tractatur ab Antifebronio **T.** IV. l. IV. c. III. et in Antifebr. Vind. **T.** II. diss. IV. c. VI. A Ballerinio de vi ac ratione Primatus c. XIII. §. XIII Ceterum dicta hoc loco ad eum duntaxat casum pertinent, quo judicium Concilii vel Episcoporum præcessit Pontificia definitio proprie talis. Aliis casibus Episcopi

libere utuntur potestate judiciaria, sic tamen, ut Concilia in causis majoribus, præsertim fidei confirmari debeant a Summo Pontifice. Præterea Episcopi non modo in controversiis fidei veri judices de doctrina sunt, verum etiam judices personarum errores veteres renovantium; et Apostolica Sedes adeo non impedit Episcopale hoc jus, ut potius desideret.

§. 121. Dictum est hactenus de causis divini juris. Sequitur disciplina. *Romanus Pontifex jure divino potestatem habet ferendi leges universales ad disciplinam Ecclesiæ pertinentes*, nempe ad cultum Deo præstandum, et sacros ritus, ad ordinationem et politiam cleri, ad ordinem regiminis Ecclesiastici, rectamque administrationem rerum Ecclesiæ temporalium. Probatio petitur ex Primatu Pontificio divinitus instituto, qui non solius honoris et directionis, sed veræ auctoritatis, potestatis et jurisdictionis vim et naturam habet. Traditionem manifestant Concilia œcumenica, cum de illo primatu agunt, sententiæ, sacri Canones, Canonum collationes, ipsumque corpus juris sacri. Testimonia de sensu sacræ antiquitatis recensui quædam in Isag. §.89. et seq.

§. 122. Hostes Pontificiæ auctoritatis eum primatum verbis agnoscunt, quia Catholico nomine gloriari volunt, ut scilicet gravius noceant Ecclesiæ; at re tollunt. Indicandæ sunt pravæ interpretationes, ac fraudes, quibus legislatoriam RR. Pontificum potestatem subvertere, atque eludere conantur. Febronius ait: Communiter agnoscitur, *quod, quamquam penes summum Pontificem solum legislatoria potestas respectu universalis Ecclesiæ non resideat, nihilominus in magna congregandorum generalium conciliorum difficultate condere possit leges generales, easque toti Ecclesiæ proponere observandas, non ante tamen vim habituras, quam communi consensu fuerint rece-*

ptæ Resp. falsum est, et Scripturæ, traditioni ac praxi repugnat *primo*, quod Pontifex jure ordinario, et per se ferre non possit leges universales; ut patet ex dictis. Falsum est *secundo*, quod leges ferre possit tantum *in subsidium* jure quasi extraordinario, nempe ex defectu præsentis Concilii generalis, et ob difficultatem illud congregandi; quia Primatus a Christo per se institutus est, tanquam officium ordinarium et perpetuum, non in subsidium Conciliorum. S. Petrus per se, et independenter ab auctoritate vel consensu Apostolorum constitutus a Christo fuit Fundamentum totius Ecclesiæ; ipse per se a Christo accepit claves regni cœlorum, et potestatem solvendi et ligandi; per se a Christo jussus est confirmare fratres, totumque gregem accepit pascendum.

§. 123. Ea, quæ a Febronianis Pontifici tribuitur, potestas leges universales Ecclesiæ *proponendi*, quæ vim non habeant, nisi *communi consensu fuerint receptæ*, est potestas *meri Directorii*, et tollit primatum veræ auctoritatis, et jurisdictionis; nam leges *proponere*, quæ vim habeant ab aliorum consensu, quivis potest, qui primum in Senatu, in Collegio vel Universitate locum tenet, etsi potestate et jurisdictione præditus non sit. Dein si *communis* consensus, quem Febroniani poscunt, etiam ad clerum inferioris ordinis et laicos extenditur, tollitur hierarchia ecclesiastica, et reducitur damnata Richerii doctrina, aut forte pejus aliquid: si ad Episcopos restringitur, subvertitur primatus jurisdictionis, cui ipsi etiam Episcopi subsunt.

§. 124. At inquies, sunt Doctores probi et Catholici non pauci, qui leges Pontificias, si promulgatæ speciatim in provinciis, et receptæ non

sint, vim et obligationem habere negant. Resp. Negant hoc ex presumto *defectu voluntatis* Pontificiæ, non item, ut Februniani docent. ex *defectu potestatis*; quasi Romanus Pontifex vi primatus obligare fideles *non possit*, nisi ipsi velint, aut ipsorum Episcopi consentiant. Hoc igitur de Pontificiis legibus, quæ ad disciplinam spectant, nec aliarum antea vigentium meræ declarationes seu authenticæ interpretationes sint, statui potest: *Si istiusmodi lux Pontificia speciatim in diœcesi non promulgetur, præsumi potest, Pontificem nolle obligare diœcesanos*, vel ipsum potius Ordinarium de difficultate legis hoc loco promulgandæ aut observandæ cum Sede Apostolica egisse aut agere, ut propterea ejus obligatio interea suspensa maneat.

§. 225. Dices: Hæc præsumtio nulla ratione nititur, et reipsa idem præstat, ac si cum Febronianis dicatur, leges Pontificias sine consensu Ecclesiæ vim nullam habere. Resp. negando utrumque; ac dico *primo*: Præsumptio est fundata in jure, quod Pontifex certis casibus Diœcesanos, quibus lex speciatim non promulgatur, ea obligari *nolit*; quia fieri potest, ut ob singularia locorum, temporum et personarum adjuncta, vel ob speciales locorum consuetudines, pravas aut non pravas, lex Pontificia in destructionem magis, quam ædificationem vergeret, majorumque malorum ac perturbationum causa existeret; ac tum ipsum Summum Pontificem non instare promulgationi vel observationi legis, docet jus sacrum. De prava consuetudine, quæ loco quodam invaluit, ait S. Gregorius M. nec a tali consuetudine averti possunt; *et ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne forte pejores existant, si a tali consuetudine prohibeantur*; ut enim ait *Sa-*

lomon. Qui multum emungit, elicit sanguinem. Can. 6. dist. 4. De consuetudine speciali locorum et personarum, quæ mala non est, statuitur. C. 1. h. t. in 6. fieri posse, ut Romanus Pontifex, *qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere*, eam ignoret (cum tales consuetudines *sint facti*, *et in facto consistant*): unde per novam constitutionem ei non censetur derogare, *nisi expresse id exprimat.* Similiter Alexander III. C. 5. de rescriptis ad Archiepiscopum Ravennatensem ita scribit; *Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerat insinuatione suggestum* (g). *Dico secundo.* Hæc sententia longissime distat a Febronianis erroribus; nam pertinet tantum ad leges disciplinæ, easque non mere declarativas, atque ad hypothesin specialium circumstantiarum et difficultatum; nec tollit, sed suspendit obligationem legis, quamdiu nimirum Summus Pontifex ea de re edoctus non insistit pro potestate sua promulgationi et observationi legis. At Febroniani idem extendunt ad omnes leges, ipsamque Pontificiam auctoritatem impugnant.

(g) Similia extant C.6. de præbendis; et C.10. de foro competente. Idem apertissime docet Benedictus XIV. de Syn. Diœcesana, L. IX. C.2. et 3. Eadem est Gallorum doctrina. Vid. Cabassut. Theor. et Prax. Juris Can. L.I. C.IV. n.5. Ratio est, quia Episcopus Diœcesanus, quantumvis auctoritati Sedis Apostolicæ maxime deditus, non pro mero executore Pontificiarum legum habendus est; cum ipsi etiam cura diœceseos regendæ, etsi cum hierarchica subordinatione, demandata sit.

§. 126. Negat præterea Febronius, Pontificem *novas* leges ferre posse, sed istiusmodi tantum, quæ ad conservandos antiquos canones, et tollendos abusus iisdem repugnantes pertinent. Resp. Nullo penitus jure, et nulla ratione Pontificia potestas adstringitur ad solos conservandos antiquos canones; non enim minor est Summorum Pontificum hac ætate, quam præcedente, potestas. Atqui Pontifices priorum temporum multas pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ novas tulerunt leges. Fieri potest, ac fit sane, ut nova prorumpant vitia, nova pericula, novæ fraudes, quibus per leges novas occurrendum est; uti conventiculis murariorum legibus nostra memoria promulgatis obsisti debuit.

§. 127. Scriptores novi, qui ad deprimendam Apostolicæ Sedis auctoritatem omni studio conspirant, sæpe argumentantur in hunc modum: Primatus Romani Pontificis ob conservandam unitatem in fide potissimum et communione a Christo institutus fuit; quæ est Patrum, omniumque auctorum communis sententia: ergo omne id, quod necessarium non est ad finem unitatis conservandæ, ad jura Primatus non pertinet. Hoc argumento Pontificiam auctoritatem in disciplina ordinanda, ferendisque de ea legibus vehementer concidunt; quià, inquiunt, salva unitate, disciplina varia esse potest pro varia temporum et locorum ratione. Eodem argumento omnem prope viam exercendæ in diœcesibus Pontificiæ auctoritatis præcludunt; quamdiu enim, ajunt, diœcesanus Episcopus officio suo non deest, Papa non habet, quod disponat in Diœcesibus; quia primatus ad unitatem conservandam solum pertinet. Si quis autem Episcopus desit officio suo, Papa defectum supplere potest jure vigilantiæ et conser-

vationis antiquorum canonum. Hoc igitur nixi sophismate, ipsique decepti pariter, ac decipientes alios imperitos, leviterque doctos Pontificias reservationes e. g. peccatorum, beneficiorum, causarum majorum plurium, stabilitatem item Apostolicorum Nuntiorum in provinciis degentium aliaque istiusmodi, tanquam primævæ institutionis primatus repugnantia, certe haud consentanea, impudenter criminantur (*h*).

(*h*) Tota hæc errorum labes ex lacunis Febronii hausta est; qui ita scripserat C. 2. §. 4. operis sui: ,, Cum ,, genuinum fundamentum ejusdem primatus in bono ,, unitatis Ecclesiæ supra §. 2. invenerimus; hinc pro ,, principio statuemus: *Omnia illa et sola esse primoge-* ,, *nia et essentialia jura primatus, sine quibus unitas* ,, *non potest servari.* ,, Nota: *Omnia et sola.*

§. 128. Respondendum nunc est adcurate, et conclusiunculæ fallacia detegenda. Primatus R. Pontificis ad conservandam unitatem a Christo institutus fuit, hoc est, ea plenitudo Pontificiæ potestatis, de qua ex Scriptura et traditione certo constat, per rationem intelligitur, hunc habere effectum, et finem, ut unitas Ecclesiæ conservetur, *concedo*; ex præsumto fine unitatis quoquo modo conservandæ primum ratione investigari, et seclusa Scriptura ac traditione decidi debet, quæ et quanta sit Pontificia potestas, *nego.* Adversarii perperam et præpostere agunt omnia in hac causa. Nam ex Scriptura ac traditione certe constat, in ratione atque idea fundamenti totius Ecclesiæ, in potestate omnia ligandi et solvendi, in collatione clavium regni cælorum, in jure confirmandi fratres, in officio pascendi agnos et oves, totum scilicet Christi gregem, contineri plenitudinem Pontificiæ potestatis, sive potestatem *plenam*, ut inquit Concilium Florentinum, et supra omnes

alias Ecclesias *ordinariæ* potestatis principatum, quemadmodum Concilium Lateranense ait. Hæc primo constant apertissimis Scripturæ verbis, certissimisque testimoniis perpetuæ traditionis. Ex his dein præmissis Sancti Patres et Doctores vi rationis concludunt, per illam, de qua constat, Pontificiæ potestatis plenitudinem necessārio effici debere, ut Ecclesiæ unitas firmetur et conservetur. Contra adversarii primo statuunt unitatis finem, nec attendunt, qua via et ratione, aut qua potestate unitatis finem obtineri voluerit Christus, sed ex fine quoquo modo, quem ipsi pro arbitrio definiunt, obtinendo, de potestate Pontificia disputant, atque ita ineptiunt, ut argumentari videantur hac forma: Plenitudo Pontificiæ potestatis data est pro unitate conservanda: unitas conservari potest sine illa plenitudine: ergo data non est plenitudo potestatis.

§. 129. Dicunt: Ad Romanum Pontificem, tanquam primum Pastorem, pertinet, supplere defectus inferiorum Præsulum, non vero ipsorum perturbare, et imminuere jurisdictionem; ergo ejus potestas ultra necessitatem conservandi unitatem, et antiquos canones, extendi non debet. Resp. dist. ad Romanum Pontificem pertinet, supplere defectus inferiorum, nempe supplere *ex officio*, *et plenitudine potestatis*, quæ alias præterea regiminis partes continet, *concedo*; supplere duntaxat *ex dispositione canonum*, et intra angustos fines, intra quos concessu canonum Metropolita supplet defectus suffraganeorum; *nego*. Pessime abutuntur adversarii exemplo Metropolitanorum, qui ex præscripto canonum, seu in casibus per canones definitis jus et facultatem obtinent, quidpiam disponendi in Diœcesibus, et de subditis suffraganeorum, in quos ce-

teroquin ordinariam et immediatam potestatem non habent. Potestas Romanorum Pontificum non humano canonum jure nititur, sed ex divina institutione cum ea *fontali plenitudine* dimanat, quam a Christo accepit; ita Gerson loquitur, qui adversariis suspectus esse non potest. Videant, obsecro, utrum ea, quæ ex Scripturis ac traditione de Pontificia potestate tanto numero et splendore præsto sunt argumenta ac testimonia, plus non indicent, quam facultatem supplendi extra ordinem defectus inferiorum Præsulum? Sumant ea testimonia atque argumenta præ manibus, et conferant cum hypothesi sua, quam in fraudem Divini Primatus et Apostolicæ Sedis jurium ex libris adversariorum ejusdem Sedis incauti adoptarunt; ac si forte in mentem ipsis veniat, Romanos Pontifices, qui multo ampliorem potestatem sibi asseruerunt, ipsoque exercuerunt opere, quam quæ ad supplendos tantum aliorum defecius spectabat, hos, inquam, Pontifices in causa propria sic loquutos esse, et sic actitasse; cogitent, quæso, adversarios Pontificiæ auctoritatis pariter in causa propria suæ hæresis, et schismatis loqui, scribere, calumniari, nec immunem a præjudicatis male opinionibus, atque inveterato in Apostolicam Sedem odio doctrinam in libris suis adferre posse (*i*). Ceterum siquid negotii agant Romani Pontifices in provinciis et diœcesibus Episcoporum orbis, id nequaquam fieri diminuendæ Episcopalis auctoritatis causa, sed studio communis boni Ecclesiæ, atque utilitatis animarum tum per se præsumendum est, tanquam de supremo Capite Ecclesiæ, tum locis suis singillatim demonstrabitur, quando de reservationibus, causis majoribus erit agendum.

(*i*) Ad id; quod dicunt, RR. Pontifices in causa propria loquutos, respondi in Isagoge. C. VI. §. 94.

§. 130. Dixi hactenus de Romano Pontifice, tanquam principio activo legum in causis fidei et disciplinæ. Consensu omnium ea potestas tribuenda est Conciliis generalibus, quatenus a Summo Pontifice confirmata sunt (*k*). Episcopi, et Synodi, œcumeica inferiores, condunt leges secundum limites suæ jurisdictionis, duplici nempe spectata subjectione, et *personarum*, quæ iisdem subjectæ sunt, et *causarum*, de quibus disponendi jus habent. Sequitur, ut leges non ferant in causis majoribus Papæ reservatis, nec contrarias juri communi, cui ipsi Episcopi, eorumque Synodi subjacent. c. 9. de M. et O. ibi: *Dummodo in ipsa Synodo non ducas aliquid statuendum, quod canonicis obviet institutis*.

(*k*) Prærogativa Episcopi Constantinupolitani, a Batribus Chalcedonensibus contra veterem disciplinam decreta, vim et robur diu non habuit; quia id a Sede Apostolica approbatum et confirmatum non fuit, frustra apud S. Leonem M. intercedente ipso Imperatore.

§. 131. Nova quorundam doctrina est, atque ad perturbandum ordinem hierarchicum, et disciplinam Ecclesiæ convellendam excogitata, qua Episcopos leges, juri communi contrarias, ferre posse asserunt. Sic enim objiciunt

I. Principes Imperii leges politicas, juri communi contrarias, ferre possunt. Ergo Resp. Quid Principes Imperii in politicis causis possint, id ex constitutione, et natura Imperii Romano-Germanici pendet: quid possint Episcopi Papa inferiores, eorumque Synodi particulares, colligendum est ex constitutione Ecclesiæ et Hierarchiæ divinitus institutæ, vi cujus ne dispensare quidem possunt jure *ordinario* et extra concessos casus

in generalibus legibus Ecclesiæ, ut infra probabimus.

§. 132. II. Utilitas et necessitas diœcesium exigit aliquando alias leges, aut veteri juri contrarias: ergo. Resp. Rarus admodum is casus est, nec a quovis Prælato inferiore decidendus. Dein quemadmodum ad incolumitatem corporis aut membrorum necesse non est, ut quodvis membrum quaslibet functiones utiles aut necessarias obire possit, modo in toto corpore sit membrum aliquod e. g. caput, vel oculi, a quo obeantur; sic existimandum est de Corpore Christi, quod est Ecclesia. Siqua utilitatis vel necessitatis causa emergat in provinciis, ob quam leges mutandæ videantur, ad Summum Ecclesiæ Caput recurri oportet.

§. 133. III. Nicolaus P. I. Can. 1. dist. 19. de Decretalibus epistolis ait, eas debere ab omnibus prorsus, in quibusvis opportunitatibus, *discretione vel dispensatione magistra*, reverenter assumi: ergo in observandis Ecclesiæ legibus discretio et dispensatio locum habet. Resp. Non ea profecto mens fuit Nicolai I., ac si docuisset, Prælatos inferiores discernere ac suo arbitrio decidere debere, quæ leges observandæ sint; secus non dixisset, eas *ab omnibus prorsus*, *in quibusvis opportunitatibus* reverenter assumendas esse. Sed cum varia Decretalium epistolarum genera sint, et aliæ speciales, aliæ generales habeantur, aliæ præcipiant, aut vetent, aliæ consulant duntaxat, aut quidpiam extra ordinem indulgeant, hinc discretione et prudentia opus in Decretalibus Pontificum epistolis in vim generalis legis assumendis (*l*).

(*l*) In hunc sensum cit. canonem recte explicat Joannes de Turre cremata in Decret. Gratiani.

§. 134. Præter Papam, Episcopos, eorumque Synodos, quibus potestas publica et rectoria in Ecclesia jure divino competit, quædam personæ ecclesiasticæ, physicæ et morales, ex dispositione canonum *potestate quasi episcopali* gaudent, quibus proin jus ferendi leges vi ejus potestatis tribuendum est, infra eosdem tamen, aut arctiores etiam limites, ac dictum est paulo ante. Istiusmodi personæ sunt Cardinales in titulis suarum ecclesiarum, Legati Sedis Apostolicæ, Capitula Cathedralia Sede vacante, Abbates, aliique Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem obtinentes, Ordines Religiosi sive per caput suum, sive per membra in Capitulo aut Congregatione suo capiti unita c. 7. de Statu Monachorum.

§. 135. *Statuta* sensu stricto vocantur, quæ ex speciali concessione, aut privilegio legislatoris, non autem jure legislatorio proprio conduntur, atque hoc modo differunt a legibus. Sed usus loquendi valde inconstans est; nam et *statuta canonum* appellantur, et *statuta provincialia*, seu leges a Statibus Imperii in suis provinciis latæ. Proprie autem id nomen pertinet ad statuta municipalia, localia, academica, capitularia; de quo ultimo genere ex hoc titulo notandum:

I. Statum Capituli vel Collegii, quod vergit in aliquorum commodum, et aliorum damnum, æquale jus habentium, censetur injustum, et irritum. c. 6. h. t.

II. Non valet statutum, quod in diminutionem divini cultus cedit; e. g. ut minor sit canonicorum numerus, et mjores singulorum reditus. c. 12. h. t.

III. Statutum etiam a Superiore confirmatum sine ejus consensu revocari potest tum, quando

directe et principaliter in cedit favorem eorum, qui ei renunciant, aut si per ejus revocationem reditur ad observandum jus commune. c. 8. h. t. Quia quævis res facile redit ad naturam suam, et consensus Superioris pro observando jure communi intervenire præsumitur.

IV. Statutis Capitularibus aliquando certus instituitur canonicorum numerus; idque statutum firmatur juramento canonicorum, et confirmari etiam solet Apostolica auctoritate; etsi autem hæc apponatur conditio, vel intelligatur apponi: *Salva Sedis Apostolicæ auctoritate*; non tamen istiusmodi statutis, nisi expressa eorum fiat mentio, per rescripta Apostolica derogari censetur. Casus extat c. 19. de Rescriptis, ejusque parte decisa.

V. Nonnunquam vi statutorum capitularium, aut consuetudinis pro obtinendis canonicatibus certæ qualitates præter jus commune requiruntur ut puta, ne ad canonicatus vel dignitates admittantur alii, nisi illustri sanguine procreati. „ Quod „ statutum (inquit V. C. Zech.) si a Sede Apo- „ stolica confirmetur, non est improbandum; „ modo his Nobilibus aliæ qualitates de jure com- „ muni requisitæ non desint. Unde Pontifex non „ admittit allegationem qualiscunque consuetudi- „ nis, nisi scilicet alligetur simul Apostolica con- „ firmatio (*m*). „

(*m*) De Hierarchia Eccl. Tit. XXIII. §. 261. In hanc sententiam eleganter disseritur c. 37. de Præbend.

§. 136. Jus ferendi Ecclesiasticas leges Principibus et Magistratibus politicis aliud tribui non potest, nisi ut legitime latas auctoritate Ecclesiastica imitentur, aut sequantur, eas firment potentia sua, ac protegant, atque executionem curent;

quemadmodum explicavi in Isagoge C. XI. Celebre est c. Ecclesia S. Mariæ. 10. h. t. ibi: *Nos attendentes* (inquit Pontifex), *quod laicis etiam religiosis* (id est, Religionis studio accensis) *super Ecclesiis et personis Ecclesiasticis*, *nulla sit attributa facultas*: *quos obsequendi manet necessitas*, *non auctoritas imperandi*, *a quibus siquid motu proprio statutum fuerit*, *quod ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem*, *nullius firmitatis existit*, *nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.* Desumsit hoc Innocentius III. ex Synodo Romana, sub Symmacho P. a. 502. celebrata, in qua cum recitata fuisset lex, quam Basilius, præfectus prætorio et Patricius, de rebus Ecclesiasticis Odoacris regis nomine post Simplicii obitum, vacante Sede, promulgaverat; omnes eam nullius roboris esse, ex indicata in cit. cap. ratione adseverarunt, quemadmodum Gratianus can. 1. dist. 96. refert. Hanc legem, tanquam latam a non habente potestatem, Symmachus suffragante Concilio abrogavit, et lege speciali alienationes rerum Ecclesiasticarum, de quibus agebatur, irritas declaravit, adjecta pœna excommunicationis; can. 20. XII. q. 2. et can. 1. XVII. q. 4. (*n*)

(*n*) Concil. Edit. Mansi. T. VIII. Col. 265.

§. 137. *Præter potestatem et jus ferendi leges*, *spectanda est causa*, *et materia potestati legislatoriæ subjecta.* Principi Politico subjacent politica, Ecclesiastico ecclesiastica; quales sunt causæ fidei, Sacramentorum, internæ honestatis morum, dein materia disciplinæ, tum liturgicæ de sacris ritibus, et exercitio Religionis, tum ejus, quæ ad ordinationem, politiam et functiones cleri, ad modum regiminis e. g. formam judicii quasi civilis et criminalis ad bonorum temporalium ad-

ministrationem pertinet. In his Apostoli, non imperatores aut præsides provinciarum, non Magistratus Judaicus, ipsa nascente Ecclesia, potestatem a Deo acceptam exercuerunt, quemadmodum singillatim ostendi C. III. Juris Eccl. Publici. *Nemini obscurum esse potest, quid apostolci et episcopalis, quid secularis et imperatorii sit juris; et ut uno rem absolvam: Episcopalis habeatur juris, quidquid ante Constantinum sub imperio gentilium perficiebant Episcopi. Neque enim tunc vel suspicio ipsos ulla afflare potest, quasi imperatoria jura invaserint* (o).

(o) Thomasin. Dissert. 3. in Synod. Nicæn.

138. Omnes leges circa humanas actiones, et negotia, tanquam materiam, versantur, eisque formam præbent, ex qua rectæ, pravæ, validæ, irritæ, censeantur. Quapropter regula est, eas ad futura duntaxat, non præterita pertinere negotia; *ne detrimentum ante prohibitionem possint ignorantes incurrere.* c. 2. et 13. h. t. Exceptiones sunt:

I. Nisi nominatim in eis (legibus) *de præteritis caveatur*; cit c. 13. h. t. quoad effectus scilicet pendentes. Consentit L. 7. C. de LL. Exempla hujus exceptionis extant L. ult. C. de pactis pignorum; nempe de lege commissoria pignorum, cujus irritationem ad præteritas pactiones extendi vult Imperator. Et L. 22. §. 1. C. de SS. Eccl. sed casus hujus legis ad exceptionem sequentem trahi potest.

II. Nisi lex, de cujus effectu quæritur, *sit mera declaratio vel authentica interpretatio legis prioris et antiquioris.* Talis enim non censetur nova lex, sed prior authentice declarata; unde locum habet id, quod Novella 143. prope fin. sta-

tuitur: *Quam interpretationem non in futuris tantummodo casibus, verum in præteritis etiam valere sancimus, tanquam si lex nostra ab initio cum interpretatione tali a nobis promulgata fuisset.* Exemplum extat Nov. XIX. et argumentum peti potest ex L. 21. §. 1. D. qui testam. fac. pos.

§. 139. Ad materiam legis referendum est id, quod Gratianus can. 2. dist. 4. ex S. Isidoro Hispalensi L. V. C. 21. Originum exscripsit: *Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civilium utilitate conscripta.* Lex igitur fere nititur *ratione*, desumta ex bono et fine communitatis, cui fertur. Multiplex autem *legum ratio* distingui solet, ceu *moralis*, *historica*, *legalis*; alia *suasoria*, quæ legislatorem reipsa permovit: alia *justifica*, quæ ab eo obtenditur: alia sufficiens, *insufficiens*, arcana. Sed talia ad politicas leges pertinent. Ecclesiasticas leges de indifferentibus ferri, nolunt Febroniani, id est, de iis, *quæ indifferenter se habent, et quibus non observatis minime salus periclitatur, vel observatis minime juvatur.* In his callida latet ambiguitas. Multi enim pro adiaphoris et indifferentibus habent, quidquid lege divina sub periculo æternæ salutis præscriptum non est, etsi idem maxime pium sit, sanctumque, ab ipso divino Servatore laudatum, a sanctissimis viris observatum, longoque usu confirmatum. Quid ergo? nihil ne præcipi aut vetari ab Ecclesia potest, quod non ante divina lege præceptum est, vetitumve? Hoc quidem modo innumeri canones generalium Conciliorum, et præcepta Ecclesiæ abolenda erunt: quasi Christus Petro et Apostolis eam tantum de-

disset potestatem, ut, quod in cælis ligatum est, ipsi ligarent in terris; et non adpromisisset potius, id in cælis ligandum fore, quod ipsi in terris ligaverint.

§. 140. Quærunt, utrum materia legum Ecclesiasticarum sint actus *mere interni*, id est, tales, qui nec per se, nec per accidens conjugi necessario debent cum actu externo; sive an Ecclesia legem ferre possit, quæ impletur *solo* actu interno. Vitandæ sunt captiones verborum. Hinc dico.

I. Jure divino præcepti sunt actus fidei, spei, caritatis, dilectionis item erga proximum; hæc præcepta sæpe impleri possunt solo actu interno; Ecclesia autem hoc jus divinum authentice declarare potest. Hinc ab Innocentio P. XI. damnata est propositio n. X: *Non tenemur proximum diligere actu interno formali*; et n. XI. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* n. XVI. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, et secundum se.* n. XVII. *Satis est, actum fidei semel in vita elicere.* Eodem pertinet præceptum negativum: *Non concupisces*; et: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo.*

§. 141. Dico II. Dum Ecclesia præscribit actum externum, eo ipso etiam præscribit internum, cum eo conjunctum. Nam 1. cum actu externo *per se* conjuncta est voluntas eum obeundi. 2. Ut actus externus suam naturam aut substantiam moralem habeat, requiritur internus, e. g. intentio in Sacramento, applicatione Sacrificii pro Parochianis, attentio in oratione. In his actus internus *concomitanter*, alii dicunt, *indirecte* præcipitur. Si lex præcepit actum externum, sola deli-

berata voluntas eam legem violandi; *consecutive* contra legem est. Sed quæro, an hæ sint istiusmodi leges, quæ *implentur solo actu interno?*

§. 142. Dico III. Quando Ecclesia authentice declarat doctrinam fidei, ejus definitioni præstandus est assensus *internus*, nec satisfit per obedientiam externam, quæ contradictionem externam vetat, nec per silentium obsequiosum. Sacrosanctum Concilium Tridentinum Sess. 13. in Decreto de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento *omnibus Christi fidelibus interdicit, ne posthac de sanctissima Eucharistia aliter credere, docere aut prædicare audeant, quam ut est hoc præsenti decreto explicatum atque definitum.* Quod de fide, et doctrina ab Apostolis annuntiata dictum est: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, Rom. X. 10., id eodem prorsus modo, eademque ratione pertinet ad fidem et doctrinam, ab Ecclesia fidelibus annuntiatam. Manet enim Apostolica missio: manet Apostolica Prædicatio: manet assistentia Spiritus Sancti. Non est hæc lex arbitraria Ecclesiæ: est lex divina et naturalis, quæ annuntianti divinam doctrinam præstari jubet assensum cordis et oris, eumque conspirantem. Falsæ Sectariorum hypotheses, quæ nullum agnoscunt infallibilem judicem controversiarum fidei, per se et natura sua faciunt hypocritas, quibus aliud interius sentire et credere, aliud exterius profiteri licet.

§. 143. Dico IV. Quævis lex, non Ecclesiastica tantum, sed civilis quoque, effectum habet internum, seu pro foro interno, imponendo obligationem, concedendo jus: sic administratio Sacramentorum, absolutiones, dispensationes etc. intus in animo operantur aliquid; sed

ob id dici haud potest, ab Ecclesia præcipi actus mere internos, aut ferri leges, quæ impleri possint *solo* actu interno.

§. 144. His præmissis videtur statuenda hæc Thesis: *Lex humana Ecclesiastica non potest præcipere actus mere internos; nisi forte determinando tempus, occasionem, frequentiam vel modum exercendi illos, qui jam ante præcepti sunt lege divina naturali vel positiva.* Prob. cum S. Thoma 1.2. q.91 art.4: *Homo de his potest legem facere, de quibus potest judicare; judicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus.* Quod fatetur ipse Pontifex c. 33. in fine et c. 34. de simonia. Non intelligitur potestas homini concessa a Deo, nisi quæ modo naturæ hominis accommodato exerceri potest (*p*).

(*p*) Civilem potestatem ad actus mere internos non extendi, fatentur passim. Quod ab Ecclesia censura ferri possit ob delictum mere internum, vix persuadet doctrina a P. Cardenas fuse tradita in Crisi Theol. diss. 34. Nam ut S. Thomas ait 1. 2. q. 100. art. 8. „ præceptum legis „ habet vim coactivam. Illud ergo directe cadit sub præ- „ cepto legis, ad quod lex cogit; coactio autem legis „ est per metum pænæ. -- Ad instituendam autem pæ- „ nam aliter se habet lex divina, et aliter lex humana. „ Non enim pæna infligitur, nisi pro illis, de quibus „ legislator habet judicare; quia ex judicio lex punit „ Homo autem, qui est legis lator humanæ, non habet „ judicare, nisi de exterioribus actibus: quia homines „ vident ea, quæ parent, ut dicitur I. Reg. *XVI*. sed „ solius Dei, qui est legis lator Divinæ, est judicare de „ interioribus motibus voluntatum, secundum illud „ Psal. VII. Scrutans corda et renes Deus. „

§. 145. *Juri ac potestati ferendi leges in causa seu materia subjecta respondet subjectio eorum, qui legibus parere debent*, sive principium aut subjectum activum, et subjectum passivum, tanquam bini relationis termini simul spectandi

sunt in legibus perinde, ac in aliis juribus; secus vim non habent leges; uti nulla est sententia a non *suo* judice lata, id est, ab eo, cui aliquis subjectus non est: nulla est vox activa seu jus eligendi, nisi tendat in eum, qui passive eligibilis est: nulla est ultima voluntas, nisi instituatur is, qui capere potest.

§. 146. Subjectum passivum legis est communitas, in cujus utilitatem fertur. Nam *jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* l. 8. D. de LL. Hinc lex maxime differt a præcepto, quod ossibus personæ adhæret, cui datum est; at lex adhæret communitati, seu districtui et territorio, quo communitas constringitur; et quamvis in communitate sint membra, quæ vi privilegii, exemtionis, aut ob alias causas non afficiantur lege, tamen lex vere dicitur communitati lata.

§. 147. In legibus ecclesiasticis distingui in primis debent *generales* latæ a Romano Pontifice, aut Concilio generali; et *particulares*, quæ provinciarum, diœcesium aut locorum propriæ sunt. Distinguunt etiam inter *vim directivam* legis, et *coactivam*: fieri potest, ut quis teneatur eo, quod lege Ecclesiastica humana præscriptum est; quia e. g. idem jure divino præceptum est, vetitumve; quin subjacet pœnæ et coactioni a lege humana constitutæ: talis, ajunt, obligatur vi directiva legis, non item coactiva; mallem dicere: obligatur lege materialiter, non item formaliter, id est, quatenus hac lege præscriptum est. Denique de legibus particularibus, quæ loci aut territorii finibus constringuntur, quæstio existit, utrum membrum comunitatis ceteroquin subjectum legibus, si extra communitatem et territorium, cui lex particularis affixa est, ver-

setur, lege lata pro communitate, adstrictum maneat: utrum eidem legi particulari obnoxii sint, qui ceteroquin communitatis membra non sunt, sed extrinsecus adveniunt, et territorium ingrediuntur; istorum alii dicuntur *advenæ*; alii *peregrini*, qui ipsi in duplici classe sunt; alii *vagi*; quod quidem discrimen a notione domicilii, vel quasi domicilii, pendet.

§. 148. *Domicilium* acquirere dicitur, qui loco quodam existens, vel eo reipsa perveniens, animum habet perpetuo ibi manendi, donec nimirum alia causa avocet (*q*). Acquiritur ergo non nuda voluntate, ejusve declaratione, sed voluntate seu animo, et facto simul; ut nempe locum jam attigerit, aut etiam rerum et fortunarum suarum sedem ibi constituerit (*r*): estque hoc Domicilium *verum*. *Quasi domicilium* appellatur, siquis uno loco, e. g. in patria, habens Domicilium verum, ad alium se locum transfert cum animo ibi manendi tempore longiore, e. g. pluribus mensibus, aut etiam annis. Fieri ergo potest, ut aliquis alio loco habeat domicilium verum, alio quasi domicilium: imo ut aliquis in binis locis habeat verum domicilium: e. g. si æquali prope anni tempore et pari animo commoretur utroque loco: aut binis locis habeat beneficium stabile, I. 6. §. 2. D. ad municipalem. ibi: *Viris prudentibus placuit, in duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit, ut non minus apud alteros se locasse videatur.* Adde l. 27. §. 2. ib. c. 2. de sepulturis. in 6. Quemadmodum autem nullum acquiritur domicilium, nisi animo et facto; quod aperte decisum est l. 20. D. ad Municipalem: ita concludunt Auctores, illud non amitti, nisi per utrumque, scilicet per discessum actualem cum animo

non redeundi. Dicta pertinent ad Domicilium *habitationis*; quod aliquando etiam *accidentale* et *adscititium* vocatur; aliud est *naturale* vel *originis*, nempe locus, in quo quis oriundus vel natus est, si pater ibi Domicilium habitationis habuit. In jure Romano l. 33. D. ad Municipalem dicitur: *Roma communis nostra patria est.* Et c. fin. de for. comp. *Omnium Ecclesiarum mater et magistra dicitur.*

(q) L. 7. C. de incolis, et ubi quis Dumicilium. Ibi: „ Incolas -- domicilium facit; et in eodem loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet. „

(r) L. 20. D. ad Municipalem. l. 5. in f. et l. 15. D. de captivis. l. 2. C. ubi senatores. Ceterum hæ notiones magno usui sunt tum hoc loco, tum ubi agitur de foro domicilii vel quasi: de parocho proprio in causa matrimonii contrahendi, vel sepulturæ.

§. 149. Hisce prælucentibus notionibus *advena* existimatur is, qui extra patriam suam alibi figit domicilium cum animo, ibi manendi perpetuo, si nempe causa non avocet improvisa. Sic quidem advena opponitur indigenæ. *Peregrinus* dicitur in loco, ubi ad tempus moratur extra verum domicilium, cum animo tamen eo redeundi. Peregrinos in duplicem dividendos classem dixi; vel enim extra locum veri domicilii alibi morantur tanto tempore, ut *quasi domicilium* censeantur ibi acquirere, vel ut ne *quasi domicilium* quidem acquirant, uti si iter facientes loco quopiam transeant cito discessuri. Ad acquirendum etiam quasi domicilium et animus et factum requiritur. *Vagi* appellantur, qui nullibi verum Domicilium habent, et fixam sedem, aut relicto

domicilio aliud inquirunt. l. 27. §. 2. D. ad Municipalem.

§. 150. Hac facta personarum, et legum universalium et particularium distinctione, duæ sunt præcipuæ de subjecto passivo legum decisiones:

I. Legibus universalibus Ecclesiæ tenentur omnes, qui per Baptismum Ecclesiam ingressi, sive eidem subjecti sunt; nec vero contumacia, rebellio contra Ecclesiam, id est, defectio a fide Catholica, aut a Communione Catholica (in qua defectione crimen hæresis et schismatis consistit) a subjectione et obligatione quemquam eximere aut liberare potest; cum præsertim vitium defectionis nullo pacto aut cursu temporis possit sanari. Secus est de infidelibus, seu non baptizatis (*s*).

(s) I. Cor. V. 12. c. gaudemus 8, de divort. SS. Concil. Trid Sess. XIV. c. 2.

§. 151. II. Ut quis obligetur legibus particularibus provinciarum, diœcesium, locorum, in regula duo requiruntur copulative, 1. ut sit in territorio, 2. ut de territorio, hoc est, ut versetur in communitate, cui lex affixa est, et sit membrum ejus communitatis. Hinc c. 2. h. t. in 6. deciditur, statuto Episcopi non ligari ejus subditum, qui extra diœcesin versatur; et c. 11. de sent. excom. eodem statuto non ligari exterum, Episcopo non subditum, etsi ejus diœcesin ingressus sit. Ratio est, quia lex pro bono rectoque ordine communitatis fertur, non autem in singulas personas, ut supradictum est; sphæram ergo activitatis suæ communitati ejusve districtui alligatam habet, neque ultra protenditur. Nam,

ut dicitur cit. c. 2. in 6. *extra territorium jus dicenti impune non paretur* (*t*).

(*t*) Hoc est jurisdictionem extendenti ultra terminos, quibus eadem constricta est. Atque hoc sensu istuc axioma juris refertur ad subjectum passivum extra territorium existens. At Clementina Unic. de foro comp. idem dictum refertur ad subjectum activum, quando versatur extra suum territorium; e. g. Episcopus extra suam diæcesin degens jus dicere non potest, nisi in casu excepto per cit. Clementinam.

§. 152. Duplex ergo, cum de particulari quadam agitur lege, existit quæstio: 1. Utrum ea teneatur subditus, e territorio, cui affixa est, egressus: 2. utrum teneatur non subditus in illud territorium ingressus? Subditus e territorio egressus et physice absens censetur *præsens moraliter*, si culpa ab illo commissa, aut datum damnum, vel omissio actionis præscriptæ in ipso territorio contingunt, uti si vocatus ad synodum non comparet, si in beneficio non residet, mandatis avocatoriis non paret. Dein alia est ratio præceptorum; alia vero legum: item alia subditorum, alia illorum, qui superiori adstricti sunt vinculo personali, ceu liberi parentibus, religiosi prælatis, uxor marito, milites duci suo vi sacramenti militaris.

§. 153. Non subditus territorium ingressus ita, ut nec domicilium, nec quasi domicilium acquirat, fit subditus *temporarius* per ipsum ingressum quoad leges pro ejusmodi peregrinis constitutas, aut ratione contractus, delicti forte commissi, vel rei sitæ, verbo, quatenus forum sortitur in territorio; quia a pari procedunt, forum sortiri, et statutis ligari (*u*). Dicunt: Præsentia perpetua in territorio operatur subjectionem perpetuam: ergo temporaria temporariam. Resp. n. c. subjectio perpetua vel longior e g. annorum 10

ex præsumtione juris operatur domicilium; domicilium vero ex dispositione juris operatur subjectionem erga leges particulares; at vero transitus per territorium, vel solus ingressus nec domicilium, nec quasi domicilium tribuit.

(u) Sperellus Decis. X. fori Ecclesiastici n. 41. Card. Tuscus lit. F. Concl. 444.

§. 154. Dispensationes aut relaxationes legum generalium Ecclesiæ aliquando particulari territorio conceduntur, cum aliis locis leges illæ vigeant; ac tum peregrinum forte transeuntem favore aut privilegio illius loci uti posse, non ambigunt, etsi in loco sui domicilii legem servare deberet. Sed quærunt, utrum declinandæ legis causa territorio suo egredi licite quis possit? Resp. non potest, si alia egrediendi non subest justa causa, nisi ut legem declinet, seu potius legi illudat. Quid est enim in fraudem legis agere, si hoc non est? Fraus *enim legi fit, ubi, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit; id fit.* l. 30. D. de Legibus. Porro legislator spectata litera legis non vetuit egredi; at noluit certe ex hac tantum causa, ut lex servantibus salutaris impune a socordibus eludi possit. Qui legem Concilii Tridentini contra matrimonia clandestina evitaturus ad alium locum accedit, ubi ea lex promulgata non est, ibique clandestine contrahit, inutiliter agit; ita declaravit Urbanus VIII. Clemens X. in const. *Superna magni patrisfamilias* edita a. 1670. §. 7. decidit, posse regularem confessorem in ea diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesin pro absolutione obtinenda migrasse. Adeo fraus, quæ in utroque

casu pro fundamento declarationis assignatur, nemini patrocinari debet, nequidem si de valore actus agitur, quod plus est; multo etiam minus, si agitur de honestate et licentia.

§. 155. Adversarii illud perpetuo oggerunt: Quivis habet jus egrediendi saltem ad tempus é suo domicilio; *nullus* autem *videtur dolo facere, qui utitur jure suo.* l. 55. D. de R. J. Respondeo 1. quid ergo? valebit in datis exemplis matrimonium clandestine contractum, et absolutio in extera diœcesi obtenta? 2. Honestas et licentia actionis non ex sola libertate et jure agendi, sed præterea ex motivo et circumstantiis pendet. Motivum autem legis per fraudem declinandæ honestum non est, nec a lege eximit.

§. 156. Dicunt præterea: Filius patrem rogare potest, ut pœnam irrogatam remittat, aut datum præceptum revocet; quo facto liberatur. Sic qui egreditur, medium non malum adhibet, ut a lege immunis fiat. R. At pater sine justa causa nec pœnam remittet, nec præceptum revocabit. Quidquid sit; dispensatio aut relaxatio legis generalis sine justa causa nec licite peti, nec licite concedi potest; justa autem causa relaxandi legem e. g. jejunii non est, ut genio suo indulgere possit subditus.

§. 157. Lex, inquiunt, territorio adhæret, ex quo egressus est subditus, et in loco, ad quem accessit, non obligat. R. Lex territorio adhæret; at obligatio non eludendi leges per fraudem adhæret ossibus ac medullis personæ; uti qui dolo desiit possidere, aut qui rem alienavit judicii mutandi causa, adhuc possidere censetur; sic qui per fraudem legi illusit, ubicunque versatur, lege con-

stringitur. Finge, si vis, civem Ninivetanum, cum indictum esset jejunium lege publica, et incolæ saccis se vestirent agendæ pænitentiæ causa; ut molestiam evitaret, urbe tantisper egressum fuisse; aut in memoriam revoca parabulam Luc. XIV. v. 16. de invitatis ad cœnam, quibus juste indignatus est paterfamilias, etsi causas minime inhonestas obtenderent;at nempe non ita urgebant objectata negotia, ut humanitati patrisfamilias recte illuderent, ejusque expectationem frustrarentur. Nunquid enim aliud supererat tempus, quo primus villam inspiceret, alter juga boum examinaret, tertius cum uxore confabularetur, quam duxerat jam, et ob cœnam amissurus non erat? Quid? siquis prænoscens, se vocandum esse ad judicem, ut testimonium ferat, adversario respondeat, rationem gestæ administrationis reddat, eo ipso tempore discedat, aut se occultet? Quid? si prævideat quis, nisi matutinis horis ad Sacrum accedat, aut canonicas horas recitet, postea vel copiam Sacrificii vel tempus recitandi pensi defuturum; juste differet ea solum de causa, quod lex horam non definiat, nec dilationem vetet? Quis vel pueros fert Magister, qui, cum doctrinæ specimen præbere debeat, eo ipso tempore medicinam sumant, aliave ponant obstacula? Appello ad bonas mentes, non dissolutas, nec feminea corruptas astutia, utrum obscurum esse possit his expensis, quid sit agere in fraudem legis?

§. 158. De subjecto passivo legum alia superest controversia, utrum ne ipse Princeps et Legislator obligetur legibus suis, ut idem sit principium seu subjectum activum, et passivum legis? In thesi respondendum est *negative*: Legislator legibus *suis*, quæ nempe et quatenus vim obli-

gandi a voluntate et potestate legislatoris habent, non obligatur. Est enim principium generale, ratione cognitum, quod extat in jure Romano: *Neque enim imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest* (*x*).

(*x*) L. penult. D. de receptis, qui arbitrium. Addendum: neque se voluntate sua inhabilitare, sive ad agendum inhabilem reddere quisquam potest. Inhabilitates et nullitates actuum vel ex principiis juris naturalis. aut ex lege Superioris, aut ex translatione juris in alios oriuntur.

§. 159. Thesis et regula mox demonstrata exceptiones habet non paucas.

I. Optimates in aristocratia, et singuli patresfamilias in statu democratico legibus a collegio Optimatum, vel toto populo latis sine dubio obligantur; quippe quæ vim obligandi non a singulis, sed universis habent.

§. 160. II. Quando imperans jure privati agit emendo, contrahendo etc. stare debet pr tiis rerum lege positiva taxatis. Si fiscus Principis lite implicatur cum subdito, ipsæ Principum leges statuunt, ut judices in subditum magis inclinentur, et æquitatem causæ penes hunc esse præsumant (*y*). Ex testamento imperfecto nec Princeps hæreditatem capit, vel legatum (*z*).

(*y*) L. 10. D. de Jure fisci. L. Un. §. 14. C. de Caducis tollendis. De Marco Antonino, dicto Philosopho, Julius Capitolinus in vita testatur, quod fisco in causis compendii nunquam judicans favit. Eandem ob causam Trajanum imp. laudat Plinius in Panegyr. §. 36. et Cassiodorus Variar. Lect. L. 1. ep. 22. Theodoricum, Gothorum regem.

(*z*) L. 23. D. de legat. 3. et l. 4. c. ad leg. falcidiam.

§. 161. III. Si Princeps aut ejus antecessor cum subditis vel extraneis pactum iniit, necesse habet fidem servare, et jus translatum servare illæsum. Id poscit jus divinum naturale. Nec dici potest, *antecessorem non potuisse præjudicare successori*, nisi aliunde vitio laboret pactum, quia dignitas Principis, quæ in ejusmodi pactis maxime spectatur, non censetur mori vel exingui. Nec contra observationem pacti facile locum habet *exceptio manifestæ utilitatis aut necessitatis publicæ*; quia ad publicam tranquillitatem nihil utilius, nec aliud quidquam magis necessarium est, quam observatio pactorum, datæque fidei.

§. 162. IV. Siqua est lex quoad materiam aut substantiam naturalis, aut divina positiva, quæ ex dispositione humana solam habet sanctionem pœnalem, aut determinationem temporis, modi vel quantitatis, ad eam observandam legem Imperans certe obligatur; secus legi non satisfacere divinæ. Nonnulli generatim ita disserunt: Lex lata ex motivo certæ virtutis, ceu religionis, caritatis, temperantiæ, honestatis morum, hanc vim habet, ut actus positivus aut negativus constituatur in materia necessaria ejus virtutis relate ad totam communitatem: cumque imperans communitatis membrum sit, idque præcipuum; lege obligabitur, non qua subditus, sed qua membrum communitatis. Quidquid sit de vi hujus argumenti, certum est, præter obligationem ex jure imperii et subjectione ortam, aliam distingui debere, ex altioribus juris naturalis principiis provenientem, ceu ex servanda æquitate, præbendo virtutis exemplo, vitando scandalo et contemtu legis (*aa*).

(*aa*) C. 6. h. t. ibi: Cum igitur, quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eo, et sapientis dicat

auctoritas: Patere legem, quam tu ipse tuleris etc. Can. 2. dist. 8. turpis est omnis pars, suo universo non congruens. Trid. Sess. 24. C. 1. de ref. Totius familiæ domini status et ordo nutabit, si, quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Ceterum quod l. 4. C. de Leg. dicitur, „ Digna vox majestate regnantis est, legibus se „ alligatum Principem profiteri; " id speciosius, quam verius dictum putant; quamdiu enim Romani Principes (inquit Heineccius ad Pandectas P. I. §. 37.) tyrannidis suspicionem aversabantur, hoc libertatis simulacro illudebant civibus, ut se legibus teneri præ se ferrent, quippe non a se, sed a populo, senatuque latis.

§. 163. V. Non tenetur utique Legislator sanctione pœnali, quam legi adjicit; hinc ejus obligationem internam dicunt, non externam; nec adstringitur ad formalitates actibus subditorum præscriptas; ac si ipse omissis solemnitatibus gerit actum, jure supremæ potestatis censetur agere(*bb*). De solemnitatibus testamenti ab ipso Principe confecti, egi in Jur. Nat. Publico §. 264. lit. c.

(*bb*) L. 8. De manumissis. L. 3. D. de officio Præt. C. 1. de Temporib. ordinat.

§. 164. *In notione legis continetur ejusdem promulgatio*, quæ est actus, quo communitas venire potest in notitiam ejus, quod rationabiliter ordinatum est; idque contingit variis modis, ceu voce præconis, programmate publice affixo, literis Apostolicis, misso codice ad judices, vel ad scholas, convocata Synodo, ac lege ibidem prolata. Ejusmodi promulgatio ad vim et rationem legis omnino necessaria est, ita, ut nondum censeatur existere lex, quamdiu promulgata non est, etsi conclusa sit in senatu, vel a Principe in præsentia ministrorum decreta (*cc*); nam lex est locutio Principis ad communitatem, et pro *forma* habet actum publicum, ad subjectam communi-

tatem directum: uti citatio et sententia judicis non intelligitur, nisi per actum, quo vocati in judicium, aut litigantes mentem judicis cognoscere possunt. *Attributum* a Philosophis dicitur id, quod rationem sufficientem in essentia rei habet. At voluntas legislatoris sine promulgatione rationem et essentiam legis non habet; igitur promulgatio non est attributum legis; sed recte ab Jurisconsultis *legis forma* dicitur; quia, ut ajunt, forma dat esse.

(cc) L.9. C. de LL. ibi: „ Sacratissimæ leges, quæ „ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus „ debent, ut uiversi præscripto earum manifestius co- „ gnito vel inhibita declinent, vel permissa sectentur." Adde Gratian. can. 3. §. leges dist.4. Hæc ad leges proprie dictas pertinent. Nam constitutiones speciales, mandata, privilegia, rescripta gratiæ vel justitiæ, satis est, si innotescant ei; ad quem pertinent. c. 1. v. nec obstaret. de concessione præbend. in 6.

§. 165. Dubium movetur aliquando de Pontificiis legibus, utrum sufficienter promulgatæ sint; respondeo:

I. Necesse non est, ut lex singulis subditis intimetur, aut singulis particularibus locis publicetur c. 1. de postul. prælat. satis est, si *solemniter editur*, *aut publice promulgatur*; quæ sunt verba æquipolentia.

II. Promulgatio, quatenus ad vim legis omnino necessaria est, distingui debet a singularibus mediis a legistatore præscriptis, ut, quantum fieri potest, lex singulis proponatur, explicetur, commendetur, in memoriam revocetur. Exemplum extat c. omnis. 12. de pœnit. et remiss.

III. *Expressa fit* promulgatio per actum publicum, quo communitas in notitiam legis venire potest: *Tacita* per usum et consuetudinem, quæ vim legis habet.

IV. Promulgatio, præsenti communitati facta, censetur perdurare, et pertinet etiam ad posteros; quia communitas non moritur.

§. 166. Si lex Pontificia Romæ promulgata est, publicoque affixa loco, quæritur, utrum in provinciis et diœcesibus promulgari debeat; ut illic obliget? Auctor Principiorum Jur. Publ. Ecclesiastici catholicorum C. V. §. 49. ait: Solemnitas promulgationis Romanæ stat in eo, quod Papales constitutiones publicentur in curia, affigantur in acie campi Floræ, et ad valvas Basilicæ Apostolicæ, nec non in cancellaria Apostolica pro publicatis declarentur. Hunc promulgationis modum cit. auctor consilio politico Italicorum tribuit: *Sciunt enim*, inquiens, *Itali*, *multis eorum bullis denegari promulgationem a Principibus et Episcopis potentioribus*, *quos desuper requirere parum censent onorificum.* Similiter scribit Febronius refutatus ab Antifebronio T. III. L. II. C. III.

§. 167. Respondeo: I. Non illud videndum est, quid fiat a Principibus et Episcopis potentioribus, sed utrum *jure* fiat; et utrum fideles, quibus tenor Romanæ constitutionis certo innotuit, tuta conscientia eam negligere possint hac solum de causa, quod in diœcesi omissa sit promulgatio.

II. Diversi esse possunt actus externi, per quos Legislator suam voluntatem manifestat; hinc generalis est regula juris publici universalis: Ad

legislatorem pertinet definire modum et formam promulgationis: neque is ad certam formam a subditis adstringi potest.

III. Tres causæ assignari possunt, ob quas, præter Romanam promulgationem Pontificiæ legis; diœcesana requiritur: *Primo* quia ob distantiam locorum fieri non potest, ut ex sola promulgatione Romana ad omnes fideles certa notitia legis perveniat. *Secundo* quia summus Pontifex justis de causis *non vult* obligari fideles, in quorum diæcesibus promulgatio non repetitur. *Tertio* quia fideles ad servandam legem obligare *non potest*, nisi Principes et episcopi diœcesani legi Pontificiæ *consentiant*, eumque consensum sua promulgatione significent.

§. 168. Primam causam, ob quam necessaria dicitur diœcesana promulgatio, assignat auctor Princip. loc. cit. inquiens: *Cum Roma, ubi conduntur Papales constitutiones, immense distet ab Ecclesiis Indiæ, Africæ et Americæ, ac Septemtrionis, ad oculum patet, promulgationem Romæ duntaxat factam, utut solemnis esset, ex ipsa natura rei et disproportione locorum haud sufficere; sed requiri, ut fiat in singulis diœcesibus, imo parœciis.* Resp. Nemo ita ineptit, ut physicum actum promulgationis Romanæ sufficere dicat ad obligationem eodem die in quavis remota regione inducendam; sed requiritur nempe lapsus temporis, intra quod Romana promulgatio exteris innotescere potest, quod facile obtinetur tum per ministros Principum et agentes Episcoporum Romæ commorantes, tum missis Apostolicis literis, ac per frequens commercium urbis et orbis. Labente eo tempore ad fideles universi orbis loqui censetur Romanus Pontifex per promulgationem

Romæ sanctam, quæ, sicuti sonus, successive in remotoria loca propagatur. Secundum leges etiam civiles Romanas provinciæ et civitates reliquæ ad ea jura, quæ in capite omnium civitatum, scilicet in regia urbe, observantur, respicere jubentur. §. 7. I. de Satisdationibus et l. 3. §. 5. D. de sepulcro violato (*dd*). Ceterum si lex fideles etiam rudes tangit, ejus juridica promulgatio utique distingui debet ab explicatione, et commendatione legis. Illa spectatur tanqnam actus legislatoris: hæc ad officium doctorum, concionatorum et parochorum pertinet.

(*dd*) Conf. Leyser Medit. ad Pandect.Spec.VII. §.II.

§. 169. Siqnis Contenderet, quod pro tertia causa promulgationis diœcesanæ propositum fuit, Pontificias leges sine consensu fidelium, aut inferiorum Præsulum vim obligandi omnino non habere; is destrueret sane Primatum jurisdictionis Pontificiæ, et subjectionem, debitamque obedientiam singulorum fidelium, quam solemni juramento profitentur Episcopi universi orbis.

§. 170. Dici igitur potest, *si lex Pontificia generalis; Romæ promulgata, in provinciis speciatim non promulgetur, subditos ab ejus observatione regulariter excusari ex præsumta voluntate Summi Pontificis non urgentis observationem in provinciis*. Hæc præsumtio fundatur in jure (§. 125.); et quia Episcopi non pro *meris* executoribus Pontificiarum legum, sed pro veris pastoribus, debita potestate præditis, habendi sunt, a quibus Deus de commissis a se ovibus rationem exiget. Duæ sunt hujus theseos exceptiones:

I. Si lex Pontificia est mere declaratoria vel juris divini, vel disciplinæ antea vingentis; talis enim non eget speciali promulgatione.

II. Si in hypothesi alterius legis, dictæ præsumtioni obstat contraria et rationabilis voluntas Ecclesiastici legislatoris; quia omnis præsumtio cedit veritati certo cognitæ.

§. 171. *Vis et effectus legis promulgatæ est obligatio et jus*, quod in subditis producit, si nempe concurrant ea, quæ de jure et principio activo, de materia et cummunitate subjecta dicta sunt. Ea obligatio afficit conscentiam, et ad forum tam internum, quam externum pertinet, ex principiis juris divini tam naturalis, quam positivi. Non quod lex Ecclesiastica ligat in terris, censetur ligatum in cælis; et Paulus Rom. XIII. potestatibus parendum docet non tantum *propter iram*, *sed etiam coscientiam*. Nam qui præsunt, *ministri sunt Dei*. Adde Prov. VIII. 15. Sap. VI. 4. I. Petr. II. 13.

§. 172. Uti lex duas continet partes, directionem et coactionem; sic utrumque operatur, et transgressorem facit reum culpæ et pœnæ; unde reatus culpæ et pœnæ nomen habet. Aliquando lex effectum moralem ex voluntate legislatoris per se ipsam producit sine alio actu vel ministerio hominis, aut judicis. Sic dicitur aliquando pœna ipso jure incurri sine sententia condemnatoria: dominium ipso jure transferri: donatio per mortem donantis ipso jure confirmari: obligatio ipso jure extingui. Tanquam effectus legis spectari etiam possunt actiones judiciales, certis negotiis adcommodatæ; itemque ut res per legem præcepta, si natura sua

indifferens est, fiat bona; prohibita vero mala: unde nec jurata promissio valet faciendi contra legem etiam mere positivam; secus in eodem subjecto, et quoad eundem actum concurrerent, ex promisso quidem obligatio, adeoque et facultas facendi id, quod promissum est, et ex lege obligatio, id non facendi. Quæ duo non minus pugnant, quam *necesse*, *et impossibile*; vel *possibile et impossibile.*

§. 173. Auctor Princip. loco supra cit. agens de promulgatione legum ait: *Distinctiones obligationis in actu primo*, *et secundo*, *per se et per accidens - facile explodunter.* At quod contemtores Scholasticorum explodunt, non continuo confutare possunt. Dico: Distinctio obligationis in actu primo et secundo rejici et juste explodi non potest. Lex obligat *in actu primo*, quatenus virtutem et vim completam habet, ut actiones eidem tamquam normæ conformentur: obligat *in actu secundo*, quatenus operantes legem cognoscunt, eoque statu sunt, ut legi parere possint, debeantque. Fieri potest, ut, etsi lex communitati promulgata sit, subditus aliquis eam invincibiliter ignoret; quia consensu omnium juris saltem positivi possibilis est ignorantia. Hoc casu is subditus obligatur in actu primo; quia lex completam vim obligandi habet: non obligatur in actu secundo; quia legem sine culpa ignorat. Quemadmodum enim causa naturalis et necessaria requirit applicationem, ut vim, quam habet, in actu secundo exerat: ita lex per notitiam applicari debet, ut obligationem in actu secundo producat. Aliud est, per se non obligari lege; aliud, ab ejus observatione per accidens excusari. Bestiæ non subjacent legibus ne quidem in actu primo; infantes nec

in actu primo obligantur legibus humanis, quæ certæ ætati feruntur; at ligantur legibus naturalibus et divinis, etsi per accidens deficiat libertas et intellectus: sic dormientes, amentes, furiosi obligantur in acto primo, quatenus lex ad ipsos pertinet; non item obligantur in actu secundo. Diversa ergo hæc sunt; lege non obligari et affici omnino, et ab ejus observatione excusari in actu secundo.

§. 174. Quemadmodum causa necessaria et naturalis effectum mox producit, cum applicata est: ita lex statim obligat, ac promulgata fuit, nisi ipsamet certum tempus exprimat, a quo vigere et quodammodo operari incipiat. Tempus hoc intermedium a Veteribus dictum est *vacatio* (*ee*); Ceterum de jure civili etiam antiquo lex vires obtinuit ex ea die, qua promulgata est l. 65. C. de decurionibus.

(*ee*) Sueton. in Auguste c. 34., ubi agit de triennii vacatione civibus data ob legem Juliam de maritandis ordinibus; quam vacationem Dio l. LVI. pag. 66. eleganter vocat *tempus ad præparandum datum*.

§. 175. Petrus de Marca L. II. C. XV. Concord. cum aliis nonnullis Doctoribus objicit Justiniani Novellam 66., cujus hæc est rubrica: *Ut factæ novæ constitutiones post insinuationes earum, post duos menses valeant*. Cum igitur secundum receptam regulam, sacri Canones, si in contrarium nihil statuant, sequantur jus civile (*ff*) id ad leges etiam Ecclesiasticas applicandum est. R. Rubricæ Novellarum cum a privatis collectoribus adsutæ fuerint, vim legalem non habent; ac manifestum est sane, a Justiniano illum terminum duorum mensium non pro generali regula, sed singulari casu Testamentorum, de quibus in ea Novella agitur, constitutum fuisse: ne scilicet

si illico a promulgatione lex valeret, multi Testamentis caderent, ut ait. Edita fuerat illa Novella anno 538. In Novella 116. edita an. 541. adeoque posteriore, triginta dierum terminum præfigit. In alia itidem posteriore Novella 58., quæ certe edita non est ante an. 546. trimestrem paritionis terminum statuit. Sic Bonifacius VIII. possidentibus duo beneficia curata ad alterutrum dimittendum unius mensis spatium concessit c. 32. de præb. in 6. SS. Concilium Tridentinum legem matrimonii, sub præscripta solemnitate celebrandi, ad 30. dies post factam in singulis parochiis promulgationem suspendit, Sess. 24. c. 1. de ref. matr. Nulla igitur nec in sacris, nec politicis legibus de suspendenda vi legis promulgatæ generalis extat regula; et siqua olim extitisset, ea contrario usu utriusque fori dudum fuisset abolita, vi cujus, si lex ipsa terminum non differt, ea mox vim habet, et transgressores pœnæ subjicit, ut hoc quoque loco verum sit: Initium fervet.

(*ff*) Conf. in Isag. §.170. et can.7. dist.10.

§. 176. Multi antiquiores decepti legibus Romanis, ad statum democraticum pertinentibus, pro inducenda obligatione legis, consensum, receptionemque subditorum requirunt. Similia scripserat Petrus de Marca cit. L. II. c. XV. et XVI. At in secunda præfat §. VI. sic declaravit mentem suam, *nec legibus ecclesiasticis, nec secularibus seu publicis subditos obstringi, donec tacito vel expresso consensu receptæ fuerint: ad eum vero consensum adhibendum subditos ex officio teneri juxta præscriptum juris divini, nisi leges eorum commodis aperte officiant.* Sic igitur videtur statuendum: Leges vim habent ab auctoritate et potestate legislatoris; at si nunquam in usum deducantur, aut

contrarius usus publice invalescat, eam vim amittunt, non sine consensu saltem tacito legislatoris; hinc usus et observatio ad stabilitatem legis utique requiritur secundum illud apud Gratianum can. 3. dist. 4. *Leges instituuntur, cum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium approbantur.*

§. 177 De vi et effectu legum hactenus tractatum est gereratim; nunc seorsum spectandæ sunt.

I. *Leges præceptivæ sunt*, quæ actum positivum præcipiunt, si sint *affirmativæ*: prohibent, si *negativæ*. Earum effectus per se est obligatio pro utroque foro; ex obligatione autem agendi, vel omittendi recte infertur jus seu facultas moralis, itidem agendi vel omittendi; uti si pastor obligatur vigilare gregi, jus habet eundem inspiciendi, seu visitandi. *Non enim potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et pastor nescit.* C. 10. de R.J.

§. 178. II. Ad leges præceptivas, quæ actum prohibent, accedunt *pœnales*, quæ duplicis sunt generis, aliæ *mixtæ*, quæ simul prohibent sub culpa; aliæ pure *pœnales*. Priores sunt hujus tenoris: *Non facies; et si feceris, hanc pœnam dabis*; posteriores hanc continent sententiam: *Aut non facies, aut pœnam vel mulctam solves.* Neque hoc casu legislator mulctam instar tributi spectat, vel appetit; sed ita judicat, necessarium non esse, conscientiis laqueum injicere, ac folius pœnæ metu satis absterreri posse subditos. Exemplum præbet Concilium Toletanum anni 1355. Cap. 1. ibi: *ne onerentur culpæ pondere ex transgressione constitutionum provincialium Christi fideles, quos divina pietas jugo suavi et oneri leviori supponere misericorditer est dignata; sacro approbante Concilio ordinamus, quod constitutiones provinciales Prædecessorum nostrorum, et quæ in futurum con-*

dentur, *nisi aliter in condendis expresse fuerit ordinatum*, *non ad culpam*, *sed ad pœnam tantum*, *earundem obligent transgressores (gg)*. Sed hæc, etsi possibilitatem legis pure pœnalis ostendant, non pertinent ad leges jure naturali, vel divino constitutas; neque ad casum, quo transgressionem legis contemtus, aut scandalum comitatur; nec demum a constitutionibus provinciæ Toletanæ ad aliarum provinciarum leges, multo etiam minus ad canones generales extendi possunt.

(*gg*) Concil. Edit. Mansi. T. XXVI. col. 412. Otho Card. et Episc. Augustanus ad statuta Collegii Ecclesiastici Diligani ita præfatur: ,, Quamquam autem volumus, ,, hæc nostra Decreta et præcepta exactissime a nostris ,, omnibus alumnis observari, nolumus tamen illos eo- ,, rum violatione in ullum peccatum et Dei offensam in- ,, currere, sed in eam duntaxat pœnam, quæ vel ipsis ,, legibus præscripta fuerit, vel quam Nos Rectori signi- ,, ficaverimus. ,, De lege pænali confer dicta in Jure Nat. publico §. 257.

§. 179. III. Leges *concessivæ et permissivæ* quoad vim et effectum multo etiam magis differunt a præceptivis affirmativis, quam pure pœnales a prohibitivis. Sed illarum non una est diversitas. Nam *primo* aliquæ leges, etsi non præcipiant, tamen ita concedunt actum, ut propositis etiam præmiis ad illum invitent, et alliciant, cujusmodi sunt consilia Evangelica. Hæ cunctis tribuunt jus, actum concessum ponendi: aliis imponunt strictam obligationem, neminem in usu juris concessi impediendi. *Secundo* aliæ simpliciter concedunt et quidem pro foro utroque e. g. jus faciendi testamentum, instituendi actionem, utendi privilegio. Atque in his inest *plena* concessio vel permissio; est enim alia permissio *minus plena* in

iis legibus, quæ appellantur, *tertio* mere *permissivæ*, quæ actum tolerant, eique impunitatem dant pro foro externo, quin approbent, aut jus internum præbeant. Exemplum extat c. 2. de præscript. conf. dicta I. c. in Jur. Nat. publ. Si agitur de iis, quæ vere ac generatim concessa sunt, valet regula: *Omnibus licet, quibus non est specialiter prohibitum*; in iis autem, quæ generatim prohibita sunt: *Nunquam, aut nemini licet, nisi quando aut cui specialiter est concessum.*

§. 180. IV. *Leges fundatæ in præsumtione* non eandem semper vim habent; nam *primo* si lex positiva quidquam prohibet, aut quoquo modo disponit ob generale incommodi, fraudis, aut perversionis periculum, cui oppositus actus subjacet; tum illa lex omnino servanda est, etsi particulari casu nihil incommodi, fraudis aut perversionis imminere videatur; quia ratio dispositionis est certitudo periculi generalis, seu præsumtio juris; quæ generatim manet; neque ea lex nititur facto quodam, conditione aut qualitate particulari. *Secundo* aliquando lex, ut vim obligationis habeat, nititur præsumtione facti particularis; qua cessante lex vim non habet: talis est lex: *Vir uxori debitum reddat: similiter et uxor viro*; quæ supponit, validum coiisse matrimonium. Casus extat c. 13. de restit. spoliat. et c. 44. de sent. excom. *Tertio* Præsumtio etiam juris et de jure quæ, scilicet probationem in contrarium non admittit, non producit eum effectum, qui ex facto pendet, quod *falso* præsumitur. Sic jure antiquo, cum clandestina valerent matrimonia, copula carnalis post sponsalia de futuro præsumebatur animo maritali habita, indeque consummatum fuisse matrimonium. At si animus maritalis revera non suberat, matrimo-

nium nullum coiit. Similia exempla peti possunt ex Concilio Trident. Sess. 25. de Regul. c. 19. item de herede, qui inventarium non confecit, utrum creditoribus hereditariis ultra vires hereditatis teneatur, si falsa est præsumtio, de qua agitur Novella 1. c. 2. De debitore, qui spe numerandæ pecuniæ chirographum dedit, si intra biennium non agat de non numerata pecunia; utrum in foro Dei ad solvendum obstringatur: denique de eo, qui in judicio condemnatur ad solvendum, utique ex præsumtione, quod omnia secundum rei veritatem gesta sint; si de falsitate ejus præsumtionis certo constat.

§. 181. V. *Legis irritantis* hæc vis est, ut omnem vim atque effectum actus per legem irritati tollat, vel impediat; quod fit triplici modo. *Primo* si ea, quæ jure naturæ ob intrinsecam turpitudinem, aliudve vitium nulla et irrita sunt, etiam pro foro externo et authentice per leges tanquam nulla et irrita declarantur. *Secundo*, si actus, qui jure naturæ validi essent, per leges declarentur nulli *ipso jure et facto*, vel *directe* inducta inhabilitate, vel *indirecte*, præscripta forma substantiali, sine qua actus naturam suam non habet, atque irritus est. *Tertio* siquis actus *per sententiam et ministerium judicis* causa cognita rescinditur, si nempe talis naturæ sit, ut rescindi et dissolvi possit. Quovis casu lex irritans pro foro externo censenda est pariter irritans pro foro interno: neque hi effectus in lege justa sunt separabiles (§. 143.). Perspicacia tamen opus est in expendenda lege irritante, ut adpareat, quid disponat, et *quatenus* valorem actus tollat. Constat enim, plures effectus quorundam actuum proprios esse, quorum alii naturali et divino jure, alii humano iisdem attributi sunt. Unde fieri potest; ut

lex irritans considerate tenore ac fine suo aliquem effectum tollat, alium salvum relinquat (*hh*).

(*hh*) Quærunt præterea, utrum actus, qui lege prohibiti, sunt, ob hanc ipsam causam irriti censeri debeant. Decisiones ad hanc litem pertinentes congessi §. 59. Jur. Nat. priv. Interpretes juris civilis vexat lex 5. C. de legibus. Ibi: „ Ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint „ facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam ha- „ beantur: licet Legislator fieri prohibuerit tantum, nec „ specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum „ est. „ Hæc lex a jure nostro correcta est; certe in foro sacro locum non habet, cum Innocentius III. c. 16 de Regularib. aperte dicat: multa prohibentur, quæ, si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem. Contraria quidem huic declarationi videtur regula juris 64. in 6.: Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. At vocabulum juris multiplicem significatum habet, neque necessario legem prohibentem denotat, sed sensum facit, quæ contra facultatem moralem fiunt, nulla sunt, veluti sententia a judice non suo lata; aut lex de rebus sacris promulgata a politico Magistratu. Neque enim est, neque major defectus esse potest, quam potestatis et jurisdictionis.

§. 182. Manente lege ab ejus transgressione excusat, I. defectus libertatis, id est, sufficientis cognitionis et voluntatis. II. Epiikia.

§. 183. Libertati maxime obest justa et probabilis ignorantia, de qua agitur toto titulo diggestorum et codicis *de juris et facti ignorantia.* Multiplex in hoc genere fit distinctio, quæ sane explodi non potest. Est enim relate ad actionem ignorantia antecedens, consequens, comitans: est dein invincibilis, alia vincibilis; in quo veluti gradus insunt, ut alia censeatur simpliciter vincibilis, alia crassa et supina: alia demum affectata. Ignorantia juris vel naturalis, vel positivi: ignorantia juris clari, vel dubii; ignorantia pœnalis seu pœnæ a legibus constitutæ: denique ignorantia juris irritantis. Igno-

rantia etiam facti tum proprii, tum alieni allegari potest. Denique spectari potest, utrum et quatenus ignorantia in foro Dei et conscentia excuset, et quatenus in foro humano; in quo illud maxime attenditur, utrum tanquam invincibilis præsumi possit, aut contra (*ii*).

(*ii*) Notiones multiplicis ignorantiæ explicatæ sunt in Jur. Nat. priv. C. VI.

§. 184. Decisiones præcipuæ de ignorantia sunt hæ:

I. *Pro foro interno* ignorantia aut error invincibilis et antecedens juris, tam divini, quam humani, a culpa excusat; quia id, quod ex tali ignorantia vel errore commissum, aut omissum est, nullo modo imputari potest.

II. *Pro foro externo* ignorantia invincibilis juris naturalis et divini circa ea, quæ ratione utentibus vulgo nota et explorata sunt, nunquam præsumitur.

III. Pueri et puellæ infantes, id est, ante 7. ætatis annum completum non obligantur legibus *humanis* sub culpa; quia ex generali præsumtione ante septimum ætatis annum non censentur rationis et doli capaces; at obligantur post 7. annum, etsi non statim sub pœna saltem ordinaria c. 1. et 2. de delictis pueror. An et quatenus rationis et doli capaces sint infantes, quoad jus divinum et naturale, ex circumstantiis singularibus judicandum est.

IV. Omnis ignorantia justa et probabilis, seu, quæ probari in foro externo potest, excusat a culpa. c. 2. h. t. in 6. Ac proinde etiam a pœna. Nam, quod *culpa caret*, *in damnum vocari non debet*. c. 2. X. h. t. Si præsumtio-

nibus decidendum est, utrum vincibilis aut invincibilis sit; ignorantia invicibilis in feminis, rusticis et militibus facilius præsumitur, quam in aliis; nec tamen in illis etiam, si facile vinci potuit. Si ignorantia obtenditur, etsi vincibilis videatur, jura favent ei, qui damnum vitare vult, dum adversarius in lucro hæret. Leyser Specim. 289. §. II. III. IV.

V. Si contra legem agitur *ex ignorantia facti*, ea in facto *proprio* non præsumitur, nisi ob diuturnitatem temporis, difficultatem rei memoria tenendæ, uti fit in calculis et rationibus, ob molem negotiorum, morbum præcedentem, et istiusmodi causas probabiles. In factis *publicis* difficile est, præsumere ignorantiam invincibilem, in aliis factis *alienis* facile præsumitur.

VI. *Ignorantia juris pœnalis* seu determinatæ pœnæ legibus constitutæ non excusat eum, qui gravitatem præcepti et delicti agnovit, nisi ipsa lex prærequirat notitiam pœnæ impositæ, uti fit in censuris, aut nisi pœna sit admodum extraordinaria, et ob causas incognitas exasperata. Si lex pœnam iis tantum infligit, vel comminatur, qui eam *scienter*, *temere* aut *præsumtuose* violaverint, videtur excusare ignorantia simpliciter vincibilis; modo non fuerit crassa, supina aut affectata.

VII. Ignorantia juris actum directe irritantis, et personam inhabilitantis, aut ignorantia formæ substantialis a lege præscriptæ non excusat, id est, validum non reddit actum, qui contra irritationem directam aut sine forma substantiali gestus est. Exemplum præbent impedimenta dirimentia matrimonium. Similiter irregularitates etiam ab ignorantibus incurruntur.

Si enim Ecclesia quempiam ob defectum aut delictum promovere, aut ordines exercere non vult; etsi is idem ignoret, propterea jus promotionis aut exercitii non habet (*kk*).

(*kk*) Aliquando Ecclesia jurisdictionem, cujus defectu actus per se irritus foret, supplet, concurrente errore communi, et titulo colorato, quo jurisdictio exercetur. Arg. l. Barbarius 3. D. de officio Prætorum. Sic per SS.Canones declaratur, in extrema necessitate quemlibet Sacerdotem a peccatis absolvere posse.

§. 185. *Epiikia* seu æquitate utimur, quando spectatis omnibus circumstantiis judicamus, credibile non esse, quod Legislator eo tempore obligare velit, aut considerata humana conditione possit, licet casus alias in verbis legis comprehendatur, cum in *omnibus, maxime tamen in jure, æquitas spectanda sit.* l. 90. D. de R. J. Ea locum habet, quando lex sine certo periculo gravis mali, aut jacturæ in vita; membris, sanitate, famæ aut fortunarum observari non potest. c. 2. de observatione jejun. Præceptum divinum affirmativum de integritate confessionis, lex naturalis de re aliena non accipienda etc. epiikiam admittit. Duæ hic sunt exceptiones:

I. Si tali tempore transgressio legis sit intrinsece mala, scandalosa, religioni, divino honori, potestati Ecclesiasticæ injuriam et contemtum irrogans, aut officio pro tali etiam casu repugnans; uti si pastor peste laborantes destituit, miles stationem deserit. c. 5. de his, quæ vi, metusve causa.

II. Lex irritans, uti excusationem ignorantiæ non admittit, ita neque ratione vis, metus, præsentis necessitatis cessat. Irritum judicatur testamentum, etsi testium numerus in casu particulari cogi non potuerit. Nullum est

matrimonium clandestine contractum absente vel mortuo parocho, tametsi gravis causa ad contrahendum urgeat.

§. 186. *Cessat* lex humana, quoad totam communitatem I. cessante fine legis intrinseco et adæquato; uti lex apostolica de abstinentia a sanguine et suffocato: II. abrogatione et derogatione (*ll*). III. Relate ad unam personam, vel unum statum subditorum lex cessat dispensatione et exemtione seu privilegio contra jus.

(*ll*) Hæ voces desumtæ sunt a veteri statu reipublicæ Romanæ. Ulpianus fragment. L. 3. ait: Lex aut rogatur, id est, fertur: aut abrogatur, si prior tollitur: aut derogatur, si aliqua pars tollitur: aut subrogatur, si adiicitur aliquid legi: aut obrogatur, si mutatur aliquid ex priore lege. L. 102. D. de V. S. ibi: Derogatur legi, cum pars detrahitur; abrogatur legi, cum prorsus tollitur.

§. 187. Regulæ de abrogatione, et derogatione legis sunt hæ:

I. Qui legem condidit, aut ejus Successor, vel Superior, minime autem inferior, eandem abrogatione totam, derogatione, quoad partem tollere aut mutare potest. Est hoc principium juris publici universalis, id est, ratione cognitum, quod jure canonico approbatur. Clem. 2. de elect. ibi: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest.*

II. Abrogatio et derogatio legis voluntate tum expressa, tum tacita legislatoris fit, aperta scilicet revocatione, consuetudine contraria, aut contraria lege, etsi de priore nulla fiat mentio. c. 1. h. t. in 6.

III. Hinc generalis est regula: *Constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quæ eas præcesserunt*, l. 4. D. de constitut. Princip. licet

prior constitutio munita fuerit clausula, omnium posteriorum legum derogatoria, quæ aliam vim non habet, nisi ut enixam legislatoris, cum priorem constitutionem ederet, voluntatem significet. Conf. dicta §. 158.

IV. **Lex** tamen posterior generalis non abrogat priorem specialem, multo minus consuetudines particulares, nisi in lege posteriore generali singularis de juribus specialibus fiat mentio, aut clausula omnium anteriorum jurium tam generalium, quam specialium derogatoria inseratur. c. 1. h. t. in 6. et l. 80. D. de R. J. ibi: *In toto jure generi per speciem derogatur, et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.*

§. 188. De abrogatione ac derogatione SS. Canonum, et universæ propemodum disciplinæ mutatione frequens hodie fit mentio a temerariis, pravisque scriptoribus, qui cum toti Antichristi sint, de Spiritu tamen Christi et christianæ legis audent disserere, omniaque ad præsentium temporum labem, atque instabile hominum ingenium accommodare gestiunt. Regulas ad mutationem disciplinæ pertinentes proposui C. X. Jur Eccl. publici; quibus adde ex Concilio Lateran. IV. c. 8. de consang. et affinit. ibi: „ Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum, statuta quandoque varientur humana, præsertim cum *urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit.* „ SS. Concilium Tridentinum cum impedimenta matrimonii diminueret, Sess. 24. c. 2. de ref. matr. ait: *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia.* Sunt hæ justæ mutationis causæ. Ceterum monui cit. loc. ex SS. Augustino et Thoma, ipsam mutationem con-

suetudinis etiam, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbare, præsertim si in suspicionem veniant fideles, opera virtutum, ritus, exercitia religionis, quibus ipsos consuetudo et exempla majorum assuefecerant, repente tanquam mala reprobari. Sæpe fit, ut mutari omnino disciplina non possit, quin multorum jura lædantur, gravioresque oriantur querelæ. Id de nova constitutione quadam a Bonifacio VIII. edita eleganter docuit Benedictus XI. Extrav. 1. de privilegiis int. comm. ibi: *Sed pro ea. quam intendebat, quiete* (Bonifacius VIII.) *turbatio nata est; pro concordia sunt oborta dissidia, et pullulatæ inquietudines pro tranquillitate nascuntur: sicque dum ansam solvisse se credidit, nodum ligasse videtur, et septem, uno hydræ amputato capite, suscitasse. Nec mirum; quia plerumque pariunt novitates discordiam, præsertim dum ab eo, quod diu æquum visum est, per novam constitutionem receditur, nec quare recedatur, utilitas evidens vel alia causa subest* (mm).

(*mm*) De toto hoc argumento eruditissime disseruit auctor Italus in dissertatione: Lasciamo star la cose, come stanno; quam argutam inscriptionem sic expressit versor latinus: Nequid innovetur, seu dissertatio de mutabilitate disciplinæ Ecclesiasticæ. Aug. Vind. sumtibus fratrum Veith 1791. De mutatione legum in Novella III. locisque aliis præfatur Justinianus, quem ob fixas, et refixas leges jure reprehendunt Eruditi.

§. 189. Dictum est quomodo lex ejusve pars cesset pro tota communitate. Relate ad unam personam, certumve statum subditorum cessat dispensatione et privilegio exemptionis contra jus. De privilegiis specialis in Jure nostro extat titulus. Dispensatio dicitur *provida juris communis relaxatio* Inferes:

I. Dispensatio concedi potest a legislatore, ejus successore. c. 20. de Elect., aut superiore, siquem in eo genere habet. Est enim instar axiomatis in omni jure, *leges solvi non posse, nisi ea auctoritate, qua conduntur.*

II. Poscit justam causam; secus non est dispensatio, sed crudelis dissipatio, ut inquit S. Bernardus L. 3. c. 4. de consideratione, et S. Thomas 1. 2. q. 97. a 4. Conf. Concil. Trid. Sess. 25. c. 18. de ref.

III. Ipsa facultas dispensandi censetur favorabilis; fieri enim potest, ut lex maximæ parti communitatis, cui fertur, perquam utilis sit, quibusdam tamen temporibus, aut personis valde molesta, noxia, et talis, ut expediret, eam non extare. Cum autem ejusmodi tempora et adjuncta prævideri, et in lege exprimi haud possint, necesse est, ut pro omni tempore facultas præsto sit dispensandi.

IV. At ipsa dispensatio censetur odiosa, quia est vulnus legis; idcirco non prodest, nisi illis, quibus concessa est, etsi alii pari urgeantur ratione. Cessat etiam cessante causa adæquata, si dispensatio habeat tractum successivum, velut cum dispensatur in lege jejunii; secus, si effectum habet indivisibilem, tollendo inhabilitatem, impedimentum, votum. Tunc enim valet illud: Obligatio semel extincta non reviviscit.

§. 190. Celebris hoc ævo, multorumque scriptis agitata lis est, utrum Episcopi in generalibus Ecclesiæ legibus dispensare possint. Extra casum obtentæ per Canones aut summum Pontificem facultatis, aut legitimæ consuetudinis, ceu in rebus levioribus, frequenter occurrentibus, aut urgente forsan necessitate, ex indubitata decisione ju-

ris respondendum est, Episcopos non posse dispensare, ceu in irregularitatibus, votis solemnibus et reservatis, impedimentis dirimentibus matrimonium. Ex principiis quidem rationis, seu juris publici universalis inferior solvere non potest, quod superior ligavit. Eadem principia jure sacro agnita, approbata, et confirmata sunt. c. 15. de temp. ord. Clem. 2. de Elect. c. 16. de M. et O. id quod Innocentius III. Regest. 12. Epist. 194. his verbis docet: *Cum illis* ('Episcopis) *hujusmodi dispensatio minime sit permissa, quam ad solum Romanum Pontificem non est dubium pertinere* (*nn*).

(*nn*) Totum hoc argumentum diligenter expensum est in dissertatione, quæ inscribitur: Antonii a Torre Expostulatio. C. II.

§. 191. Sunt, qui facultatem dispensandi in generalibus legibus Episcopis tribuunt *in regula*; et pro *exceptione* statuunt casus, in quibus dispensatio soli Romano Pontifici expresse reservatur, eo scilicet modo, quo absolutio ab excommunicatione per canones lata, pertinet ad Episcopum, nisi Pontifex specialiter sibi eam retineat. c. 29. de sent. excom. ibi: *Quia tamen conditor canonis absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Resp. 1. In hoc cap. dicitur: *A suo Episcopo, vel a proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere.* Anne igitur ob eam causam, quod parochus, si nulla adest reservatio, ab excommunicatione per legem lata possit absolvere, idem dispensare poterit in legibus generalibus, si specialiter non prohibeatur? Resp. 2. Absolvens rite dispositum ab excommunicatione per canones lata, nec reservata nihil agit contra canones, imo secundum canones agit; c. 11. h. t.; cum ea ex-

communicatio sit pœna medicinalis, et ex mente Ecclesiæ temporaria. At dispensans in lege generali in ipsam legem exercet potestatem, quod a subdito et inferiore fieri per se non potest R. 3. Secundum dicta §. 179 confundi non oportet regulam cum exceptione, sed adcurate, atque ex certis principiis distingui ea, quæ per se competunt, nisi prohibeantur; atque ea, quæ per se non competunt, nisi concedantur. Eruditissimus Gonzalez in commentario c. 15. de temp. ordinat. acute docet, et gravissimis auctoritatibus confirmat: *Dispensatio non est ex his, quæ competunt, si non prohibeantur; sed ex his, quæ non competunt, nisi concedantur.* Auctor citatæ Expostulationis id distincte exponit; atque exemplis illustrat cap. II. pag. 73.

§. 192. Reliquum est, ut *de legum interpretatione* agatur; quæ vel mere lexicalis et grammaticalis est, uti si quæras, quid Justinianus per *Sigla*, et *Paratitla* denotet; alia *juridica*, eaque *Authentica*, quæ fit ab ipso legislatore aut ejus successore; c. 31. de sent. excom. ibi: *Ut unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat.* Adde l. fin. C. de LL. Est etiam superioris, statuta inferiorum interpretari, et ad jus commune conformare. c. 11. h. t. Ad authenticam refertur *usualis*; l. 37. D. de LL. *Optima est legum interpres consuetudo.*

§. 193. *Doctrinalis* interpretatio fit a judicibus, et Jurisconsultis *declarando* legem obscuram, *extendendo* ad casus similes, ob rationes similes *restringendo* ob cessantem vel contrariam rationem, aliave juris principia: unde dicitur interpretatio *comprehensiva*, *extensiva*, *restrictiva*.

§. 194. Sunt quædam generales interpretationum regulæ. I. Verba communi et usitata signifi-

catione sumenda sunt. Sic alius est sensus in verbis: *Sit privatus fructibus ipso jure*; alius: *Privetur fructibus. Minor* 25. *annis est*, qui annum quintum et vigesimum non complevit, etsi attigerit. II. *Incivile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita, judicare vel respondere.* L. 24. D. de Legibus. Adde c. 41. de appellat. III. Ex toto igitur contextu legis eruenda est ejusdem vis et potestas; nam *leges scire non hoc est, verba earum tenere, sed vim et potestatem.* l. 17. D. de Legib.; et interpretatio nihil est aliud, quam facultas vim et potestatem legum ex earum verbis eruendi. Qui sola captat verba, *legulejus* dicitur. Qui autem quæstum facit, arbitraria applicatione legum, aut rudi praxi evertendo aliorum causas et fortunas, *rabula* nuncupatur. IV. Verba autem legum conferenda sunt cum mente seu intentione legislatoris, et ratione legis, quæ ejusdem *legis anima* dicitur; *quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni*, ut inquit Gregorius M. Can. 11. XXII. q. 5. Si ratio legis, et mens legislatoris obscura est, ea investigari debet ex historia temporum, aut communibus principiis. Jus quidem civile Romanum ex rationibus tum civilibus, id est, status Romani propriis, tum naturalibus collectum dicitur §. 4. I. de J. et J. Rationes civiles sunt *Domesticæ* et particulares; rationes naturales et gentium vero sunt *Communes.* V. In omni demum interpretatione maxime evitari debet absurdum; quale est vitium, et peccatum, contrarietas legum, præjudicium singulare tertii; ipsa inutilitas legis; si nempe sic exponitur, ut finem et effectum nullum habere possit; nam ut acute scripsit auctor quidam, cum varia interpretandi enumerentur genera, nulla adhuc nominata est interpretatio *annihilativa* legis.

§. 195. Interpretationis *comprehensivæ* exempla sunt: *Verbum hoc*; siquis, *tam masculos, quam feminas complectitur*. l. 1. D. de V. S. Liberorum appellatione nepotes et pronepotes, ceterique, qui ex his descendunt, continentur. l. 220. ib. Adde ibid. l. 201. Similiter in correlativis, quod dicitur de sponsa duarum intelligitur etiam de sponso duarum. Adde c. inter ceteras. 4. de rescript.

§. 196. *Interpretatio extensiva* eo fit securior, quo propius accedit ad comprehensivam, ut aliquando ægre discernatur, quorsum pertineat. Nam ut Felinus ait in c. super quæstionem. 27. de offic. Del. *quod venis et mente, non est extensio*. Est autem interpretatio extensiva, quæ ab uno casu expresso ad alium non expressum progreditur, hoc nixa principio: *Ubi eadem ratio, ibi eadem est legis dispositio*; eaque ob mentem legislatoris per totum jus dominatur; quia omnia legibus comprehendi non possunt. l. 11. D. de LL. Exempla præbent ipsi legislatores. c. 4. v. 1. *Nos igitur*, de confir. util. c. 2. de postul. §. unic. I. de legit. patron. tutel. l. 16. D. de sponsal. l. 32. D. ad leg. Aquil. Si eadem reperitur adæquata ratio in casibus non expressis, quæ inest in expressis, censetur is casus solius exempli causa expressus, uti contingit in casibus c. fin. de condit. appos. Hinc vulgo dicitur. *Casus, similis expresso, non censetur omissus*.

§. 197. Istiusmodi extensio recte fit in *indefinitis*, in *connexis*, in *correlativis*, in *contentis*, in *æquiparatis*; nec multum interest, utrum comprehensivam velis dicere interpretationem; qualis esse videtur in *indefinitis*, quæ pro generalibus accipienda sunt; ubi enim jus non distinguit, nec excipit, neque nos distinguere debemus; vel excipere, nisi specialis obstet ratio vel lex. Reliquorum exempla sunt hæc:

I. *De Connexis* c. 3. h. t. statuitur : *Quod de uno dicitur, necesse est, ut de altero intelligatur*; ac vulgo ajunt : Connexorum idem est judicium. Sic procurator agendo ea, quæ connexa sunt cum mandato, non excedit fines mandati; et cui unum committitur, censetur etiam committi id, sine quo illud rite obtineri non potest. Adde c. 5. de offic. deleg. et l. 2. D. de jurisd. omn. jud.

II. *De correlativis*, quæ de raptu sponsæ dicuntur, recte extenduntur ad raptum sponsi.

III. *De contentis.* Si quis cum irregulari dispensare potest ad sacerdotium; poterit enim dispensare ad ordines inferiores. Si dispensare potest in voto; poterit etiam commutare : quia in commutatione inest aliqua dispensatio.

IV. *De æquiparatis.* Pecunia, et res pecunia æstimabilis æquiparatur in tit. de Simon. Nullum eligere intra præfixum tempus, et eligere inhabilem, æquiparantur: ergo si priore casu fit devolutio; fiet etiam posteriore.

§. 198. Ab interpretatione extensiva vulgo excluduntur ea, quæ odiosa judicantur, ceu pœnæ et irritationes ob reg. juris 49. in 6. *In pœnis benignior est interpretatio facienda*; nisi nempe unum in altero contineatur, aut adæquata omnino insit ratio, uti fit c. 33. de elect. in 6. et l. Siquid 7. de jurisd. omn. jud. item l. cum mulier 49. D. soluto matr.

§. 199. Interpretatio *restrictiva* hoc nititur principio : *Ubi cessat ratio, cessat legis dispositio*; si nempe ratio certo explorata, et adæquata cesset; quia *non omnium, quæ a majoribus consti-*

tuta sunt, *ratio reddi potest*; *et rationes eorum*, *quæ constituuntur*, *inquiri non oportet*; *alioquin multa ex his*, *quæ certa sunt*, *subvertuntur*; l. 20. et 21. D. de LL. Cavendum, ne talis fiat restrictio, ut lex nullo casu habeat locum; aliquando enim cum Icto dicendum: *Lex dura quidem*, *sed scripta est.* Ad hoc genus interpretationis referendæ regulæ juris in 6. ceu reg. 15. *Odia restringi*, *et favores convenit ampliari.* Reg. 28. *Quæ ab jure communi exorbitant*, *nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* Adde l. 141. D. de R. J. reg. 30. *In obscuris minimum est sequendum.*

§. 200. Pro interpretatione recte facienda spectari oportere materiam, de qua agitur, dubium non est; arg. c. 6. de donat. ibi: *In contractibus plena*, *in testamentis plenior*, *in beneficiis plenissima est interpretatio facienda*; et ex cit. reg. 15. in 6. *odia restringi*, *favores convenit ampliari.* Sed dicunt: Eadem res diverso respectu odiosa, et favorabilis est; ergo regula est inutilis. R. 1. potest etiam eadem lex e. g. de asylo Ecclesiastico, quatenus refertur ad Ecclesiam, ejusque sanctitati favet, ampliari; quatenus refertur ad impunitatem delictorum, restringi. 2. Ipsum jus sæpe utitur distinctione odii et favoris. l. 19. D. de liberis et posthumis in f. dicitur: *aliam causam esse institutionis*, *quæ benigne acciperetur exheredationes autem non essent adjuvandæ.* Sic pœnas, tanquam odiosas, interpretatione legum molliendas esse potius, quam adjuvandas, docet l. 42. de pœn. correctionem jurium, tanquam odiosam, restringi debere, docent omnes. Ex jure sacro de eodem discrimine odii et favoris elegantissima exempla Laymannus affert in Commentario ad c. 35. de Rescriptis.

TITULUS III.

DE RESCRIPTIS.

ARGUMENTUM.

I. Definitio, antiquus usus et abusus rescriptorum; in quibus primo spectatur materia : §. 201. *II. Forma externa et interna*: §. 206. *III. Personæ, quæ, contra quas, pro quibus impetrant* §. 209. *IV. Regulæ generales pro valore, et interpretatione*: §. 212. *V. Speciales pro rescripsit gratiæ et justitiæ.* §. 213. *VI. Effectus rescriptorum.* §. 216. *VII. Executio.* §. 219. *VIII. Cessatio.* §. 220.

§. 201. *Rescriptum* est responsum Principis scripto redditum ad alterius instantiam. Tria ergo ingrediuntur notionem. I. Est *Principis* responsum, nempe Summi Pontificis, a quo *solo*, si verborum proprietas tenenda est, in rebus Ecclesiasticis rescripta conceduntur. II *Scripto* datum; unde rescripta differunt ab oraculis vivæ vocis. III. Ad *alterius instantiam*, seu præcedentem supplicationem pro impetranda justitia aut gratia; unde alia sunt *rescripta justitiæ*, quæ dantur ad delegationem, vel decisionem causarum: alia *rescripta gratiæ*, quæ ex liberalitate Principis procedunt, concedendo indulgentias, privilegia, dispensationes, absolutiones, beneficia Ecclesiastica. Clausula, *motu proprio*, rescriptis aliquando adjecta, non excludit omnem præviam instantiam et supplicationem; sed significat, Principem congenita potius clementia, quam petitione orantis ad faciendam gratiam fuisse permotum (*a*).

(*a*) Ex his intelligitur, rescripta arcte sumi hoc loco, et distingui a variis Apostolicarum literarum generibus, in Isagoge §. 85 et seq. enumeratis.

§. 202. Antiquissimus ac perpetuus usus rescriptorum Apostolicorum certis constat monumentis, etsi multo maxima pars temporum injuria interierit. S. Hieronymus epist. olim 110. nunc 91. ad Ageruchiam ita scribit: *Cum in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ urbis Episcopum, et Orientis, Occidentisque consultationibns responderem etc.* (*b*). Neque de necessitate, summaque utilitate istiusmodi rescriptorum ex Apstolicis fontibus dimanantium ullum esse dubium potest. At enim quod est bonum adeo tutum, quo non pessime abutatur humana malitia? *Sedes Apostolica* (inquit Innocentius III. c. 55 h. t.) *consuevit exhibere se petentibus liberalem: sed quidam ejus gratia nequiter abutuntur, dum, quod ipsa de benignitate concedit, ipsi ad malignitatem retorquent.* Istiusmodi querelas Summorum Pontificum leges præterea c. 16. c. 28. pr. c. 31. in parte decif. c. 43. seu fin. h. t. et maxime l. V. Decretalium de crimine falsi.

(*b*) Recte animadvertit P. Coustant Tom. I. epist. RR. PP. col. 603.: Apostolicorum rescriptorum usum nec ab Hieronymi in urbem accessu, nec ab ipsius Damasi Pontificatu cœpisse, aut in eo desiisse, facile quisque largietur. Unde colligere est, quantæ vel Damasi, vel Decessorum vel Successorum ejus Epistolæ interierint.

§. 203. Abusus rescriptorum fit, si falsa penitus confingantur (*c*): si vera depraventur: si falsis suggestionibus et dolo eliciantur, nempe per *obreptionem*, quæ fit narrando, aut exprimendo falsum; aut per *subreptionem*, quæ fit reticendo, aut supprimendo verum, quod nimirum intrinsece ad negotium pertinet, at exprimi debebat: si denique non recte intelligantur, adhibeantur, executioni dentur. Summi Pontifices editis identidem regulis diligentis-

sime caverunt; ne *cui fraus et dolus patrocinari possit* c. 16. h. t. *ac ne per judicium injuriis aditus patere possit*, *quas juris observantia interdicit.* c. 28. h. t.

(c) Exempla istiusmodi falsorum opus non est ex medio ævo arcessere; cum ea magno numero, nostra memoria præsto sint ex Pontificatu Benedicti XIV. Clementis XIII. et XIV Pii item VI. gloriosissime regnantis.

§. 204. Ut falsitas aut falsitatis indicia detegantur, rectusque rescriptorum fiat usus, spectari debet. I. Materia rescripti. II. Forma interna et externa. III. Personæ, quæ impetrant. IV. Regulæ generales pro valore, rectaque interpretatione. V. Regulæ speciales pro rescriptis gratiæ, et rescriptis justitiæ. VI. Effectus. VII. Executio. VIII. Cessatio seu expiratio rescriptorum.

§. 205. I. Spectata *materia*, rescripta aliqua sunt *præter jus*, ut variæ gratiæ: vel *contra jus*, ceu dispensationes, exemtiones etc.: vel *secundum jus*, ut si jus dubium declaretur, aut judex delegetur ad causam secundum jus dirimendam. Res omnis, quæ in judicium deducitur, quæve ex officio vel gratia concedi potest, materia rescripti est. Mandata tamen Apostolica et gratiæ expectativæ multum usum perdiderunt tum ex concordatis Germaniæ, tum ex Decreto Concilii Tridentini, a Sede Apostolica approbato; Sess. XXIV. c. 19. de ref. Pro diversa maxime materia Romæ sunt diversæ Concellariæ, in quibus expediuntur rescripta, præsertim Signatura gratiæ et Signatura justitiæ, Pœnitentiaria, Dataria, Secretaria Brevium etc.; de quibus agit Em. Card. de Luca Relat. Cur. Rom. Ad materiam rescripti referendæ sunt hæ decisiones:

I. Si in rescripto committitur, aut mandatur aliquid insolitum, nimis durum, alienum a recta ratione, cujus exeutio offendiculo esset publice, aut si prohibetur cognitio causæ (c. 2. h. t.); fit suspectum de falsitate, aut penitus nullum c. 5. h. t. c. 6. de præb. Nov. 134. c. 6. II. Vitiatur rescriptum, si sit in præjudicium tertii, vel derogans juri alieno, nec faciat expressam de iis mentionem c. 15. juncta glossa v. *intentionis.* de offic. Delegati.

§. 206. II. *Forma externa* differunt *Bullæ*, seu literæ latius extensæ cum sigillo plumbeo: et *Brevia Apostolica*, seu compendiosa, paucisque verbis expedita rescripta sub annulo Piscatoris, subscripta a Secretario Brevium. Ad formam pertinet stilus Curiæ alias consuetus in salutatione, filo, charta, sigillo etc.; de quibus agitur ad tit. de crimine falsi, aut de fide instrument.

§. 207. *Forma interna* sita est in tribus partibus rescripti; narratione, supplicatione, et conclusione. *Narratio* facta a *supplicante*, est propositio eorum, ob quæ quis nititur impetrare rescriptum: facta a *rescribente* est vel summaria repetitio narrationis a supplicante positæ, vel nova expressio rerum, quas rescribens commemorat. *Supplicatio* est, qua preces ab oratore oblatæ repetuntur. *Conclusio*, seu *dispositiva* est pars præcipua rescripti, in qua mens rescribentis cum debitis clausulis exprimitur. Præcipuæ sunt: *I. Si preces veritate nitantur: si ita est. II. Motu proprio. III. De plenitudine potestatis. IV. Ex certa scientia. V. Non obstantibus etc.* Has clausulas singulari tractatu collegit, et explicavit Barbosa.

§. 208. Decisiones, ad formam rescriptorum pertinentes, sunt hæ: I. Ex forma, stilo curiæ

contraria, colligenda est falsitas rescriptorum c.5. et 6. de crimine falsi. II. Suspectum, aut nullum fit rescriptum, si lituram aut rasuram continet in parte substantiali. c. 6. de fid. instrument. III. Item si aperte peccet graviter in latinitatem c. 11. h. t. IV. Quæ in narratione rescripti commemorantur, tantæ auctoritatis esse nolunt ipsi Pontifices, ut vel in favorem, vel præjudicium cujusquam allegari queant, uti si Papa aliquam Ecclesiam vocet exemtam, non propterea illius Ecclesiæ exemtio probata est. c. 10. de privil. in 6., nisi Papa loquatur ex *certa scientia*, aut de facto proprio testetur, atque in his gratiam vel intentionem fundet. Clem. unic. de prob.; tunc enim verbis literarum plenaria adhibenda est fides.

§. 209. *III. De personis, quæ rescriptum impetrare possunt*, generalis est regula: Quilibet impetrare potest non prohibitus, a jure nempe, vel ipso Papa; nam inferior prohibere non potest, quin reverentiam erga sanctam Sedem abjiciat, et manifestam fidelibus inferat injuriam, quibus communicandi cum Cathedra Petri, gratiasque Apostolicas percipiendi jus et facultas competit. Prohibentur autem sequentes. I. Rescriptum justitiæ impetrare non possunt falsi, vel jam revocati procuratores. c. 28. §. 1. et c. 33. h. t. II. Simpliciter prohibentur hæretici. l. 2. c. de Sum. Trint. In foro seculari id intelligitur de non toleratis. III. Prohibentur excommunicati excommunicatione majore c. 26. X. et c. 1. in 6. h. t., etiamsi sint occulti tantum, et non vitandi, nisi impetretur rescriptum super ipsa causa excommunicationis, vel Papa excommunicationis conscius rescripserit. Hinc ad cautelam ab excommunicatione absolvi solent, qui aliquam gratiam vel privilegium obtinent, quod stante excommunicatione

acquiri non potest. Valet autem hæc absolutio ad solum actum in rescripto expressum. IV. Non valet rescriptum impetratum ad beneficium, si in eo tacetur dignitas impetrantis. c. 8. h. t. (*d*).

(*d*) Huc referendum videtur c. 4. de crimine falsi, de eo, qui est apud Sedem Apostolicam; a quo recipere possit literas Apostolicas.

§. 210. Potest quis rescriptum gratiæ impetrare non pro se tantum, sed et pro alio (l. 6. C. de prec. imp. offer.), cujus dein sufficit ratihabitio; secus est de rescripto justitiæ, quod impetrari absque mandato pro alio non potest, nisi id fiat a personis conjunctis, et de rato caventibus. l. 24. C. de procurat. et c. 33. h. t.

§. 211. Impetrari rescriptum potest contra quemcunque, modo sit subjectus jurisdictioni concedentis; quod per se manifestum est. Decisiones speciales sunt. I. Si rescriptum habeat clausulam: *Et quidam alii*, item *res aliæ*; vi illius rescripti conveniri non possunt, ultra tres vel quatuor, quorum nomina in primo citatorio exprimenda sunt, ne variationi sit locus. c. 2. h. t. in 6. Nec conveniri possunt personæ digniores, neque agi potest circa negotia expressis graviora. c. 15. h. t. II. Abbates per rescriptum conveniri possunt in causa conventus, in quo nulla fit mentio de conventu; *cum ex officio suo teneantur congregationum suarum negotia procurare : nisi forte abbatis et conventus negotia esset omnino discreta.* c. 21. h. t. III. Cistercienses vi privilegii conveniri non possunt per rescriptum Papæ, nisi in eo mentio fiat Ordinis Cisterciensis. c. 6. h. t. IV. Si conveniendus ex rescripto moritur, cum nondum fuit *ad judicium evocatus*, contra ejus successorem ex eodem rescriptu agi non potest c. 36. h. t. Inferes a contrario sensu, contra suc-

cessorem agi posse, si defunctus fuit citatus, ac multo etiam magis, si cum illo lis fuit contestata.

§. 212 *IV. Regulæ generales de valore et interpretatione* rescriptorum sunt hæ potissimum I. In omnibus rescriptis *intelligenda est hæc conditio, etiamsi non apponatur: Si preces veritate nitantur.* c. 2. h. t. vel conditio: *Si ita esset* c. 25. h. t. II. Interest, an rescriptum ipso jure nullum sit, an per exceptionem elidi possit. Si rescriptum justitiæ, quo datur judex delegatus, ipso jure nullum sit, acta judicis delegati invalida sunt, etsi nihil opponatur; si vero tantum irritari potest, valent acta, quamdiu pars non excipit. III. Si expressio falsi, vel suppressio veri sit per dolum et malitiam, *ipso jure* nullum est rescriptum quodcunque; et quidem vitiata una parte rescripti per dolum, totum vitiatur. Justum est enim, ut dolosi oratores *nullum ex illis literis commodum consequantur*, c. 20. h. t.; *et mendax precator careat penitus impetratis* c. 15. h. t. IV. Pariter nullum est rescriptum ipso jure, si expressio falsi aut suppressio veri est causa finalis rescripti, vel impulsiva talis, ut ea cognita Pontifex fuisset negaturus rescriptum, e. g. si dispensetur ad alterum beneficium ob defectum congruæ sustentationis, quæ tamen habetur abundans. c. 20. h. t. De rescriptis *gratiæ*, etsi obreptio vel subreptio non dolo contigerit, sed per ignorantiam, vel simplicitatem, tenent omnes, tali casu nulla esse ipso jure; si nempe remota obreptione aut subreptione Pontifex nullum dedisset rescriptum: at c. 20. aperte idem asserit etiam de *rescriptis justitiae.* V. Si reticetur solum qualitas quædam extrinseca, atque ad finem rescripti ma-

terialiter se habens, ob id rescriptum non sit nullum ipso jure, etsi Pontifex re bene cognita illud non concessisset, e.g. si beneficium impetrat gravis criminis reus; quo tamen non sit inhabilis ipso jure.

§. 213. V. Speciales regulæ *interpretandi rescripta gratiæ*, eorumque vim et valorem definiendi continentur his decisionibus. I. Rescripta ad beneficia sunt strictæ interpretationis, utpote ambitiosa. c. 4. de præb. in 6. Si tamen literæ beneficiales sint concessæ vel motu proprio, vel in compensationem damni, forte occasione Ecclesiæ tolerati, majorem merentur favorem; quia suspicio ambitionis cessat. II. Etiam dispensationes, tanquam vulnera legis, sunt strictæ interpretationis c. 28. de R. J. in 6. et l. 141 D. eod.; facultas tamen dispensandi late interpretanda est (§. 189. n. III.): cum ea nec juri communi, nec privatorum præjudicet. III. Non valet rescriptum ad beneficium, de beneficio, vel dignitate impetrantis non faciens mentionem c. 17. et c. 8., imo de beneficio, quod jam habet impetrans rescriptum, mentio fieri debet, etsi quod habet, non sit competens c. 42., etsi ipsum non habeat beneficium, sed tantum jus ad illud c. 32. Si rescripto ad beneficium propter annuam pensionem renuntiavit, non valent literæ beneficiales, per eum hoc tacito impetratæ. c. 31. Non valent literæ justitiæ (e), quas impetrat habens perpetuam vicariam, vel sufficiens patrimonium; nec literæ gratiæ ad obtinendum beneficium, in quibus impetrans tacuit perpetuam vicariam. Si impetrans ignoret tempore supplicationis sibi collatum esse beneficium, valet quidem rescriptum ad beneficium non faciens de colla-

to mentionem; *utrumque tamen, si talia sint beneficia, quæ simul nequeant de jure teneri, habere non potes: sed eligas, quod ex eis malueris retinere* c. 7 in 6. IV. In rescripto ad beneficium intelligitur, *si dignus existat*, vel si non obstet canonicum impedimentum c. 27. V. Non valet impetratio in Ecclesia numerata, non facta de numero mentione, si per eam frangitur numerus canonicorum: etsi non frangatur numerus præbendarum. c. 19. VI. Vacatio per mortem, et vacatio per renuntiationem sunt diversa; et ideo in literis ad beneficium impetratis, uno expresso non venit alterum. c. 6. in 6. VII. Literæ super conferendo beneficio vacaturo directæ ad beneficium, post datam ipsarum creatum, non extenduntur. Clem. ult. VIII. Gratiæ, ut de dignitate aut beneficio curato alicui provideatur, renuntiare videtur, qui ante adeptionem ejusdem aliud beneficium pacifice assequitur, quod simul de jure cum dignitate vel beneficio, virtute dictæ gratiæ ipsi debito, retinere non posset, licet illud resignaverit, aut sit resignare paratus. Clem. 4. quia nempe ad renuntiata non datur regressus. IX. Gratia generalis, facta e. g. Episcopo, percipiendi fructus beneficiorum primi anni ad persolvenda debita, non præjudicat juri speciali, vi cujus tales fructus fabricæ Ecclesiæ vel alteri usui aut personæ singulari de speciali consuetudine, privilegio vel statuto forsitan debentur; nisi in gratia generali expresse de his caveatur.

(*e*) Literæ beneficiales justitiæ appellantur, per quas necessitatibus pauperum clericorum providetur secundum formam communem: Cum secundum Apostolum. c. 16. de præbend.

§. 214. Singularem mentionem huic loco propriam meretur, c. 8. h. t. in 6. cujus hæc

est sententia: Titius a Pontifice obtinuerat gratiam de beneficio proxime vacaturo in Ecclesia A. Mox idem Pontifex, vel ejus Successor hanc gratiam revocat. Dein similem gratiam pro eadem Ecclesia confert Cajo. Postea Titius restitutionem gratiæ revocatæ impetrat a Sede Apostolica. Vacante nunc in illa Ecclesia beneficio dubitatur, Titius ne, an Cajus in ejus assecutione esset præferendus. Pontifex decidit, præferendum esse Cajum; *cum talis restitutio, ubi aliud non exprimitur, intelligatur fieri sine juris præjudicio alieni* (*f*).

(*f*) Conf. Laymann in comment. ad hoc cap. Similis circulus occurrit, cum quæritur: an uxor vel vidua pro sua dote creditoribus anteriorem hypothecam habentibus sit præferenda: item an legitimatus per subsequens matrimonium in primogenitura sit præferendus ex intermedio matrimonio legitime nato.

§. 225. Speciales regulæ *de interpretatione et vi rescriptorum justitiæ* his maxime comprehenduntur juris decisionibus. I. Si mens rescribentis dubia manet, rescripta justitiæ explicari debent secundum jus commune. c. 18. Exemplum talis explicationis extat c. 4.

II. Rescripta justitiæ, quæ jurisdictioni Ordinarii derogant, censentur odiosa, et stricte sumenda sunt. c. 32. de offic. Deleg. et c. 40. eod. III. Non valent rescripta justitiæ, per quæ incerti dantur judices, quos impetrans elegerit, vel per quæ futura negotia committuntur. c. 10. et c. fin. IV. Si super eodem negotio contra eundem duo rescripta impetrentur, quorum posterius non facit mentionem prioris, valet primum, non secundum; alias, si in posteriore fit mentio prioris, valet posterius: si primum fuit impetratum

communi consensu partium, non valet secundum impetratum per alteram partem hoc tacito. c. 3. Valet secundum rescriptum impetratum ab adversario, etsi non faciat mentionem de primo, si primus impetrans dolo vel negligentia eo usus non est intra annum. c. 9. et c. 23. Posteriores etiam literæ *speciales* derogant prioribus non sunt speciatim expressa, etsi nullam de prioribus faciant mentionem. c. 14. v. *quoniam.*

V. Literas impetrans post appellationem, ejus mentionem facere debet. c. 12. h. t. et c. 44. in fin. de appellat. VI. Non valent literæ ab actore contra reum impetratæ ad diversos judices super pluribus causis personalibus, nec processus earum, sed reo condemnatur in expensis. Dein *reus quoque, si eodem durante judicio actorem sibi obnoxium duxerit reconventionis beneficio vel conventionis (si contra eum literas impetrare maluerit), de jure suo debet apud eosdem judices experiri: nisi eos ut suspectos poterit recusare.* c. 3. in 6. et c. fin. X. VII. *Statuimus*, Inquit. Innocentius III., *nequis ultra duas dietas extra suam diœcesin per literas Apostolicas ad judicium trahi possit, nisi de assensu partium fuerint impetratæ, vel expressam de hac constitutione fecerint mentionem.* c. 28. sed adde c. 11. §. 1. et 2. in 6. VIII. Siquis privilegium appellandi, quod est secundum jus, obtinuit, is appellare non potest pro casu, quo contra ipsum datur judex delegatus remota appellatione; quia speciale mandatum derogat generali.

§. 216. VI. *Effectus rescriptorum* pendet a valore concessionis, de quo *hactenus* dictum est. Instar generalis regulæ sumi debet: *Rescripta faciunt jus tantum particulare*; nisi 1. sint declara-

tio juris ante existentis: vel 2. inserantur codici legum: aut 3. pro norma generali ad futura similia negotia definienda dentur a concedente (*g*).

(*g*) Ratio hujus regulæ est, quia jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. l. 8. D. de LL. adde l.2. C. eod. Nempe id, quod in particulari negotio decidit, aut statuit Legislator, cadit in factum præteritum, et a singularibus pendet circumstantiis. Exceptio continetur l. 3. C. de Leg. l.2. C. de nov. cod. fac. et const. II. §.3. de Justinianeo codice confirmando. Videntur tamen in codicibus legum quædam inesse mere locales definitiones, ceu c. 1. de loc. et cond. c. 9. de for. compet. l.1. D. de censib.

§. 217. *De tempore, quo effectum operantur rescripta*, prænotandum: Ipsæ supplicationes primum signantur in materia gratiæ per verbum *fiat*, vel *concessum*; in materia justitiæ per *placet* (*h*). Ex hoc tamen gratiæ sunt adhuc informes, donec in forma legitima expediantur, juxta quas deinde erit judicandum. Si Papa post supplicationem signatam, sed ante expeditas literas moriatur, conceditur a Successore gratia illa sub forma: *Rationi congruit.* Reg. Cancell. „

(*h*) Vid. Card. de Luca Relat. Cur. Rom. disc.9.n.36.

§. 218. Hoc. prænotato dicendum; I. rescripta gratiæ effectum suum operantur *a die datæ*, si gratia jam *facta*, e. g. beneficium actu collatum est. Si autem gratia sit *facienda*; uti si dispensatio non fit Romæ; sed committitur facienda in partibus, rescripta effectum obtinent, non a die, quo expedita sunt, sed a tempore executionis. In rescriptis justitiæ, si e. g. lis intra certum tempus decidenda dicitur, tempus currit a *die præ-*

sentatæ. c. 12. et 59. de appellat. II. Si plures sint, qui impetrent literas beneficiales in eadem Ecclesia, statur *datæ.* Sic vulgo explicatur c. 30.; additur tamen c. 12. in 6. limitatio pro eo, qui prior impetravit: *Dum tamen dolus tibi non possit, vel notabilis negligentia imputari.* III. Si tali in *gratia sint æquales, is, qui prior præsentaverit, erit potior in præbenda.* c. 14. in 6. IV. Si primus sub conditione impetravit, alter pure ante eventum conditionis, præfertur secundus c. 13. in 6. V. Quia in literis ad beneficium datis inspicitur tempus datæ, per illas beneficium curatum obtinere non potest, qui tempore datæ non habuit sufficientem ætatem, etsi nunc habeat. c. 9. in 6. Aliud est, si impetranti defuit ordo ad beneficium requisitus. c. 8. de præb. in 6.

§. 219. VII. *Executio rescriptorum* Sedis Apostolicæ, ejusve Legatorum, si causæ cognitionem, et jurisdictionem in foro externo requirit, a quo fieri possit jure communi, deciditur c. 11. pr. v. *Sancimus* in 6. et Clem. 2. h. t. uti dicetur ad tit. de offic. Deleg., quocum titulo multa communia et connexa habet præsens. Dein de executione dicendum; I. Executori stricte inhærendum est verbis et clausulis rescripti, a quibus tota istius vis, et executoris potestas pendet. II. Sententia, ex literis falsis lata, non est danda executioni. c. 2. de crim. falsi.

III. Siquis contra statuta Concilii generalis (c. 48. de sent. excom.) se asserat excommunicatum, atque ob id excommunicatori dirigatur rescriptum, ut eum absolvat, datis executoribus, qui eo non parente exequantur; causæ cognitio non excommunicatori, sed executoribus censetur demandata. c. 41. h. t.

§. 220. VIII. *Rescripta exspirant*, I. *revocatione.* Illustre exemplum extat c. fin. h. t. in 6. de indulgentia non residentibus concessa percipiendi fructus beneficiorum, quam, ait Pontifex, se nunquam in posterum daturum, *quodque Nobis licere non patimur*, *Nostris successoribus indicamus.* II. *Morte concedentis* exspirant rescripta justitiæ re integra, id est, ne citatione quidem facta a judice delegato. c. 28. et 30. de offic. Deleg.; quia nempe mandatum morte mandantis re integra finitur. §. 10. I. de mand. et l. 15. C. eod. Similiter expirant gratiæ faciendæ in favorem *certæ* personæ. Secus, si cui potestas sit generaliter concessa providendi e. g. de beneficio in favorem ipsius providentis, vel Ecclesiæ: tunc enim gratia non expirat etiam re integra c. 16. de præb. in 6.; quia nempe *decet concessum a Principe beneficium esse mansurum* c. 18. de R. J. in 6. (*i*). III. Si Papa per rescriptum gratiæ promoto ad Episcopatum, concedit retentionem beneficiorum, quæ antea canonice obtinuit, usque *ad beneplacitum suum*, ea gratia cum Papa expirat: secus, si concedit usque *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ* (quæ non moritur), aut sub hac forma: *Donec revocavero*, *vel aliud ordinavero.* IV. Rescripta expirant *morte ejus*, *cui executio nominatim committitur*; nec ad ejus successorem transeunt, nisi censeantur commissa dignitati, quæ non moritur V. *Morte*, *ejus contra quem nominatim rescriptum justitiæ est impetratum*, si res adhuc integra sit, ita, ut contra ejus heredem ex eodem agi non possit (§. 211. n. IV.); Gonzalez et Laymann in c. 16. h. t. ubi docet, Prælatum successorem conveniri posse per rescriptum, vivente antecessore impetratum, quia non per se convenitur, sed ratione Ecclesiæ aut dignitatis, quæ itidem non moritur. VI. *Morte ejus*, *cui concessa est gratia* e. g.

retinendi fructus, corruit ipsa gratia, si nempe tempore datæ jam obierat. l. 191. D. de R. J. Idem contingit *renuntiatione* gratiæ sibi factæ etiam tacita. Clem. 4. h. t.

(*i*) Ne per mortem Pontificis plurima rescripta gratiæ et justitiæ faciendæ exspirent, per regulas recentiores Cancellariæ revalidantur a novo Pontifice ea, quæ infra annum ante diem obitus a Prædecessore data sunt (Reg. Cancell. 12). Sede tamen Papali vacante viribus carent.

TITULUS IV.

DE CONSUETUDINE

ARGUMENTUM.

I. Definitio, et divisio consuetudinis, in qua spectatur primo materia. §. 221. *II. Ut sit rationabilis.* §. 223. *III. Forma. seu actus populi.* §. 227. *IV. Consensus Legislatoris.* §. 230. *V. Auctoritas consuetudinis et probatio.* 231. *VI. Speciatim de consuetudine contra legem* §. 233. *præter legem* §. 237. *secundum legem* §. 238. *VII. Abrogatio consuetudinis* §. 239.

§. 221. Consuetudo est jus, suppositis diuturnis populi moribus aliquo consensu legislatoris introductum. Nota: I. *jus* sumitur *primo* pro *obligatione* agendi, quam efficit consuetudo, perinde ut lex; atque hæc est consuetudo *præter legem*, quæ obligationem inducit, ubi lex expresse promulgata non existit: *secundo* pro facultate seu *libertate agendi*; quæ est consuetudo *contra legem*, et lege priore abrogata libertatem agendi restituit: *tertio* nominatur consuetudo *secundum legem*, quæ obligationem aut facultatem lege concessam tum confirmat nova addita vi, tum etiam declarat. II. Con-

suetudo continet *jus, et factum*, seu mores populi, id est, actus frequentes, publicos, uniformes, quodammodo inveteratos. III. Quemadmodum in lege spectatur *materia*, circa quam versatur, nempe actus, quos attingit; et *forma*, seu promulgatio: sic in consuetudine in primis considerari debet materia, seu qualitas actuum, ad quos obligat, aut libertatem dat: tum *forma*, seu mores populi, et consensus legislatoris, ex quibus obligatio aut libertas agendi resultat (*a*).

(*a*) In Isagoge §. 37. exposui, quomodo a traditione differat consuetudo. Exemplum attuli in Chronographia §. 122.

§. 222. De materia et forma consuetudinis dicendum est primo generatim: tum seorsum de consuetudine contra, præter, secundum legem. Spectata materia omnis consuetudo debet esse *rationabilis*, uti lex (*b*); hinc passim dicunt, quod lege introduci non potest, id nec consuetudine. Addunt: Satis est, ut consuetudo rationabilis sit *negative*; etsi positiva et specialis ratio non appareat. Semper enim præsto est ratio *generalis*, ut populus receptis moribus vivere et libertate sua uti permittatur. Consuetudini rationabili opponitur *corruptela*, quæ est assuefactio ad res malas vel per se, vel decisione et judicio legum.

(*b*) L. 2. C. quæ sit longa consuetudo. c. 4. ibi: „ Ad excusandas excusationes in peccatis, solam consuetudinem prætendentes, cum diuturnitas temporis peccata non minuat, sed augmentet, quæ tanto graviora existunt, quanto infelicem animam diutius detinent alligatam. " Pariter c. fin. requiritur, ut consuetudo sit *rationabilis*; et *legittime præscripta*; quæ verba ad materiam ejusdem, et formam referenda sunt.

§. 223. Plurima extant exempla consuetudinum, quæ rationabiles non sunt, et a jure tolluntur, damnantur et reprobantur tanquam corruptelæ, atque etiam in posterum prohibentur; cujusmodi sunt:

I. Quæ repugnant naturali et divino juri, reverentiæ Ecclesiarum et sacrarum legum, saluti et spirituali utilitati populorum, ritibus a Christo vel Apostolis institutis. Suprema enim lex est Dei honor et sempiterna hominum salus. Hinc reprobatur consuetudo accipiendi pretium pro ministerio spirituali c. 9. de Simonia; dissolvendi matrimonium ratum c. fin. de spons. duor.; provocandi ad duellum; exhibendi spectacula ludicra in templis c. 12. de vit. et honest. cleric.; nec ea in re tolerantia Ecclesiæ excusat, quam tristis aliquando extorquet necessitas. can. fin. §. 1. dist. 4.

§. 224. II. Reprobantur consuetudines, quæ honestati morum, et ædificationi populorum obsunt, quæ peccati periculum, et concupiscentiam fovent; nam *bona est lex, quae, dum hoc prohibet, omnia mala prohibet.* c. 6. de constit. Talis est consuetudo provocandi ad æquales haustus. Recess. Imp. a. 1500. art. 28. et a 1530. a. 8; consuetudo tanquam de radice ambitionis procedens, ut quis in eadem Ecclesia plures habeat dignitates c. 1. h. t. in 6.; ut vir dissipatis bonis suis uxoris bona pro libitu alienet, aut uxor adultera medietatem bonorum, quæ vir fuerit adeptus, sibi vindicet. c. 10.; ut judices aut officiales provinciam circumeuntes nova onera imponant hominibus, aut prælati novis censibus Ecclesias gravent, vel antiquos augeant. Nov. 134. c. 1. et c. 7. de cens.: hæc enim ex avaritiæ gurgite proveniunt.

§. 225. III. Reprobantur consuetudines, quæ obsunt libertati et immunitati Ecclesiasticæ, ut si laicus ferat sententiam in causis Ecclesiasticis. c. 3. vel propria auctoritate contributiones imponat clericis. c. 4. de cens. in 6. Tolluntur generatim consuetudines, quæ Ecclesiis gravamen inferunt c. 1.

§. 226. IV. Reprobantur consuetudines, quæ disciplinam Ecclesiasticam relaxant, correctionem morum impediunt, hierarchiam turbant, ordinem judiciarium pervertunt. Istiusmodi est consuetudo, ut tempore generalis interdicti in loco exemto publice divina officia celebrentur c.5.; ut Clerici beneficia sine consensu Episcopi recipiant, c. 3. de inst. aut dignitatem sine consensu superioris dimittant c. 7.; ut Clericus exerceat ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, c. 4.; ut a vicario Episcopi ad Episcopum appelletur, c. 2. in 6.; ut actor, qui testibus, vel instrumentis plene probavit, præterea jurare cogatur, c. 2. de prob.; ut distributiones quotidianæ etiam absentibus dentur, c. un. de Cleric. non residentibus in 6.; ut non recipiantur Legati Sedis Apostolicæ, nisi mittantur de beneplacito eorum, qui recipiunt, aut petiti fuerint, Extrav Un. h. t. int. com.; ne prælati Ecclesiarum excessus subditorum, maxime Clericorum, libere corrigant, et reforment, c. 13 de offic. jud. ord. (c).

(c) Ad classem consuetudinum irrationabilium aliqui revocant eas, quæ derisoriæ dicuntur, quæque nullam afferunt utilitatem, homines tamen molestia afficiunt, qualem putant, vi cujus studiosi ad academiam adventantes variis ritibus initiantur; conf. l. const. Justiniani Digestis præfixa: *omnem reipublicæ*. §. 9.

§. 227. *Forma consuetudinis* exprimitur verbis c. fin., *legitime præscripta*, ut nempe condi-

tiones habeat legibus præscriptas, sive ut I. vigeat in communitate perfecta, et ab illa vel majore ejus parte sit inducta, sitque instar legis, l. 32. §. 1. l. 33. l. 35. D. de leg. l. 3. C. quæ sit long. cons. In privatos et communitatem imperfectam non cadit lex proprie dicta, sed præscriptio, quæ aliquam affinitatem habet cum consuetudine, ut in casu c. 8.; non requiritur tamen, ut totum regnum, vel totam diœcesin afficiat; quia datur consuetudo tum *universalis*, tum *particularis*, velut circa decimas.

§. 228. II. Actus, quibus inducitur consuetudo, esse oportet *uniformes*, saltem non contrarios; III. *diuturnos et longævos*; hinc dicitur *inveterata*; l. 32. §. 1. D. de Leg. *longæva*, l. 2. C. quæ sit long. cons. c. 9. et ult. h. t. *perpetua* l. 6. pr. D. quod cujusque univ. nom. *vetustissima*, l. ult. pr. c. de privil. Scholar. *diuturna* §. 9. I. de J. N. G. et C. Spatium autem temporis jura non determinant. Si per consuetudinem læditur jus proprietatis alterius, ceu per consuetudinem non solvendi decimas, minus tempus non sufficiet, quam ad præscriptionem proprie talem requiritur; c. 18. et 20. de Decimis. Nulla autem suppetit ratio id extendendi ad omnem consuetudinem; neque id requiritur ad mores populi, ejusque voluntatem cognoscendam, quam legislator per consensum saltem legalem approbat, ratamque habet.

§. 229. IV. Iidem actus esse debent *frequentes*, pro data nempe occasione; idque poscit ipsa uniformitas ac diuturnitas: secus *mores* aut *usus* populi dici non possunt. Unus alterve actus habens tractum successivum e. g. constructio pontis in loco prohibito, sufficere potest ad acquirendam possessionem juris, et complendam demum præs.

scriptionem, non autem ad consuetudinem inducendam. V. *Publici*, item *notorii et liberi*. Nam *tuod latenter*, *aut per vim*, *aut alias illicite inrqoductum est*, *nulla debet stabilitate subsistere*. c. 5. de R. J. Si populus per multos annos observaret aliquod festum vel jejunium ex errore, id esse præceptum, non induceret obligationem. In consetudine tamen contra legem intercedere posse errorem, infra dicam.

§. 230. VI. Consensus legislatoris (quisquis sit pro diversa ratione status) *tacitus* appellatur, si is habeat notitiam actuum, nec contradicat, cum facile posset: *expressus*, si claris signis consuetudinem approbat, ferendo sententiam secundum illam: *legalis* et generalis, qui præstatur per legem, vel jus ipsum, in quo legislatores omnes consuetudines rationabiles et legitime præscriptas volunt esse firmas et legis vim habere. c.ult. h. t. l. 1. et 2. C. quæ sit long. conf. l. 32. seq. D. de Leg. Ab hoc consensu legislatoris tota vis et auctoritas consuetudinis pendet tum civilis, tum Canonicæ, ita, ut frequentati actus materiam duntaxat, et occasionem dent jus aliquod inducendi (*d*).

(*d*) L.32. D. de Leg. vis consuetudinis repetitur a tacito populi consensu; sed recte observat Stryckius de Us. mod. Pand. tit. de Legibus. §. XI. Tribonianum minus caute reliquias status democratici Juri Justinianeo inseruisse. Auctores quidam ad consuetudinem Canonicam negant sufficere legalem Pontificis consensum, sed singularem poscunt, quo, habita notitia actuum, consuetudo approbetur. Sed contra est 1. ratio approbandi consuetudinem rationabilem et legitime præscriptam eadem est, sive particularem notitiam habeat Princeps, sive non habeat. 2. Romanus Pontifex c. 1. de Const. in 6. manifeste supponit, dari consuetudines particulares lo-

eorum, quas ignoret, atque una declarat, se nolle illis per generales constitutiones posteriores derogare. Qui ab iis auctoribus allegantur contrarii canones, pertinent ad consuetudines a Romanis Pontificibus et Conciliis reprobatas. Decisiones Rotæ Romanæ, ad quas provocant, non adstringunt alia tribunalia, nec fundamentum præbent argumenti universalis; quia versantur circa causas particulares.

§. 231. Vis et auctoritas consuetudinis ex ipsis legibus dimanat, ut ex dictis intelligitur. c. 9. h. t. ratio est, quia populus tenacius inhærere solet propriis moribus, quam alienis legibus; et quia discordiam pariunt novitates. cit. c. 9. Sane in omni communitate multis legibus scriptis priores sunt consuetudines; ac ex ipso populi usu constat, quid bonum singulorum poscat, quod a communi segregari per se non debet. Quantum in primitiva Ecclesia et consuetudo et traditio valuerit, patet ex can. 5. et 7. dist. 11. Hinc judices et præsides provinciarum eam, causa cognita, sequi tenentur l. 1. C. quæ sit long. cons. secus pars contra consuetudinem quamdam gravata juste appellat. c. 3. de eo, qui mittitur in poss. adde pr. Inst. de officio judicis.

§. 232. Consuetudo autem in judicio allegata probari debet, si satis notoria non sit; quia involvit aliquid facti, c. 1. de const. in 6. et quia facta non præsumuntur (e). Probatur autem per testes saltem duos omni exceptione majores, vel per actus judiciales, siqui haberi possint. l. 34. D. de Leg. Isti autem actus judiciales, etsi magnum pondus habeant, tamen ad probandam consuetudinem simpliciter necessarii non sunt; nam antequam judex secundum consuetudinem primo pronuntiet, illa prius existere, satisque probari debet. Id notandum, plures quidem actus requiri

ad inducendum jus non scriptum : pauciores sufficere ad probandam observantiam inde deductam, de qua ex paucis actibus constare potest (*f*).

(*e*) Arg. l. 1. C. de prob. ibi . „ Debitor, qui solutam affirmat, ejus rei probationem præstare debet. "

(*f*) De probatione consuetudinis vid. Mascardus de prob. concl. 423. seq.

§. 233. De consuetudine generatim dictum est hactenus. Ad particularia ut descendatur, statuendum est de consuetudine contra legem, *Consuetudo rationabilis et legitime præscripta potest abrogare legem civilem et canonicam.* Prob. 1. consuetudo in utroque jure æquiparatur legi; at vero per legem potest abrogari lex: ergo etiam per consuetudinem. 2. Id manifesto colligitur ex c. fin. ibi : *Licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitime sit præscripta.* Igitur a contrario sensu, si rationabilis est, et legitime præscripta, etiam juri positivo præjudicium generare potest. Exempla extant c. 1. de const. in 6. vi cujus consuetudines speciales locorum legi generali prævalent, adeoque præjudicium ei generant. C. 3. h. t. in 6., admittitur consuetudo, qua Episcopus in inquirendis, puniendis et corrigendis subditorum excessibus consilium sui capituli exquirere minime teneatur. Lex Apostolica de abstinentia a sanguine et suffocato contraria consuetudine abrogata est. Lege generali partus sequitur ventrem, l. 42. D. de Statu hom. sed additur: *Nisi lex specialis aliud inducit.* De tali lege seu consuetudine speciali fit mentio c. 3. de conjug. Servor.

§. 234. *Objiciunt* 1. Consuetudo contra legem continet actus legi oppositos, adeoque pec-

caminosos ; imo , ut aliqui docent, omnino requirit actus peccaminosos , per quos contra legem agendo populus legem abrogare intendit : ergo talis consuetudo non nititur bona fide , ad legitime præscribi non potest ; quod est contra c. fin. h. t. ℞. tr. a. nam absolute necesse non est , ut actus scienter contra legem , multo etiam minus cum voluntate abrogandi legem committantur ; quia vis et auctoritas consuetudinis non ex voluntate subditorum , sed consensu saltem legali prncipis pendet ; is consensus moribus et actibus populi attribui potest , sive mala sive bona fide , atque ex errore , quod lex nulla existat , vel non obliget , positi sint. n. c. et supp. quod consuetudo bonam fidem perinde requirat, ac præscriptio. Sed dices : Necesse est , ut consuetudo sit legitime *præscripta.* ℞. d. legitime præscripta, h.e. per actus uniformes , diuturnos , frequentes , publicos , legibus requisitos , et cum quadam analogia præscriptionis,c.præscriptione proprie tali n.vel subd. si agitur de consuetudine præscriptiva , quæ lædit jus alterius , c. si tantum agitur de consuetudine legi contraria , et communitatem obligante , n.

§. 235. *Objiciunt* 2. Omnis lex est rationabilis : ergo contraria consuetudo , quæ est contra legem , rationabilis esse non potest. ℞. c. a. n. c. lex potest abrogari lege contraria , quæ rationabilis censenda est : ergo etiam consuetudine contraria , quæ legi æquiparatur , pariter rationabilis esse potest , alio nempe respectu , vel ob mutatas rerum et temporum circumstantias , ob irrepentes abusus , vel genium populi.

§. 236. *Objiciunt* 3. L. 2. C. quæ sit long. cons, negatur , consuetudinem *suo usque adeo vigere momento , ut aut rationem vincat , aut legem :* ergo

legem vincere seu abrogare consuetudo non potest. R. d. c. non potest vincere legem supervenientem, quæ ob publicam utilitatem abrogat priorem consuetudinem, c. c. legem antea existentem. n. c. Sic apte conciliantur textus. Heineccius tit. de Legib. SC. et longa cons. citatam leg. 2. explicat de consuetudine rationi adversa, maxime de religione pagana. Ceterum consuetudo contra legem utique ad casus alios similes extendi non debet l. 14 et 39. D. de Leg.

§. 237. De consuetudine *præter legem* statuendum est:*Consuetudine induci potest obligatio, quam nulla lex scripta imposuit.* Prob. ex c. 9. h. t. ex can. 5. et 7.dist.11.ipsa Synodus Nicæna, ut antiqui mores serventur, præcipit can. 6.: *Antiqua consuetudo servetur per AEgyptum etc.* can. 7. *quia cousuetudo obtinuit, et antiqua traditio.* Prob. 2. ex l. 32. 33. 25. D. de Leg. ex l. 1. C. quæ sit long. cons. Exempla extant c. 2. de modo transferendi possessionem rei absentis. c. 6. de prærogativis et functionibus novæ dignitati attribuendis. c. 22. de cens. de procurationibus visitatori præstandis. c. 42. de Simon. de reditibus stolæ ob ministeria sacra. Videtur tamen in actibus ad hoc genus consuetudinis requisitis necessarium esse, ut ii fiant animo inducendi obligationem; nam actus meræ facultatis, liberalitatis, devotionis etc. non inducunt obligationem (*g*): quia actus non operantur ultra intentionem agentium, arg. l. 19. D. de reb. creditis; et quia jura proniora sunt ad solvendum, quam ligandum, hoc est, ad extinguendam, quam inducendam obligationem. l. Arianus. 47. D. de O. et A. Fieri sane potest; ut actus seorsum sumti boni sint et honesti, universalis tamen eorum obligatio utilis non sit communitati, e. g. obligatio audiendi quotidie Missam. Præsu-

mitur animus inducendi obligationem, si actus sint ardui, et tamen uniformiter continuati: si reipublicæ valde utiles, statui personarum magnopere accommodati: si ex eorum omissione oriatur scandalum, remorsus conscentiæ etc. Tali ratione inducta videtur obligatio, qua ad horas Canonicas adstringuntur subdiaconi et Diaconi, qui neque ex professione religiosa, neque ex beneficio Ecclesiastico ad chorum sunt edstinati.

(g) Talis est usus ter salutandi in die B. Virginem: aspergendi se aqua benedicta in ingressu templi: faustæ apprecationes ad initium anni, vel diebus aliis.

§. 238 *consuetudo secundum jus* legem præcedentem confirmat, novoque constringit vinculo, uti lex posterior priorem confirmans causa cognita. Istiusmodi consuetudo maximi momenti est in foro Ecclesiastico, a novitatibus, quæ discordiam pariunt, semper alieno. Talis consuetudo præterea declarat legem existentem, cujus *optima interpres* dicitur c. 8. h. t. et l. 37. D. de Legib. Iis ergo, qui præsentem Ecclesiæ disciplinam oppugnant, resque novas identidem moliuntur, opponenda sunt et momenta pro observatione expressorum canonum, et momenta pro observatione veterum consuetudinum.

§. 239. *Abrogatur* consuetudo, sicut lex per legem posteriorem, aut consuutudiuem contrariam legitime præscriptam. Positiones de abroganda consuetudine sunt hæ potissimum:

I. Quia omnis correctio legum odiosa est, si consuetudo præcedens, vim legis habens, et lex posterior aperte non pugnant, potius conciliandæ sunt, quam altera per alteram corrigenda.

II. Lex posterior generalis tollit priorem consuetudinem generalem; non autem particularem c. 1. de Const. in 6.: particularis autem dicitur consuetudo, non quia in loco particulari æque observatur, ac alibi; sed quia nititur speciali ratione, privilegio, vel statuto.

III. Per clausulam: *Non obstante consuetudine contraria*; tollitur generalis tantum consuetudo. Ad particularem abolendam videtur se extendere clausula: *Nulla obstante consuetudine*; quæ alias non verificatur; item clausula: *Nulla obstante consuetudine privilegio vel statuto*; quæ utique jura specialia attingit.

IV. Difficulter abrogatur consuetudo immemorialis, sine speciali ejus mentione, utpote quæ sæpe habet vim et effectum privilegii specialis(*h*).

V. Per ordinarias clausulas derogatur consuetudini tantum præsenti, nisi expressa mentio fiat futuræ, aut presens tanquam corruptela reprobetur: adeo tamen circumstantiæ mutari possunt, ut ratio reprobandi cessaret.

(*h*) Can. 8. X. q.3. c.26. de V. S. l.3. §.4. D. de aqua quot. et æstiv. Si consuetudini jus vehementer resistit, eandem vim, etsi immemorialis sit, non habet, ac privilegium: hoc enim non datur, nisi causa cognita; illa ignorante legislatore sæpe inducitur, vel potius irrepit. Exemplum extat c. 4. h. t.

TITULUS V.

DE POSTULATIONE PRÆLATORUM.

ARGUMENTUM.

I. Vox, electio, quam vim habet: differt ab ordinatione et missione. §. 240. *II. Non competit Principi politico, nec populo* §.243 *III. Quæ postulatio solemnis? quis postulare possit, et postulari?* §.251. *IV. Forma postulationis: numerus suffragiorum* §.257. *V. Effectus postulationis* §. 264. *VI. Admissio postulationis: et admissæ effectus* §. 266. *VII. Ex his patet, quomodo ab electione differat.* §.269. *VIII. Postulatio simplex, seu minus solemnis.* §. 171.

§. 240. Præmissis de jure scripto generali et speciali, itemque de jure non scripto principiis, agitur in Jure utroque de personis, et in Canonico quidem earum primo exponitur promotio ad prælaturas, seu regimen Ecclesiasticum; de qua animadverte:

I. Promotio ad prælaturas, imo ad ministerium quodvis Ecclesiasticum generatim et latissime dicitur *electio*, quæ excludit omnem modum, ex jure promoti profectum, ad munus Ecclesiasticum perveniendi, ceu ex naturali propagatione, ut fiebat in tribu Levi veteris Testamenti, ex hereditaria successione, ex prærogativa ætatis, nobilitatis etc.: includit autem quamvis aliam designationem personæ, præsentationem, institutionem, provisionem, collationem dignitatis vel beneficii Ecclesiastici.

II. *Electio* late sumta est assumtio personæ ad munus Ecclesiasticum facta plurium suffragiis, accedente fere legitimi Superioris confirmatione;

designationem personarum, quæ dein judicio Ecclesiæ ordinentur, consecrentur, seu sacris ritibus initientur, certamque in Ecclesia acquirant jurisdictionem, varia pro temporum varietate disciplina fuit, estque nostris etiam temporibus pro varietate locorum varia. Quisquis vero f cultatem aut jus nominandi, seu præsentandi, seu quoque modo eligendi personas ad munus sacrum habuit unquam, id non nisi concessione et auctoritate Ecclessiæ habere potuit; quia illud ipsum jus refertur ad ordinationem et potestatem sacram, sive ut ajunt, rei spirituali antecedenter annexum est. Certe siquis illud pretio temporali sibi comparare vellet, omnium consensu simoniam committeret contra jus divinum et naturale.

§. 243. Principi politico jus, nominandi ad prælaturas vel dignitates sacras, non competit vi summi imperii, seu *jure majestatico*; secus idem etiam competeret principibus infidelibus, saracenis, apostatis, hæreticis, schiamaticis: quo quidem modo pessime consultum esset divinæ Religioni, et Ecclesiæ Christi. Totum id facile deciditur ex principiis Juris Eccl. Publ., addique possunt can. Apostol. 29. can. 3. Concilii Nicæn. II. Edit. Mansi Tom.XIII. col. 748. et can. 22. Concil. CPni IV. ibid. Tom. XVI. col. 174. Sicui ergo Principi illud jus competit, id derivandum est ex *speciali Privilegio* ab Ecclesia dato, vel ex *jure patronasus*, quod item ecclesiastica auctoritate concessum est iis, qui Ecclesias fundant, construunt vel dotant; aut demum ex *concordatis* cum Sede Apostolica initis.

§. 244. Ab ipso populo eligendos esse Episcopos, eorumque vicarios, et pastores inferiores, hodie contendunt scriptores quidam, et Pseudoepiscopi Galliæ. De qua re statuendum est. I. *Ini-*

tio nascentis Ecclesiæ, ac multo post tempore ad electiones episcoporum plerumque convenerunt non modo Episcopi provinciæ seu viciniæ, Metropolitanus, ac Clerus inferior, sed fere populus etiam fuit admissus, testimonii ferendi, aut voti seu desiderii sui manifestandi causa. Id constat innumeris documentis vel apud solum Gratianum can. 13. dist. 61. can. 1. dist. 62. can. 27. dist. 63. can. 9. dist. 65. can. 15. VIII. q. 1. Rationem a nobis indicatam confirmant iidem canones, et S. Cyprianus epist. 68.: *Ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.*

§. 245. II. *Populus, ad electiones admissus, non habuit proprie jus suffragii, aut veræ electionis quæ electo jus conferret, sed poterat* optare, præoptare, desiderare, *Clero, Episcopis præsentibus et Metropolitano*, expetere *pastorem, a quo regi, et cui subesse vellet.* Prob. 1. Antiquissimo testimonio Clementis I. in epist. ad Corinthios in causa schismatis data, in qua constitutio Episcoporum tribuitur Apostolis, eorumque successoribus et Populo solus consensus in electum adscribitur (*b*). Prob. 2. ex can. 12. dist. 63. ibi: *Sacerdotum est electio: et fidelis populi consensus adhibendus est; quia docendus est populus, non sequendus.* Prob. 3. ex eo, quia Clerus, id est, Episcopi et Presbyteri, ad electionem convenientes, merito reprehendebantur a Summis Pontificibus, si populi Postulationi, quæ re vel modo peccabat, obsecundasset. *Docendus est populus, non sequendus*, ait Cælestinus P. I. ad universos Episcopos per Apuliam et Calabriam constitutos (Edit. constant. col. 1074.); *Nosque, si nesciunt, eos, quid liceat, quidve non liceat, commonere, non his consensum præbere debemus.* In eandem sententiam Episcopos Africanos provinciæ Maurita-

niæ cæsariensis reprehendit S. Leo M. (Epist. 12. Edit. Ballerin. col. 658. apud Gragratianum can. miramur. 5. dist. 61.).

(b) Verba S. Clementis sunt hæc : ,, Apostoli quoque ,, nostri per Dominum nostrum Jesum Christum cogno- ,, verunt, futuram esse de nomine Episcopatus conten- ,, tionem. Eam igitur ob causam perfectam præcogni- ,, tionem adepti, prædictos constituerunt, ac deinceps ,, futuræ successionis hanc tradiderunt regulam , ut , ,, cum illi decessissent , ministerium eorum ac munus ,, alii probati viri exciperent. Qui igitur ab illis , aut ,, deinceps ab aliis viris eximiis , consentiente Ecclesia ,, universa, constituti sunt et ovili Christi humiliter , ,, quiete, liberaliterque ministrarunt , — hos censemus ,, officio injuste deijci. " Edit. constant. n. 44. pag. 30.

§. 246. III. *Populus jure exclusus fuit a tota causa electionis Episcoporum.* Prob. divino jure nullam potestatem, aut suffragationem in Episcopis eligendis populus arrogare sibi poterat , ejusque in ea causa admissio et præsentia perquam molesta et perniciosa evasit ob studia partium, factiones , seditiones , tumultus , competitorum artes , sollicitationes , corruptiones ; conf. can. 6. dist. 63. ex Concilio Laodiceno. c. 2. de Elect. can. 16. VIII. q. 1. (c). Hinc in Oriente , exclusa turba , primores civitatis ad id negotium admissi sunt , ut indicat Novella 123. c. 1. in Occidente vero consensus *regius* expetitus tum pro facienda electione , tum pro agnoscenda et approbanda , can. 9. 17. 18. 24. 25. dist. 63. Nostra quidem ætate , si diœcesium amplitudo , et fidelium numerus spectetur , non apparet , qua ratione aut utilitate populus ad eligendum sibi pastorem admitti queat. Quantæ enim, et quam frequentes dissensiones existunt , si incolis unius etiam pagi jus præsentandi parochum competit , qui etsi multo maximo suffragiorum numero gaudeat , tamen

partem, quam in adeundo munere habuit contrariam, deinceps in exequendo semper experiri debet adversam, rebusque suis obluctantem?

(c) Conf. Sidon. Apollinar. l. 4. epist. 25. et Goffrid. Vindociuens. l. 3. ep. 11. S. Chrysost. t. III. de Sacerdotio.

§. 247. Qui contra II. conclusionem populo attribuunt verum propriumque jus eligendi prælatos, objiciunt electionem S. Matthiæ in Apostolum; quam a toto fidelium cœtu factam fuisse dicunt. Act. I. a v. 15 ℟. 1. S. Matthiam elegit totus cœtus *jure* suo, aut divinitus concesso n. concessu et jussu Petri c. 2. Elegit, hoc est, cœtus præsentavit duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, et Matthiam: post hanc præsentationem aut nominationem non interum ad cœtus suffragia itum est, sed ad exquirendam divinam voluntatem, præmissa communi oratione. 3. Cœtus hoc modo nominavit, qui erat *hominum simul: fere centum viginti.* In hoc autem numero erant 11. Apostoli, et 72 discipuli, Presbyteros representantes, certe in sortem domini jam assumti, ut laici nec tertiam partem efficerent: in hoc etiam laicorum numero nullus erat infidelium, nullus pervicacium Judæorum. Quid ergo pro jure populi ex hoc loco confici potest? Populum in electionibus prælatorum primis temporibus præsentem fuisse, concedo: at præsentem fuisse jure suo aut ex divina institutione; aut ita fuisse præsentem, ut vero electionis et suffragii jure potiretur, nego. Si omnia Apostolorum facta ad necessitatem divini juris trahas; quam frequenter in jus divinum impinges? Si hunc præcise locum divinæ institutionis esse contendis, erit ejusdem institutionis, ut populus eo jure uti non possit, nisi præmonitu et præcepto Successorem Petri. At nempe usum hic habet re-

gula, quam, cum de disciplina generatim agerem C. X. J. E. P., proposui. §. 390. „ *Eadem potestas sacra, quæ ex institutione ac lege Christi de fide ac divino jure infallibiliter judicat, pari auctoritate definire potest, utrumne et quatenus ad disciplinam variabilem, an ad jus divinum immutabile quidquam pertineat.*„ Cæterum de consensu aut electione populi nulla fit mentio in electione aut ordinatione Timothei (I. Timoth. IV. 14.), nec Titi; neque cum Titus juberetur Presbyteros, id est Episcopos constituere per civitates Insulæ Cretæ, neque Act. XIV., cum Paulus et Barnabas venientes iterato Lystram, Iconium et Antiochiam constituerunt Presbyteros seu Episcopos per novellas Ecclesias illius districtus.

§. 248. Objiciunt præterea electionem S. Ambrosii, quam a Populo Mediolanensi factam fuisse ajunt. Factum narrat Theodoretus his verbis: „ Cum Auxentius Ecclesiæ Mediolanensis „ Episcopus, labe ariana infectus, et in multis „ Conciliis abdicatus e vita exivisset, Imperator „ (Valentinianus) accersitis ad se Episcopis, sic „ apud eos verba facit: Est vobis, utpote sacris „ et divinis literis institutis, explorate cognitum, qualis debeat esse is, qui sit ad Episcopatum gerendum delectus; — — quare hominem ita instructum in sede et gradu Episcopali „ jam collocate, ut et nos, a quibus hoc gubernatur imperium, ei vere et ex animo capita inclinemus, et illius reprehensionem (nam cum „ simus homines, errore labi necesse est) velut „ medicinam animorum cupide amplexemur. Hac „ oratione ab Imperatore habita, Concilium Episcoporum contendit ab eo, ut ipse, utpote sapientiæ et pietatis insignibus exornatus, Episcopum deligat. At ille Major est inquit, hæc

„ provincia, quam quæ viribus nostris sustineri „ possit; proinde vos divina repleti gratia, et „ illius splendore illuminati, multo melius hoc „ Episcopi deligendi negotium transigetis. Illi igi- „ tur egressi separatim per se de eo deliberare „ cœperunt: civitatis autem habitatores inter ipsos „ dissidere, quorum alii hunc, illum alii deligere „ contendebant. Nam qui errore Auxentii erant „ imbuti, hi suæ opinionis fautoribus suffragati „ sunt; qui autem a partibus sanæ et sinceræ do- „ ctrinæ stabant, illi rursus Episcopum secum de „ fide consentientem habere laborarunt. Hac dis- „ sensione cognita Ambrosius, urbis præfectus, „ veritus, nequid novarum rerum molirentur, „ propere ad Ecclesiam contendit. Illi seditione „ compressa, uno ore omnes postulant, ut „ Ambrosius, qui adhuc sacris Baptismi myste- „ riis non erat initiatus, ipsis designetur Epi- „ scopus. Quare audita Imperator jubet illum „ egregium virum extemplo et initiari mysteriis „ et Episcopum ordinari. Noverat enim, men- „ tem ejus omni perpendiculo rectiorem esse, „ et sententias ejus quaque regula exquisitiores. „ Atque conjectura ex consensu eorum, qui dis- „ sentientem sectabantur doctrinam, ducta, suf- „ fragationem illam divinitus factitatam arbitra- „ tus est. Postea vero, quam Ambrosius divi- „ num sacrosancti Baptismatis munus adeptus „ erat, et gratiam Episcopalem receperat, di- „ citur Imperator longe præstantissimus (nam „ rebus his gestis intererat) hymnum ad gra- „ tias Servatori ac Domino agendas recitasse, „ his fere verbis: Gratia sit tibi, Domine omni- „ potens et Servator noster, quod cum ipse cor- „ pora huic viro commisissem, tu etiam ani-

„ mas ea commendasti: indeque declarasti, me-
„ am justam fuisse sententiam (*d*). “

(*d*) Theodoretus H.E. ex interpretatione Christophorsoni l. IV. c. 5. et 6. Socrates in H. E. ejusdem editionis paucioribus verbis rem narrat. l. IV. c. 25. Item Cassiodorus in Historia tripartita, nempe ex Socrate, Sozomeno, et Theodoreto collecta l.VII. c. 8., ex quo Gratianus descripsit dignissimum lectu canonem 3. dist.63. Demum Nicephorus Callistus l. XI. c.32.

§. 249. Dico: *Ambrosius non a populo, sed ab ipso Deo electus in Episcopum censeri debet.* Apertum divinæ electionis indicium habebatur repentina Populi antea dissentientis et tumultuantis consensio. Extraordinarius hic modus electionis in jure nostro appellatur *quasi inspiratio* c. 42. de elect., ac pro tali habita fuit electio Ambrosii ab Imperatore, et ab Episcopis provinciæ. *Nam*, ut scribit Socrates l. c., *Episcopis, qui aderant, videbatur hæc consentiens populi vox divinitus sane emissa.* Pro tali habita fuit a scriptoribus eorum temporum, quos supra laudavi; pro tali habita quoque fuit a Nicolao P. I. Cum enim Photius et Photiani schismatis asseclæ exemplum Ambrosii inter alia objectarent, respondit S. Papa Nicolaus his verbis: *Beatus fulgidissimus doctor Ambrosius, quem similiter ex militia, et catechumeno asseveratis Episcopum, cum divinitus, et per miraculorum signa ab ipsis cunabulis usque ad consecrationis suæ tempus fuisset evocatus, et ad regimen a dissidentibus populis, subito in unam sui concordiam provocatis, compelleretur Ecclesiasticum suscipiendum, minime seditioni vel schismati studuit; quin potius eas, quas reperit, semetipsum non ultro, sed coacte offerens populo, repulit, ac removit* (*e*). Denique pro divina habendam fuisse Ambrosii electionem manifeste ostendit exitus, nempe admirabilis sancti Præsulis zelus et inde-

fessus labor in regenda diœcesi, et catholica re defendenda. Ceterum Valentiniano imperatori ignotum esse non potuit, cui jus eligendi Episcopum competat; atqui is illud jus Episcopis, non populo competere asseveravit, ut ex Theodoreto constat. Si Episcopi in Ambrosium consenserunt, id divino moti judicio fecere, non populi electione, nisi dicere velimus, homines etiam arianos pro legitimis electoribus habitos fuisse, agnitosque ab Episcopis.

(*c*) Concil. Edit. Mansi Tom. XV. col. 172.

§. 250. Objiciunt denique sententiam S. Cypriani, qui in ep. 68. ad Clerum et plebem Asturicensem populo tribuit *potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi*, addens, *quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico testimonio comprobetur*. Resp. S. Cyprianus plebi tribuit potestatem eligendi, nempe plebi præsenti, tanquam *testi*, non tanquam judici, aut proprium electionis jus exercenti: eligi debet Sacerdos (nempe a Clero et Sacerdotibus seu Episcopis) plebe *præsente*, sub *omnium oculis*, ut idoneus *publico testimonio* comprobetur: sub populi *assistentis conscientia*, ut plebe *præsente* vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur. Ait, *ex divina id traditione descendere*, hoc est, ex imitatione quadam veteris legis. Narrat enim ex libro Num. XX. v. 27., Eleazarum coram omni multitudine a Moyse constitutum fuisse Sacerdotem; id quod præsente Synagoga, seu multitudine, non auctoritate multitudinis factum est. Adjungit, *quod postea secundum divina magisteria* (nempe exemplo veteris legis) *observatur in actis Apostolorum*, cum de

electione Matthiæ et Diaconorum ageretur. Concludit: *Propter quod diligenter de traditione divina, et apostolica observatione servandum est, et tenendum, quod apud nos quoque, et fere per provincias universus tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Si hæc electionis forma ex jure divino vere, proprieque descenderet, per provincias *omnino* universas, non *fere* universas tenenda fuisset, nec quoquam casu poterat prætermitti; atqui prætermissa aliquando fuit ab ipso Cypriano in ordinatione Aurelii epist. 33. ubi ait: Exspectanda non sunt *testimonia humana, cum præcedunt divina suffragia.* Adeo totum referebatur ad *testimonium*, non auctoritatem plebis.

Hæc quidem ob temporum errores præmittenda fuere; explicanda nunc est recta via, qua personæ Ecclesiasticæ ad regimen promoventur.

§. 251. *Postulatio solemnis* est concors petitio eorum, qui jus eligendi habent, directa ad Superiorem, ut pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ aliquem admittat ad prælaturam, qui ob impedimentum canonicum, in quo tamen dispensari solet, eligi non potest. Nota: 3. *Solemnis* dicitur postulatio, de qua hic agitur; de *simplici*, quæ æquivoca est, et longe dispar, postea. 2. *Concors* in sensu non stricto, quasi omnes plane consentirent; sed tamen usitato significatu censetur actio Collegii vel Capituli, quæ fit a majore vel tali illius parte, ut negotium secundum jus regulariter exitum habere possit. 3. *Pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ*; fieri enim potest, ut qui viduatæ

Ecclesiæ præ aliis utilis judicatur, per canones eligi non possit. Ne ergo canones, qui pro utilitate Ecclesiæ constituti sunt, aliquando obstaculo sint utilitati, postulatio, tanquam remedium extraordinarium, atque in subsidium electionis antiquissimis jam temporibus adhibita fuit.

§. 252. Postulatio dicitur petitio eorum, *qui jus eligendi habent.* Nam postulare possunt, qui *eligere.* c. 30. de Elect. ibi: *Electionem de postulando Prælato facere.* et c. 4. h. t. v. *Nos igitur.* et in fin. Inferes: 1. qui est in quasi possessione coeligendi, erit etiam in quasi possessione compostulandi; quia sunt jure ipso connexa. 2. Compromissarius ad eligendum datus, etiam postulare potest. c. 30. de Elect. et c. 11. de renunt., nisi expresse *limitatum* sit compromissum. 3. Qui jus nominandi habet, inhabilem non simpliciter nominare, sed *cum postulatione* potest.

§. 253. Notionem postulationis ingreditur *impedimentum canonicum* ejus, qui postulatur. Sunt autem impedimenta, in quibus dispensari non potest, aut non solet: alia, in quibus solet: hinc aliqui dicuntur impostulabiles seu indigni: alii, postulabiles: alii, qui postulatione non egent omnino, sed qui eligi possunt.

§. 254. Impostulabiles sunt, I. qui jure naturali aut divino sunt inhabiles, ceu *criminosi*, hæretici, schismatici, aliique, quales recensentur tum can. un. dist. 84. tum dist. 46. 47. 49. 50, item falsarii c. 7. de crimine falsi., simoniaci. c. 59. de Elect., infames ratione delicti. arg. c. fin. de temp. ord. II. *Natura inutiles*, ceu prorsus rudes. c. fin. de ætat. et qual., corpore vitiati enormiter c. 6. de corp. vitiat., epileptici. c. 21.

de Elect. III. Qui violavit interdictum c. 1. h. t., ubi includi videntur omnes, qui peccarunt contra *obedientiam canonicam*, Papæ, ejusque legatis debitam. Ibi : *Nos igitur*, *qui secundum Apostolum promti sumus inobedientiam omnem ulcisci*, — *ne nil obedientia prodesse videretur humilibus*, *si contemtus cotumacibus non obesset* : *cum juxta canonicas sanctiones quædam sint culpæ*, *in quibus culpa est relaxare vindictam*, *etc.* IV. Bigamus et ex damnato coitu procreatus. arg. c. 10. de renunt. V. Juniores 27. annis postulari nequeunt ad *Cathedralem* Ecclesiam. Extrav. un. h. int. com. (*f*) VI. Episcopus, qui *criminis eluendi causa* in monasterium descendit; aliud, si ex alia causa, aut si loco tantum, non ordini et dignitati renuntiavit. c. 11. de renunt. VII. Religiosus de mendicantibus postulari non potest ad Ecclesiam secularem, *Cathedrali inferiorem*, vel regularem *non sui ordinis*. cit. Extrav. un.

(*f*) Qui contra hanc extravagantem scientes postulant, aut postulationem de se factam urgent, incurrunt pœnam eadem extrov. contentam. In aliis vero casibus indignum scienter postulantes privantur pro ea vice voce activa et passiva tam ad eligendum, quam ad postulandum, penes solos innocentes tunc manente potestate eligendi aut postulandi c. 1. h. t. in f. et c. 40. in f. de Elect., multoque magis, si postulationem semel repulsam innovare audent. c. 2.

§. 255. Impedimenta, in quibus dispensari solet, sunt I. defectus natalium in progenitis ex simplici fornicatione. c. 20. de Elect. II. Defectus ætatis c. 19. eod.; at siquis ne annum quidem 27. implevit, postulari non potest cit. Extrav. un. h. t. inter com. (*g*). III. Defectus præscripti ordinis c. 22. eod.; necesse est enim, ut eligendus saltem per sex menses in sacro ordine extiterit. IV. Si-

quis alicui Ecclesiæ alligatus liberum non habet sine Pontificia permissione volatum, c. fin. h. t.; id fit in Episcopis *confirmatis*, etsi consecrati nec-dum essent. c. 2. de transl. Episc. Idem videtur dicendum de Episcopis titularibus in partibus infidelium (*h*)

(*g*) Exempla postulantium, et postulatorum ante 27. ætatis annum afferuntur in thesauro Jur. Eccl. Tom. II. N. XVIII. §. II. et in animadvers. ibid.

(*h*) Negat id Nellerus auctor cit. dissertationis. Ibid.

§. 256. Postulatione non egent, sed eligi possunt I. Coadjutor datus etiam cum successione; potest enim renuntiare suo favori. II. Episcopus, qui electioni consensit, sed necdum est confirmatus. III. Episcopus, qui cum auctoritate Papæ renuntiavit loco, non dignitati. IV. Præpositus secularis, licet habeat jurisdictionem quasi episcopalem. V. Abbas, si petitur ad aliud monasterium sui ordinis, vel ad Episcopum VI. Is, qui non est de gremio capituli, uti Canonicus Domicellaris, vel Clericus plane extraneus, nisi contraria adsit lex per speciale statutum a Superiore præscripta (*i*).

(*i*) Neller cit. diss. Solet tamen in his aliquando tutior teneri via per obtentum indultum eligibilitatis.

§. 257. An forma capituli, *quia propter* 42. de Elect., tenenda sit in postulatione, ut nempe per viam scrutinii vel compromissi procedatur, dubitarunt veteres Canonistæ, et dubitant recentiores. Negat Laymann in Comment. C. un. h. t. in 6.; negat etiam Nellerus cit. diss. §. III. idque colligit ex c. 4. h. t. in fin. ibi: *Licet diversis temporibus convenerant*, quod fieri haud potuisset adhibito scrutinio. Tutius esse eam adhibere

formam, monent omnes; imo si postulatio concurrit cum electione, omnino necessarium. P. Zech, qui in Hierarch. tit. XX. §. 230. eam formam omnino adhibendam putat, hæc addit: Confirmat id praxis et sensus tum Capitulorum postulantium, tum curiæ Romanæ examinantis instrumentum postulationis ad normam capitul. *quia propter*. Ceterum quia electio et postulatio reipsa differunt, certæ *verborum formæ*, quas perniciosa curiositas invenit, sine nullitate adhiberi non possunt. Tales sunt: *Eligo postulando*; vel: *Postulo eligendo*: *eligo in postulandum*, aut *postulo in eligendum*. Hæc etiam forma: *Eligo et postulo, prout potest melius de jure valere*, irritum reddit actum, *nisi quando probabiliter dubitatur, utrum quis sit eligendus, vel potius postulandus: quo casu is, qui sic postulatus fuerit, aut electus, consensus tempore viam electionis vel postulationis, ne in incerto vagetur, eligere necessario teneatur, redeundi ad aliam, postquam unam elegerit, sibi licentia penitus interdicta*. c. un. h. t. in 6.

§. 258. De *numero suffragiorum* in casu postulationis secundum jus decidendum est: I. Si postulatio concurrit cum postulatione, requiruntur et sufficiunt absolute majora suffragia uti ad alios istiusmodi actus Capitulares; quando electio concurrit cum electione c. 1. de his, quæ fiunt a majore parte. l. 19. D. ad Municipal. II. Si postulatio concurrit cum electione, tunc ut postulatio prævaleat, postulandus habere debet duplo majorem numerum suffragiorum, quam electus: ut electio prævaleat, suffragia eligentia superare debent tertiam partem suffragiorum simul sumtorum, quæ in postulatum et electum concurrunt. c. 40. de Elect.; ubi in specie facti quorundam postulantium, aliorum eligentium Pontifex pro ad-

mittenda postulatione illud primo inquiri jussit, utrum ii, qui postularunt Archiepiscopum, *duplo majorem facerent numerum, quam sexdecim Electores Plebani. Si vero ad faciendum duplo majorem numerum simul omnes prædicti minime sufficerent, —postulatione repulsa electionem Plebani auctoritate nostra confirmes.* Ex his inferes, ut pustulatio prævaleat, non requiri duas tertias *respectu totius Capituli*: sed *comparatione numeri eligentium.* Casus figurari potest in tribus factionibus sic: Sunt 24 Capitulares: 7 eligunt: 14 postulant: tres vota dispergunt, sive eligendo sive postulando diversum. Dico, postulationem prævalere electioni secundum cit. c. 40., in qua specie Delegatus Apostolicus non jubebatur inquirere, *an adsint duæ tersiæ totius Capituli*, sed ante *postulantes duplo majorem facerent numerum, quam eligentes.* Atque hæc sane diversa, ut patet in proposito exemplo, ubi postulatus habet duas tertias, si vota, quæ in postulatum et electum concurrerunt, simul sumantur, non autem respectu totius Capituli. III. Addenda videtur limitatio: ut tamen electio concurrere censeatur cum postulatione, et singularem mereri favorem, necesse videtur, ut postulatus numeret absolute majora suffragia, sive ultra dimidiam partem omnium suffragiorum, secus nec postulatio, nec electio merentur attendi; quia secundum communes regulas non sunt actus Capitulares.

§. 259. Exempla concurrentis postulationis et electionis sunt istiusmodi. I. Sint suffragia 30. ex his 20 postulant: 10 eligunt; valet postulatio. At si 19 postulent 11 eligant; valet electio. II. Sint suffragia 24.: ex his 13 postulant: 9 eligunt: duo disperguntur; valet electio. III. Sint suffragia 20. si ex his 9. postulent; 6 eligant: et quin-

que dispergantur: puto, nihil valere; cum postulatus nec absolute majora habeat. Idem censeo, si ex suffragiis 24 sint 9. quæ eligant: 11. quæ postulent, quinque dispersis.

§. 260. Ad id, quod N. III. in regulis, et exemplis propositum est, referri debet casus a Nellero in cit. Diss. et a Cl. Bœckhn excogitatus. Capitulum constat ex 60. Canonicis; 30 postularunt Cajum: 20. elegerunt Titium: 10 disperserunt vota sua. Hoc casu sentit Cl. Bœckhn, electionem prævalere: eoquod postulantium numerus non sit duplo major numero eligentium; unde videtur locum habere decisio c. 40 supra relata. At Nellerus distinguit. Si 10 illi, qui vota sua disperserunt, liti non se immiscent, se ipsos facient alienos, et Capitulum considerabitur ut reductum ad 50. quo respectu valebit electio; quia postulantes non sunt numero duplo majore, quam eligentes. At si decem illi se opponant tam postulationi, qnam electioni; repelletur in primis postulatio; quia 30 huic contradicent, nempe illi 10, et eligentes 20, et sic *nimia foret contradictio et divisio*: cassabitur etiam electio; quia 40 ei contradicent, illi 10 scilicet, et 30 postulantes; eritque pars major, imo duæ partes Capituli invitæ. At ege non puto spectandum esse, anne aliqui, et quot contradicant post factam jam talem electionem; sed quid judex decidere, et quam in causa contradicentium sententiam ferre debeat; neque etiam, jacta jam suffragiorum velut alea, in potestate suffragantium esse debet, quam in partem contradicendo aut non contradicendo electionis exitum inclinare velint. Quapropter in proposito casu, et sic concurrente postulatione et electione, ut postulatus non numeret absolute majora, nihil capitulariter atque ad ne-

gotii exitum concludi posse arbitror; quia singularis favor electioni, ultra tertiam suffragiorum partem habenti, ideo tantum attributus est, ut excludat postulationem, tanquam remedium extraordinarium, in quo jus contemnitur. Si autem postulatio simpliciter majori suffragiorum numero nititur, non ipsa excluditur, sed aliorum aliter suffragantium judicium.

§. 261. De concursu electionis et postulationis, et universe de collatione suffragiorum præterea notandum. I. *Absolute* majora dicuntur relate ad omnes congregatos, qui suffragium ferunt: *respective*, comparate ad coelectos vel compostulatos. Si ex 14 suffragiis unus obtineat 7, alter 5, tertius duo; nullus habet absolute majora. II. In numero suffragiorum inæquali votum dimidia aut quavis parte majus facit majora: quia tam persona, quam votum est res individua; unde quivis excessus ad se trahit totum. Sic ex 5. majora sunt tria; ex 7 majora quatuor; ex 9 majora quinque. Si ex 20 suffragiis postulatus numeret 10. electus 7; hic electus censetur ultra tertiam habere suffragiorum partem: etsi tertiam partem duntaxat superet hac fractione $\frac{1}{3}$.

§. 262. Illustris et notus casus concurrentis electionis et postulationis contigit sub Innocentio XI. et Leopoldo I. Imp. in Ecclesia Coloniensi an. 1688. Sereniss. Bavariæ Dux, Josephus Clemens, habens Breve eligibilitatis (eoquod jam esset Episcopus Frisingensis et Ratisbonensis, et careret ætate Canonica) a novem capitularibus eligebatur; sed Eggo a Furstenberg Cardinalis et Episcopus Argentinensis postulabatur a tredecim: duo electores de viginti quatuor disperserant in alios vota: vicit Bavarus Eggonem judicio Romæ; quia

ultra unam tertiam votorum habuit (*k*). His verbis casum indicat Nellerus in cit. diss. §. III. Sed ibidem paulo post docet, tunc tantum *concurrere* postulationem cum electione, *quando unus postulantium suo et sibi consentientium nomine*, in communi *publicavit postulationem*, *et ex altera parte alius unus suam electionem*; non autem quod vota in Protocollo scripta sint quorundam postulantium, quorundam vero eligentium. Sine *communi* et electione et postulatione nullum fieri concursum scribit Nellerus, sed rediri debere ad novum scrutinium: at ego contra sentio, hanc communem duplicem, et electionem ac postulationem non esse necessariam, aut facta communi electione fieri debere, aut pro facta habendam communem postulationem; secus postulantes collatis jam suffragiis faciendo, aut non faciendo communem postulationem, in potestate haberent, utrum prævaleat, aut non prævaleat electio. Quid? si in proposito casu 13 postulantes communem fieri postulationem omisissent; num præjudicare poterant electo, habenti plus una tertia suffragiorum?

(*k*) Casum enucleate exponit Vitus Pichler in decisionibus casuum ad h.t.

§. 263. Unus superest memorabilis casus ad hunc concursum pertinens. C. 30. de elect. concurrit postulatio cum electione: tres ex quinque compromissariis postularunt: duo elegerunt: postulatio fuit admissa etsi non numeraret duas tertias. Inferunt: in compromissariis postulantibus attendi præcise pluralitatem votorum. Rationem dat textus: *Quia postulatio fit per eos, in quos totum capitulum eligendi transtulerat potestatem: propter quod unanimiter de contentu totius capituli intelligitur esse facta.*

§. 264 Ad effectum postulationis rite peractæ spectant hæ definitiones juris. I. Debito tempore intimanda est postulato, uti tit. de elect. dicetur. II. Postulatus facta intimatione dicere non potest: *Consentio*, cum affectus sit impedimento, et nullum jus postulatione nactus sit; secus notaretur de ambitione; debet tamen declarare intentionem suam dicendo: *Non dissentio*; imo postulatus Episcopus, qui liberum non habet volatum, neque consentire, neque non dissentire debet, sed dicere: *Dispositioni D. Papæ me committo et suppono* (*l*). III. Post hunc etiam qualemcunque consensum postulantibus, si pars major velit, *re integra*, id est, antequam sit postulatio Superiori præsentata, *pænitere* licet, et voluntatem mutare; quia postulatus jus nullum acquisivit. Quia tamen postulatio *statim*, postquam in Capitulo secrete peracta est, clero, populoque in Ecclesia præstolanti *publicari* debet, ne vitium clandestineitatis contrahat, cavendum est, ne ex variatione fama postulati periclitetur. c. 33. de R. J. in 6. ibi: *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum*. IV. Interea vero, donec postulatio non tantum Superiori præsentetur, sed ab eo etiam admittatur, postulatus nullo modo administrare potest in spiritualibus, vel temporalibus. c. 23. de elect.; secus postulatio certo certius repellitur, nisi nova et specialis fiat gratia.

(*l*) C. 16. de elect. in 6. *ibi*; „ Salvo eo, quod postulati hujusmodi nec suis postulationibus præstare consensum — si non dissenserint.“ Item Glossa in cit. c. 16. v. consensum, et Panormitanus in c. fin. de post. prælat. post med.

265. IV. Cum Superiori præsentanda jam est postulatio, fit discrimen inter defectus postulatorum; si enim aliquid *patientes in ordinibus, vel ætate*

defectum vel his similes postulentur, ipsi personaliter arripere debent iter Romam: si vero postulentur *alligati Ecclesiis*, secundum jus vetus c. 1. de elect. in 6. comparent pro procuratorem. In hunc modum locus obscurior c. 16. de elect in 6 explicatur per Glossam in d. cap. v. *Nostra*, *et veteris*. V. *Expensas*, quæ ministrari debent personis ad Superiorem missis a postulantibus, ministrare debent ipsi postulantes; quia totum ipsorum est negotium; cit. c. 16.: aliter fit in electione. VI. *Effectus præsentatae* coram Superiore postulationis est, ut resilire et pœnitere non liceat postulantibus. c. 4. de postul. præl., ne Superiori illudatur, ejusque judicium a postulantium pendeat arbitrio. Hæc ratio non a postulato, sed Superiore derivatur; unde si Superior etiam post præsentatem admittit variationem, postulatus non habet, de quo conqueratur. Panormitan. in c. 4. de postul· præl. nota 11. VII. Superior, cui præsentata est postulatio, diligenter inquirit tam de *meritit postulati*, quam de *necessitase Ecclesiae*, ad quam est postulatus, aut a qua forte avocatur. C. 3. h. t. repulsa est po.tulatio Cardinalis, quod ejusdem *pracsentia utilior esset non solum Romanæ*, *sed etiam Ecclesiae generali.*

§. 266. VIII. Admittere postulationem Superior non tenetur ex *justitia*; ipsa postulatio vi notionis est mera *supplicatio pro gratia*; et ideo neque postulantes quidquam *suffragante jure* petunt a Superiore, nec postulato aliquid juris acquiritur. c. 3. ibi: Cum Apostolica Sedes, *etiam quando aliquis ab aliis unanimiter postulatur*, *ad admittendam postulationem eorum non tam ex justitia*, *quam gratia moveatur*, et c. 5. h. t. *per postulationem hujusmodi nullum jus est alicui acquisitum*, *ideoque sine præjudicio alicujus postulationem po-*

iussimus repellere memoratam. Huic decisioni non obstant concordata Germaniæ (*m*). IX. Quia negotium postulationis est res gratiæ; et solus Papa hunc rigorem præscripserit postulationi, ut suffragia duplo majora, quam concurrens electio, requirat, infert Nellerus in cit. diff. §. III. a Papa non obstante c. 40. de elect. admitti postulationem posse, quæ pro se habet majora capituli, non tamen est votis duplo major electione, quacum concurrit, absque injuria electi, habentis pro se ultra unam tertiam (*n*); si tamen Papa de *speciali gratia* nolit admittere postulationem talem, tum (si plenitudine potestatis non utatur) confirmare deberet electionem tali postulationi oppositam, utpote Canonicam, nempe conformem c. 40. de elect. X. Si postulatio concurrit cum postulatione, unaque, nempe facta *per duas tertias* fuerit rejecta, altera habens *unam tertiam* non videtur *de jure* admitti posse; quia nimia foret suffragiorum divisio et contradictio; et quia *duæ tertiæ* faciunt præsumtionem partis sanioris. c. 9. de elec. in 6,

(*m*) Papa in Concordatis §.3. spondet, quod electiones, si Canonicæ fuerint, sit confirmaturus, nisi ex causa rationabili et evidenti, et de Fratrum consilio, de digniori et utiliori persona duxerit providendum. De postulationibus nihil memorat. Ipsum Concilium Basileense agens Sess. XII. de electionibus et confirmationibus Episcoporum, addit: „ Postulationibus in juris communis dispositione remanentibus. " Concil. edit. Mansi Tom. XXIX. Col. 61. Putant tamen, rejecta tali postulatione jus eligendi vel postulandi redire ad Capitulum. Vide Animadversiones in cit. dissert. Nelleri.

(*n*) Id etiam post Concordata in Germania habere locum defendit Nellerus l. c. de studio partium Romanarum minime suspectus.

§. 267. *Effectus admissae postulationis* est, quod habeat vim confirmatæ electionis: non videtur tamen sola admissio, nisi postulatus absolute, et de novo consentiat, efficere conjugium spirituale ratum inter Ecclesiam et Postulatum. Sane si impediti contrahere matrimonium carnale sponsalia faciant sub conditione, *si Papa dispensaverit*, post obtentam dispensationem requiritur novus consensus.

§. 268. Superior, cui præsentanda, et a quo admittenda est postulatio, plerumque est Papa; quia in ejusmodi impedimentis solus plerumque dispensare potest. Ad episcopum dirigenda esset, 1. si canonicatus ponitur electivus, et obstat statutum Episoopale vel antiqua consuetudo, ne minor 25. an. eligatur. 2. Si in casu personatus electivi locum habet c. un. de ætat. in 6., vel 3. in casu beneficii simplicis electivi c. 1. de fil. presbyt. in 6. 4., vel in casu contractæ bigamiæ similitudinariæ c. 4. de cler. conjug. et c. 1. qui clerici., vel 5. in casu, quo Episcopus vi Trid. dispensare potest in irregularitate occulta, cujus oborta suspicione aliquis sic ferret suffragium: *Eligo, vel postulo, prout potest melius de jure valere.*

§. 269. Hactenus de postulatione solemni actum est: quæ ab electione sane differt 1. *origine et natura*; quia supponit impedimentum Canonicum, estque medium extraordinarium. 2. *Perficiendi modo*; nam in concursu cum electione, duplo majorem suffragiorum numerum requirit, nec admittit consensum absolutum postulati. 3. *Effectu*; quia admittit variationem, antequam præsentetur Superiori, imo etiam cum istius consensu post præsentationem: nullum dat jus, nec actionem Postulato: innititur gratiæ,

non justitiæ; et ideo a Superiore *admitti* dicitur postulatio; electio vero *confirmari*. 4. *Expensis* postulantium obtinenda est *postulatio*: contra electus suis sumtibus de jure communi tenetur procurare confirmationem.

§. 270. Ob has postulationis molestias fere fit hodie, ut, quibus ætas vel alius Episcopatus, aut quidvis aliud impedimento est, aut esse videtur, quo minus eligi possint, ii a Sede Apostolica indultum, seu Breve eligibilitatis impetrare studeant. Sed quid? siquis Episcopus indulgentiam Apostolicam sub hac obtineat forma? *Quod ad aliam vocaretur forsitan Ecclesiam: eam sibi liceret assumere*? Anne eligi potest, aut postulari debet? R. Postulari debet. c. ult. de transl.; quia vi hujus indulti Episcopus neque solutus est a vinculo prioris Ecclesiæ, neque se ipsum propria voluntate absque novo examine tum personæ, tum factæ postulationis absolvere potest. Putant multi, talem indulgentiam locum dare electioni; alii negant ex cit. cap., in quo res acta est via postulationis, ut adeo indulgendæ illius alius effectus non sit, nisi ut postulatus jus consentiendi acquirat, et postulantes jam variandi amittant.

§. 271. *Simplex postulatio*, de qua agendum est demum, est petitio licentiæ, ut superior in electionem Personæ sibi subditæ, nullo alias Canonico defectu impeditæ, consentiat. Dicitur *minus solemnis*, quia nullas requirit solemnitates; ac fieri potest quocunque modo, verbis, vel per Epistolam, ante electionem ab eligentibus, non quatenus ipsorum, sed eligendi Superior est: vel post electionem petita ab electo licentia, antea enim consentire non potest; secus

electio est irrita; c. 27. de elect. in 6. Inducta est hæc Postulatio antiquissimis temporibus honestatis Canonicæ causa, tanquam *observantia, quae pacem custodit.* Can. 6. dist. 71.; ne scilicet Clericus vel Monachus sine consensu vel præscitu prælati, cui subest, ab Ecclesia abstrahatur.

§. 272. Hac ratione postulantur 1. Cardinales non Episcopi. c. 3. h. t. 2. Prælati, Episcopis inferiores, Abbates c. 36. de elect. in 6. 3. Clerici beneficiati alienæ diœceseos. can. 14. dist. 63., nisi ante obtinuerint dimissorias a suo Episcopo; can. fin. dist. 76 et can. 37. VII. q. 1.: ac si talis Clericus petendæ ab Episcopo suo licentiæ copiam non habeat, postulandus est a Papa, can. 5. dist. 71. 4. Monachus vel Canonicus regularis, imo quivis religiosus c. 27. de elect. in 6 et c. 11. de renunt, ac Superior monasterii facultatem dare potest, irrequisitis conventibus. cit. c. 27. 5. Cum Episcopo dandus est Coadjutor, etiam fine jure successionis. c. Un. de Clerico ægrot. in 6. Si vero cum successione dandus est, postulari debet: tunc enim opus est Apostolica dispensatione; quia Canones pridem recepti prohibent viventi dare successorem. Praxis est, prævie petere licentiam a Summo Pontifice; qua obtenta per viam electionis proceditur; nisi successor vocetur alligatus jam Ecclesiæ, aliterve impeditus.

TITULUS VI.

DE ELECTIONE ET ELECTI POTESTATE.

ARGUMENTUM.

I. Notio electionis: sit Sede vocante: debito tempore et loco. §. 273. *II. Vox activa: sententia collegialis et libera.* §. 278. *III. Vox passiva, seu eligibilitas.* §. 288. *IV. Praeparatio remota, vocatio absentium, constitutio procuratorum, tractatus* §. 296. *V. Actus electionis et forma per scrutinium, compromissum quasi inspirationem.* §. 303. *VI. Publicatio electionis et consensus electi* §. 315. *VII. Confirmatio Electionis* §. 316. *VIII. Causa et processus Electionis* §. 319. *IX Consecratio Electi* §. 331. *X. De Electione Summi Pontificis, et Abbatum etc.* §. 337.

§. 273. Electio stricte dicta (240. n. II) est canonica vocatio Personæ habilis ad Prælaturam vacantem, facta per suffragia legitimorum electorum, a Superiore fere confirmanda. Notionem non ingreditur sexus; quia etiam abbatissæ eliguntur: neque necessario, sed *fere* aut plerumque confirmatio Superioris; quia aliquæ dignitates electivæ in quibusdam locis, e. g. Decanatus, confirmari non solent ex consuetudine. At notionem ingreditur I. Prælatura *vocans.* II. *Suffragia* legitimorum Electorum, et sententia collegialis. III. *Habilitas* Personæ eligendæ IV. Forma *Canonica.* V. Secundum modernum Germaniæ usum *Confirmatio.*

§. 274. Primum igitur est, ut constet de Sede vacante, seu Ecclesia dici possint viduata Quomodo vacatio contingat *de facto tantum*, de *jure tantum*, de *jure et facto simul*; itemque quo-

modo ea vacet *vere* aut *ficte*, quidve juris vacante Sede Capitulo, vel Administratori Ecclesiæ viduatæ competat, exponitur l. 3. Decretal. tit. 9. *Ne Sede vacante aliquid innovetur.* Si viventi Prælato Coadjutor cum jure successionis detur, id speciali nititur dispensatione, aut facultate præcedente Romani Pontificis, Trident. Sess. XXV. c. 7. de ref. In regula, *vivente Prælato*, licet ejus vita desperata sit, I. irrita est electio. II. Non tantum prohibitus, sed etiam invalidus est tractatus de Electione successoris, c. *bonae memoriae* 36. h. t. et can. 7. dist. 79. III. Citatio seu vocatio ad Electionem peragendam, emissa ante mortem Prælati, ipso etiam jure est irrita, nec constringit vocatum. IV. Si ante mortem Prælati extra Capitulum, vel in Capitulo velut incidenter mentio fiat de Persona ei substituenda, de tempore vel loco futuræ Electionis; cavendum, ne id videatur habere speciem tractatus capitularis, mutuæ promissionis, vel pacti de certa Persona eligenda: tales enim pactiones reprobantur; ac si postea appareat, Electionem ex ejusmodi pactione originem duxisse, ea cassari poterit; ut observant interpretes ad cit c. *bonae memoriae.* V. Potestas Prælati eo etiam pertinet, ut de forma, tempore et loco Electionis post suam mortem futuræ statuat: ut ante mortem Electores convocet, ad concordiam hortetur, de successore consultet: certum etiam proponat: arg. can. 10. dist. 79. Capitulares tamen post mortem non prohibentur recedere, et alium, ac propositus fuerat, eligere; quia jure cautum est, ne Episcopus ante vitæ finem sibi successorem constituat. can. Episcopo. 4. VIII. q. 1.

§. 275. *Cum primum Ecclesia vacaverit*, supplicationes ac preces publice, privatimque *ha-*

beantur, *atque a Capitulo per civitatem, et diaecesin indicantur*, *quibus clerus*, *populusque bonum a Deo pastorem valeat impetrare* Trid. Sess. XXIV. c. 1. de ref. Ante corpus sepulturæ traditum, ac tertium depositionis diem de Electione instituenda collegialiter ac definitive decernendum non est, can. 7. dist. 79. c. *bonæ memoriæ* 36., nisi gravis causa festinationem exigat. Huic exceptioni non obstant verba cit. c. 36. ibi: *Quia*, *corpore dicti Episcopi nondum tradito sepulturæ*, *habuerunt de ipsa electione tractatum*: nam in proposita ibi specie facti Electio cassata fuit, non tam ob tractatum ante sepulturam habitum, sed ob vitium convocationis Electorum, quæ Canonica non fuit, quippe facta ante mortem Episcopi, ut notat Glossa ibi v. *Tractatum*. Reipsa post mortem Prælati Ecclesia est viduata, et morte ejusdem mox cognita, currit etiam tempus ad Electionem concessum.

§. 276. Post tertium ergo depositionis diem præfigendus est terminus futuræ Electionis, et locus. *De tempore ergo*, *intra quod Electio fieri debet*, *et de loco nunc agendum*. Ac de *tempore* quidem, intra quod fieri debet Electio, distinctio fit inter cathedrales et regulares Ecclesias ex una parte: et alias prælaturas, dignitates ac beneficia Ecclesiastica ex altera parte. *De Ecclesiis cathedralibus et regularibus* jus decidit, I. ne ultra tres menses vacent; *intra quos* (*justo impedimento cessante*) *si Electio celebrata non fuerit*, *qui eligere debuerant*, *eligendi potestate careant ea vice*, *ac ipsa eligendi potestas ad eum*, *qui proximo præcesse dignoscitur*, *devolvatur*, C. 41. can. 11. dist. 50. (*a*). II. Ex verbis: *juxto impedimento cessante*, infertur, tempus præfixum non esse continuum, sed *utile* in initio, et decursu, Glossa marginal. in can. *bene novit*. 18. dist. 61. adeo-

que non currit *primo* ignorantibus: vel *postea* impeditis. III. Terminus trimestris statutus non est, ut ante eum eligere non liceat, sed ne *ultra* eum Electio differatur; ac fieri potest, ut ob varia pericula accelerari debeat electio; quo casu Capitulares ad id cogi possunt a Superiore. IV. *Si electio ex eo non sortiatur effectum, quia electus consentire recusat, vel post consensum renuntiat juri suo, aut forte diem claudit extremum, seu propter occultum ejus vitium irritatur, electores (qui jam fecerant, quod spectabat ad ipsos intra juris terminum eligendo) habebunt a dissensu, renuntiatione, morte, vel irritatione prædictis, ac si vacatio nova esset, tempus integrum ad electionem aliam celebrandam: dummodo nil fraudulenter egerint in præmissis.* c. 16. in 6. V. Ad tempus electionis illud etiam videtur referendum, congruum esse, ut Electio de die instituatur, non autem noctu, præsertim si forma adhibetur scrutinii. Si qua urgens necessitas aliud exposcat, tot adhibenda sunt luminaria, ut omnis fraudis suspicio excludatur (*b*).

(*a*) Cit. locis adduntur gravissimæ rationes hujus dispositionis. Ceterum aliæ Prælaturæ, dignitates et beneficia Ecclesiastica ultra sex menses vacare non debent. c.2. de concess. præb. Secus fit devolutio ad alios, quemadmodum explicatur ad tit. de suppl. neglig. Si in cathedralibus vel regularibus Ecclesiis intra tres menses non fit electio, ex concordatis Germaniæ jus providendi devolvitur ad Papam.

(*b*) Rodriquez Tom.II. Regular. q.51. art.15.

§. 277. *Locus* in quo electio Prælati institui debet, est Ecclesia, c. 28. et can. 1. §. 4. dist. 23.; et quod ejus ambitu continetur, ceu chorus, c. 19. aut Capitulum; c. 21. secundum cujusque Ecclesiæ consuetudinem. Si capitulares in loco

Ecclesiæ suæ convenire non possint, e. g. ob violentiæ timorem, obsidionem civitatis, alio in loco tuto electionem instituere non prohibentur, arg. can. 1. §. 4. dist. 23.; cum præsertim universitas expulsa e loco proprio, alibi congregari, ac de rebus suis statuere possit, ut notat Baldus I cunctos populos. 1. n. 11. C. de Sum. Trinit., quia, ut ait, hoc non est jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ.

§. 278. Quia Electio vi notionis fieri debet per suffragia legitimorum electorum, et sententiam collegialem (§. 273); agendum est de *voce activa*, quæ est jus coeligendi. Ea spectatur 1. in singulis, quibus id jus competit. 2. Quomodo ex suffragiis singulorum fiat sententia collegialis. 3. Necesse est, ut in usu hujus juris tum singuli, tum universi gaudeant libertate.

§. 279. Suffragia inhabilium, id est, eorum, qui jure eligendi non gaudent, nullum omnino pariunt juris effectum; in quam sententiam proprie cadit regula juris 64. in 6.: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Talia sunt suffragia laicorum, populi, potestatis secularis, c. 2. 43. 51. (conf. dicta a §. 243. seq.). Si inter habiles misceantur aliqui inhabiles, sola habilium suffragia attenduntur, etiamsi constituant minorem partem; imo jus eligendi potest devolvi ad annum si reliqui omnes facti essent inhabiles. Siqui e.g. extranei aut inhabiles facti electioni se immiscent, et jus coeligendi prætendunt, ne sufflaminentur habiles, et electio extrahatur, interponi solet protesatio, *quod vox eorum, qui non deberent interesse de jure vel consuetudine, non valeret.* c. 50. In Processu dein confirmationis examinatur quæstio, siquidem ex ea pluralitas suffragiorum, et exitus electionis pendeat.

§. 280. Vocem activam, seu jus suffragii in electione de *jure communi et ordinario* habent omnes Capitulares Ecclesiæ vacantis. c. 1. h. t. et soli; *omnes*, inquam, nisi impediantur defectu, censura, irregularitate, delicto: *et soli*; nam *extranei*, qui non sunt de Capitulo eligente, habent præsumtionem contra se, et *jus speciale* atque *extraordinarium probare debent*; de quo infra. *Excorporatione* igitur illud jus ammittitur; nec valet reservatio vocis activæ quoad prius monasterium facta a monacho, qui in alterius monasterii abbatem electus, eo transmigravit. c. 47. Si de jure eligendi Canonicos in Ecclesiis cathedralibus agitur, Episcopus relate ad Capitulum nequit pro *extraneo* haberi, nec habet præsumtionem contra se; quia electio Canonicorum de jure communi videtur pertinere ad Capitulum, et Episcopum simul. Qui privative jus eligendi sibi competere ait, id probare debet. c. 31. h. t.

§. 281. Impediuntur aliqui ex dispositione juris, quo minus eligant, seu vocem activam habeant, etsi sint de Congregatione, aut Capitulo Ecclesiæ vacantis *ex defectu* I. ætatis, ceu impuberes. c. 32. in 6. eo referendi sunt omnes, qui discretione carent e. g. Furiosi. II. Ordinis, nondum Subdiaconi, etsi essent de Capitulo, et reliqui Capitulares eos vellent admittere. Clem. 2. de ætat. et qual. quam constitutionem SS. Conc. Trid. in terminis renovavit Sess. XXII. c. 4. de ref. III. justæ causæ absentiæ; siquis enim sine legitimo impedimento absit, ne quidem per procuratorem admittitur ad eligendum. c. 42. §. 1.

§. 282. Impediuntur *per censuram* I. *excommunitati* excommunicatione majore c. 23 de appellat; c. Un. ne Sede vacante. in 6. Excommu-

nicatio minor jus suffragii non adimit, c. fin. de Clerico excom. II. *Suspensi* simpliciter, vel ab officio tantum. c. 16. h. t. et c. 8. de cons. Qui scienter eligunt indignum, triennio, suspenduntur *a beneficiis* c. 7. §. fin. h. t.; et tamen pro una tantum vice privantur voce activa. Si ergo intra triennium incidit secunda vel tertia electio, admittendi sunt ad eligendum, c. 25. ergo suspensio a beneficio tantum, vocem activam per se non adimit. III. *Personaliter interdicti propter delictum*; arg. c. 16. h. t. Ceterum affecti censura, si sint tolerati, et adversus eos non excipiatur, videntur valide eligere (c); quia jus eligendi non respicit favorem eligentium, sed Ecclesiæ et fidelium.

(c) Vid. Cl. Zech. de Hierarchia tit. 19, §.210.

§. 283. Impediuntur *irregulares* ob eam causam, quod scienter celebraverint in loco interdicto, c. 18. §. Un. de Sent. excom. in 6. De *infamia* expressum non est, quod removeat ab eligendo: nam quod regula juris 87. in 6. dicit: *Infamibus portæ non pateant dignitatum*; id de suscipiendis honoribus, non conferendis intelligi debet. Sed anne pati tenentur reliqui viri honesti, ut secum in Capitulo consideat, gravissimumque tractet negotium homo, cujus infamia vel per sententiam constat, vel ita aperta est, ut nulla tergiversatione celari possit? Non tenentur sane; arg. l. 2. D. de officio adsessorum, nec tenebuntur admittere ejus procuratorem; quia legitima non est absentiæ causa, quam sua culpa quis posuit.

§. 284. Impediuntur *delicto*, at pro una tantum vice, I. scienter eligentes vel postulantes indignum, c. 1. de postul. Prælat. c. 7. §. 3. X. et

c. 7. in 6. II. Ad Episcopatum scienter postulantes eum, qui 27. non attigerit annum, Extrav. Un. de postul. Præl. int. com. III. Attentantes innovare postulationem a Superiore jam cassatam, c. 2. de postul. Præl. IV. Permittentes fieri electionem per abusum secularis potestatis, c. 43. de elect.; nempe ii, qui scienter admittunt laicos ad coeligendum, vel immiscentes se electioni cum auctoritate, et intervenientes tolerant. V. Qui non observant formam præscriptam c. 42. h. t., per sententiam privandi sunt jure eligendi. De his dicetur infra a §. 318.

§. 285. *Jura specialia*, ob quæ eis, qui de Capitulo eligente non sunt, vox activa competere potest (§. 280.) nituntur I. privilegio Summi Pontificis; II. reservatione in fundatione facta; III. singulari concessione totius Capituli per unanimem consensum, c. 40. h. t.; IV. bonæ fidei possessione canonicatus; V. nomine procuratorio; VI. consuetudine ab antiquis deducta temporibus: constat enim, electiones Episcoporum olim celebratas fuisse a toto clero civitatis, donec capitula majora Seculo XII. et XIII. præscripsissent jam contra eos, ita, ut *secundum statuta Canonica* (eorum temporum) *electiones Episcoporum ad cathedralium Ecclesiarum clericos regulariter pertinerent, nisi alibi secus obtineret de consuetudine speciali*, c. 3. de caus. possess. VII. Præscriptione, cit. c. 3.; quapropter si consuetudo specialis allegatur, ea tanti temporis esse debet, quæ ad legitimam præscriptionem sufficiat §. 228. Extraneus, qui jus eligendi quasi possidet, in possessione manutenetur, c. 3. de caus. poss.: hinc præstat tueri se possessorio, non cumulando petitorium; probari autem in possessorio debet non solum, quod quis electioni interfuerit, et

scrutatores etiam voluntatem ad id dederint, sed etiam, quod inquisita fuerint ipsius vota, et ipse elegerit, c. 24. et 50. h. t. Siquis incautus petitorium cum possessorio cumulet, fieri potest, ut vincat in possessorio, succumbat in petitorio per eandem sententiam, c. 3. de caus. poss.

§. 286. Dictum est de voce activa seu jure eligendi, quatenus *singulis* competit. Electio autem canonica fieri debet *capstulariter*, hoc est, sub forma Congregationis, aut Capituli congregati; nec sufficit, singulos seorsum extra congregationem interrogari, et decernere. Hinc post data a singulis suffragia *communis* fieri debet electio, ut dicetur §. 309. De Capitulo nota: I. Jure civili tres sufficiunt personæ, ut habeatur collegium, et sententia collegialis. l. 85. D. de V. S. jure canonico videntur etiam duæ sufficere. c. 1. h. t. II. Collegium in pluribus institutum conservari potest in uno l. §. 7. D., quod cujusque universitatis. III. In tanta paucitate cavendum cuique, ne collusione efficiat, ut ipse eligatur: multo etiam minus se ipsum eligere quis potest. arg. l. 4. D. de tutorib. et c. fin. de institut. Can. 9. VIII. q. 1.; potest tamen quivis assensu suo efficere, ut habeantur majora capituli. c. 33. h. t. (infra §. 313.).

§. 287. In usu juris eligendi necesse est, ut tum singuli, tum universi plena gaudeant suffragiorum libertate; hinc I. non valet electio vi et metu extorta c. 23. h. t., ii vero, qui persequuntur, aut spoliant eligentes propterea, quod noluerint ad sua desideria accommodare suffragia, ipso facto excommunicantur c. 12. in 6. (*d*). II. Nec

valet electio dolo, et per subreptionis astutiam elicita. c. 32. h. t.

(*d*) Ut metu censeatur extorta electio, opus est, ut agens metui cesserit, et ex metu egerit. Ex defectu hujus requisiti frustra videtur opponi metus illatus in electione Urbani VI. Pontificis; neque causa justa fuit inducendi in Ecclesiam fatale schisma, ope Concilii Constantiensis demum extinctum.

§. 288. *A voce activa transeundum est ad passivam, sive habilitatem personæ electæ.* Generaliter eligi possunt omnes et soli *digni*. Indignitas jure communi oritur I. ex defectu, II ex delicto, III ex censura, IV ex irregularitate. Si nihil hujusmodi opponi possit electo vel eligendo, jus *speciale*, quo forte excluditur, probandum est ab opponente.

§. 289. *Defectus*, qui a prælaturis excludunt, sunt I. *ætatis*, uti siquis relate ad Episcopatum, nondum complevit annum 30 ætatis, et relate ad dignitates inferiores et beneficia curata annum 24. II. *Ordinis*, siquis in Episcopum eligendus antea non fuerit in subdiaconatu per sex menses. Trident. Sess. XXII. c. 2. de ref. III. *Literarum et scientiæ.* Trid. ibid. et c. 7. h. t., quod renovatum est a Concilio Trid. Sess. VII. c. 1. de ref. et Sess. XXIV. c. 12. de ref. (*e*).

(*e*) Huc pertinent omnes irregulares ex defectu.

§. 290. *Ob delictum* elegi non possunt I. consentientes in electionem sui per abusum potestatis secularis. c. 43. II. Ambitiosi, qui nempe alios solicitarunt precibus, ut eligerentur ipsi, maxime si pacta et juramenta intervenerunt. c. 26. *Quia, sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus.* can. 9. VIII. q. 1. III. Retinenses sine dispensatione plura beneficia incompatibilia. c. 54. IV. Scienter eligen-

tes simoniacum ; tales enim se reddunt indignos Ecclesiasticis beneficiis. c. 26., ubi summarium, quod nullius est auctoritatis, differt a textu. V. Hæretici, et ex hoc maculato genere descendentes usque ad secundum gradum quoad lineam paternam, et primum quoad maternam c. 15. de Hæreticis in 6. VI. Schismatici. c. 5. h. t. ; si tales tempore electionis abjurato schismate jam rediissent ad catholicam unitatem, neque ullum ordinem a schismatico susceperint eorum electio *dispensative*, id est, per indulgentiam canonicam confirmatur (*f*)

(*f*) Ad hanc classem pertinent omnes irregulares ex delicto.

§. 291. *Censuræ omnes* excludunt a prælaturis et dignitatibus, nempe I. excommunicatio, etiam minor. c. 7. pr. et c. fin. de Clerico excomm. ibi : *Eoquod ad susceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a sanctis Patribus est privatus.* Nempe electus deberet suscipere Sacramentum Ordinis, imo etiam in sagrificando pro populo Eucharistiam; cum a perceptione Sacramentorum per excommunicationem minorem sit exclusus. Conf. Glossam in hoc c. finale. II. Suspensio a beneficio vel officio c. 8. de consuet. III. Interdictum personale, et violatio interdicti localis per celebrationem. Affectis censura nil prodest, quod tolerati sint ; quia per constitutionem: *Ad vitanda scandala*, Martini V. nihil favoris ipsis censuratis indultum est.

§.292. *Irregularitas omnis* ex defectu vel delicto, de qua infra erit agendum, excludit a prælaturis, dignitatibus et beneficiis. Huc ergo pertinent illegitimi, infames et criminosi. c.7. h.t.

§.293 De electione indigni quæritur I. an sit irrita *ipso jure* ? Resp.1. Si indignitas oritur *ex*

defectu, est irrita ipso jnre; quia tum procedi debet per postulationem. c.20. h. t. 2. Si *ex delicto*, multi putant inspicienda esse verba legis, utrum prohibeant duntaxat, vel etiam irritent. Non potest quidem jure canonico generaliter statui, id, quod prohibitum est, pariter irritum esse (§.181. in nota): at siquid per se improbatnr, ac prohibetur, nec aliunde e.g. a jure naturali valorem acquirit, tutius habetur pro irrito. Sola electio ejus, qui excommunicationem minorem incnrrit, dicitur *irritanda*. c. fin. de Clerico excomm. ministr.

§. 294. Quæritur II. utrum electio, quæ ob defectum vel delictum irrita est pro foro externo, etiam irrita pro foro interno censeri debeat? sive an electus ad prælaturam, impedimenti occulti conscius, eam salva conscientia acceptare possit? Resp. Non potest. c.20. h.t., ubi de illegitimo electo diciter. *quod sponte ac humiliter suum maluit confiteri reatum, quam* LÆSA CONSCIENTIA *thronum conscendere pastoralem*; item c. 10. §. 6. de renunt. ibi: *Licet irregularitatem hujusmodi non potuerit subsicere*, et ibi glossa. *Dices*: Difficile est carere prælatura, aut manifestare defectum. Resp. Difficile id est ambitioso c. homini probo et prælaturæ onera expendenti n. conf. can. 9. VIII. q.1. et l.31. C. de Episcopis et Clericis. Qui impedimenti sibi conscius est, agnoscit, se reipsa esse ineligibilem; nec ullum acceptandi jus habere potest, quem Ecclesia vult exclusum: nulla igitur reipsa est electio: nulla est acceptatio: nullus prælaturam tenendi titulus.

§.295. Actum est de indignis, qui eligi non possunt. In horum autem numero non sunt. I.*Extranei* Clerici vel Religiosi, si utiliores futuri Ecclesiæ videantur. c.21. h. t. Ceteris tamen paribus

præferendus est aliquis ex gremio Ecclesiæ c.41. h.t. et can.13. et 15. et16. dist.61. can.19. dist.63 can.5. §.2. XVIII. q.2. II. Canonici doctores, non illustres aut nobiles; nec obest, quod reliqui canonici nobiles semper ita convenerint in nobilem pluralitate votorum, ut nullus de canonicis doctoribus, non nobilibus, unquam electus fuerit: *Nam ex hoc non concluditur ad ineligibilitatem, sed solum ad æmulationem evehendi nobilem præ doctoribus canonicis* (g) III. *Personæ regularis, sive Monachi, sive Canonici, sive Clerici*, nam hos posse evocari ad Episcopatus, certi et antiquissimi juris est. Clem. 1. h. t. c. 28. in 6. arg. can. 39. XVI. 9. 1. Nov. VI. c. 1. §.7. Non tamen in prælatum regularem eligi potest non professus, aut professus alterius ordinis, vel habitus, c.27.; ubi additur ratio ex Deuteron. XXII. 10. *Non arabis in bove simul et asino*, id est, homines diversæ professionis in officio uno non sociabis. Ita scripturam interpretatur, vel applicat can. 22. XVI. q. 7. et ratio: *Non indueris vestimento, quod ex lana, linoque contextum est.* Deut. ibid. v. 11. id est, homines diversi habitus sociari non debent. IV. *Absentes vel inscii* factæ de se electionis. c. 20. h. t. V. *Digni simpliciter*, etsi alii digniores in gremio praesto sint. Illorum enim electio valida censeri debet, ne infinitis ambitiosis litibus ansa detur contra plerasque electiones. De obligatione autem eligendi digniores agitur ad tit. *De ætate, et qualitate et ordine præficiendorum.*

(g) Ita Nellerus scribit in diss. de sacræ electionis processu. §.II. Tom.II. Thes. Jur. Eccl. n. XVII.

§. 296. Ad præparationem remotam electionis pertinet I. ut exspectetur adventus eorum,

qui per se, vel commissarios eidem interesse debent, etsi non sint de numero eligentium; secus electio firma non est. c. 28. h. t. et c. 2. de in integr. restit. II. Aliquando ex mandato Papæ consilium quorundam ad tractatum electionis adhidendum est; eo non requisito, aut non exspectato responso nulla est electio. c. 52. h. t.: similiter ex placito partium vel arbitrorum consilium certorum requiri aliquando debet, etsi illud sequi necesse non sit. c. 7. de arbitris. III. Maxime autem ad remotam præparationem pertinet *vocatio*, sive citatio edictalis omnium, qui jus eligendi habent; *cum electioni plus contemtus unius quam multorum contradictio obsit.* c. 36. Qui vocati non sunt, cum debuissent vocari, intra tempus ad faciendam electionem a jure præscriptum agere possunt de contemtu ad irritandam electionem, etsi forte jam confirmatam. cit. c. 36. Electio igitur ob contemtum non fit irrita ipso jure, sed ad instantiam ejus, qui contemtus est, irritatur. c. 33. de præb. in 6.

§. 297. Vocandi autem sunt, *qui debent*, *et volunt*, *et possunt commode interesse.* c. 42. Hinc præteriri possunt *I. qui vocem activam non habent, nisi alio muniantur jure interveniendi electioni. II. Nimis remoti a loco electionis.* C. 18. ad electionem Capuanam vocari non debent, qui Panormi in Sicilia versantur. C. 25. dicitur: *Fratribus omnibus, qui fuerint in provincia, convocatis.* At in c. 55. in fin. *Cum de toto regno Franciæ vocentur absentes de consuetudine Ecclesiæ Gallicanæ.* Consuetudines ergo diœcesium hac etiam in re spectandæ sunt. III. Qui vocari non possunt sine periculo vocantium. c. 28. in parte decisa; e. g. si electores sine gravi Principis vel hostis, qui civitatem forte occupavit, in-

dignatione aliquem fortassis suspectum Principi vel hosti vocare non possunt.

§. 298. Absens per *votum epistolare* eligere non potest. c. 46. §. 3. in 6. ibi : *Quia votum non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secrete et sigillatim tantummodo exprimendum.* Accedit, quod cum epistola non posset tractari, nec ea de utilitate Ecclesiæ, et mutatis forte circumstantiis moneri. Procuratorem ergo constituere potest absens; at sub binis conditionibus copulative, *primo*, si abest eo in loco, de quo vocari debeat; *secundo* si justo impedimento distentus, ipse venire non possit. c. 42. §. 1. Non sufficit autem impedimentum allegare, sed de eo, nisi notorium sit, fides facienda est per attestata medicorum, magistratus, vel jurejurando, dato nempe procuratori mandato speciali, jurandi in animam absentis super veritate impedimenti. cit. c. 42. §. 1. Quæ juxta censeri debeant impedimenta, non definitur hoc loco; hinc aliunde petuntur argumenta e. g. de justa causa absentiæ a Synodo. can. 1. V. q. 3., ex jure item civili tit. *Siquis cautionibus in judicio sistendi causa factis non obtemperaverit.* l. 2. §.2. et 3.l.4.§.3.item l. 54. §. 1. D. de re judicata. At justa impedimenta non sunt, quæ ex causa privatæ utilitatis proficiscuntur ceu pluralitas præbendarum, indeque orta impossibilitas vel magnum incommodum veniendi. Conf. §. 283.

§. 299. Procurator constitui potest, I. *cum mandato generali*, ut eligat, quem suo arbitrio duxerit eligendum : ac tum si ipse est de Capitulo eligente; non potest alterum suo, alterum alieno nomine eligere; quia duplicem habere non potest conscientiam de eligendo digniore : potest autem vi generalis mandati eligere suum principalem; imo si eum judicat digniorem, tenetur ob eandem

rationem; quia dividere non potest conscientiam; modo absit affectata absentiæ condictio; ut quis per fidelem sibi procuratorem eo perveniat absens, quo præsens voto proprio pervenire non poterat. Si absens plures constituit, eos constituere debet in solidum, *et erit tunc melior conditio occupantis*; in casu autem mandati generalis, *si ambo concurrant insimul, et postulent se admitti, audiri eos non expedit: quia possent vota sua dirigere in diversos, sicque res non haberet exitum, et quod ab eis hoc casu fieret: non valeret; sed is admittatur duntaxat, quem Capitulum vel pars major elegerit, vel si concordare nequeant, is, qui primo instrumento vel literis procurationis extiterit nominatus.* c. 46. pr. et §. 1. et 2. in 6.

§. 300. II. Constitui potest procurator cum *mandato speciali* de eligenda certa Persona; ac tum alium suo, alium alieno nomine potest eligere. cit. c. 46. §. 2. in 6. nisi nempe ex dictamine conscientiæ suæ eum, cujus eligendi speciale mandatum accepit, judicet indignum; ac tum suo principali refutare deberet mandatum, ne alienis peccatis communicaret, ut inquit Trident. Sess. XXIV. c. 1. de ref.

§. 301. Ex dictis patet, constitui posse vel unum, vel plures procuratores; at in solidum. cit. c. 46 in 6. Extraneus autem invito Capitulo obtrudi non potest; et quia generatim nemo tenetur mandatum suscipere: hinc absens, si nullus ex gremio mandatum suscipit, voto carebit. cit. 46. §. 3. in 6.

§. 302. Præmitti electionibus fere solent *tractatus*; qui sunt duplicis generis. *Primo* si electores agunt inter se de personis, quæ eligi possunt pro Ecclesiæ præsente utilitate vel necessitate; is tractatus, si ambitiosus, simoniacus, et factiosus

non sit, præmitti potest, præterquam in electionibus regularium, ubi nomina suffragantium occulta manere debent. *Secundo* Tractatus nomine veniunt capitulationes super certis articulis ab eligendo observandis (*h*). De hoc genere tractatuum jus sacrum decidit: I. Omnes capitulationes, quæ libertati Ecclesiasticæ, quæ juribus electi, vel Ecclesiæ, ad quam eligitur, præjudicant, sunt illicitæ et irritæ; quia Ecclesia Sede vacante caret legitimo defensore. tot. tit. Ne sed. vac. aliq. innov. II. Si dubium sit. an ejusmodi capitulationes vel pactiones Ecclesiæ prosint, et juribus electi non præjudicent, locum obtinet Constitutio Innocentii XII. quæ incipit: *Ecclesiæ Catholicæ*. An. 1695. ejusque constitutionis declaratio facta a Benedicto XIV. a. 1754, quæ incipit: *Pastoralis regiminis*; vi quarum tales pactiones, si *ante* electionem sunt factæ, declarantur irritæ, et omni obligatione vacuæ: si autem post electionem, suspensa manet earum obligatio, donec a Sede Apostolica examinatæ et approbatæ fuerint. III. Quoad jura temporalia et feudalia Episcoporum in Germania, tales pactiones ab Imperatore Leopoldo I. omni robore obligandi exutæ sunt, antequam ab Imperatore examinatæ et confirmatæ fuerint.

(*h*) E. g. Ut Episcopus de sua mensa aliquid cedat Capitulo: ut de negotiis, quæ Episcopo reservantur de jure, nil disponat sine consensu Capituli: ut ad certas dignitates e. g. ad Vicariatum in temporalibus vel spiritualibus non eligat, nisi canonicum capitularem.

§. 303. ***Ventum jam est ad actum electionis, ejusque formam canonicam.*** Ipso igitur electionis die campanæ signo convocantur electores, c. 30 Invocatur gratia Spiritus S. (celebrata Missa d. Spiritu S.) c. 14. et 18. h. t. et c. 3. de caus,

poss. Congregantur electores in loco electioni destinato. Personæ, ad actum electionis requisitæ, ut procurator electionis, notarius, testes etc. juramenta consueta faciunt. Notarius cum testibus refigit edictum citationis a valvis: superscribit actum refixionis, et reproducit illud coram Capitulo: docetur omnes rite esse vocatos: accusatur contumacia absentium. Præses vel director electionis in Ecclesiis cathedralibus Germaniæ est Decanus, vel eo absente Capitularis Senior; qui orationem habet ad Capitulares: dein constituitur numerus præsentium per se vel procuratores, ut constet, quot vota faciant majora: juratur de eligendo digniore: quæritur, qua forma procedere velint ad electionem; per scrutinium nempe; an compromissum.

§. 304. Formæ Canonicæ sunt duæ, scrutinium, et compromissum. c. 42. ibi: *aliter electio facta non valeat.* Additur exceptio: *nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem absque vitio celebrata.* De hac exceptione animadverte: I. In primitiva Ecclesia sæpe aperto Spiritus S. indicio designabantur eligendi, ut constat act. XIII. 2. Ad eundem modum quidam sensu proprio explicanda dicunt verba Act. XX. 28, *Attendite gregi, . . in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* II. Posterioribus etiam temporibus divini impulsus, aut quasi inspirationis frequentia extant exempla, quorum aliqua leguntur in Horis Canonicis: velut de S. Petro Chrysologo 4. Decemb. de S. Nicolao 6. de S. Ambrosio 7. (conf. §. 248. 249.) de S. Eusebio Vercellensi 16. ejusdem mensis. De Alexandro, Cappadocum Episcopo: cum Hierosolymam veniret; narrat Eusebius H. E. l. VI. c. 9. III. Vitiosa aut suspecta censeretur ele-

ctio, per quasi inspirationem celebrata; si tractatus aut conquisitio votorum precessisset.

§. 305. *Scrutari* vi notionis videtur idem denotáre, ac inquirere diligenter, singilatim, ac secreto. Tale scrutinium, vel talis inquisitio observatur in *hac forma*; ac fit *secreto*; ne posteriores suffragio suo electionem inclinare queant, quo ipsi volunt, Constat hæc forma quinque his actibus, qui sequuntur. I. *Electio scrutatorum.* Eligi solent tres, a Capitularibus congregatis; nisi jure speciali id munus ad quosdam digniores Canonicos pertineat. Non videntur eligi posse extranei; quia c. 42. dicitur: Assumantur tres *de Collegio* fide digni. Aliter est in compromisso.

§. 306. II. *Secreta suffragiorum Collectio* fit edito prius, ubi moris est, aut ubi exigitur, juramento. Secreto igitur, singilatim, ac diligenter exquiruntur vota Capitularium, eaque, sive ore prolata fuerint, sive, quod usitatius est, scripta et clausa ad scrutatores delata, annotantur in Protocollo: *Capitularis NN. dedit votum suum Capitulari NN.* expressis tum eligentis, tum electi nominibus. Scrutatores vel primo, vel post ejus, qui collegio præest, votum scrutantur se ipsos, nempe secundus et tertius primum, primus et tertius secundum, primus et secundus tertium. Infirmi, in civitate vel monasterio præsentes, deberent, sicut ceteri absentes, votum dare per procuratorem; revera enim absunt justa ex causa: solent tamen alicubi scrutatores ad ædes vel cameras infirmorum accedere, et scrutari infirmorum vota. Porro scrutatorum, dum suffragia colligunt, non est, vota perperam data, admonitione corrigere, sed ea, uti enunciata sunt, redigere in scriptum; etsi contra c. 2.

in 6. vota enuntiata, fuerint conditionalia, alternativa, incerta. Talia enim in collatione habentur pro non adjectis. cit. c. 2. in 6. Videtur tamen ad officium scrutatorum vi notionis pertinere, mentem et voluntatem suffragantium diligeuter exquirere, si ea obscure, et incertis verbis primo proponatur.

§. 307. III. *Publicatio scrutinii* fit illico nullo actu extraneo, longiorisve moræ intervallo interposito, et quidem *in communi*, recitando coram universis electoribus protocollum, in quod vota fuerunt consignata. Hanc publicationem nemo potest appellando suspendere. c. 42. Effectus est, ut nemini liceat pœnitere post hanc publicationem, c. 58. unde etiam accessus ad aliorum suffragia permissus non est eit. c. 58 et 29. extra electionem Summi Pontificis, et Abbatissarum, c. 6. X et c. 43. §. Sane. in 6. Regulares, qui suffragia scipta sine suffragantis nomine mittunt in urnam, etiam ante publicationem pœnitere non possunt.

§. 308. IV. *Collatio suffragiorum* est triplex, numeri ad numerum, zeli ad zelum; meriti ad meritum, ut appareat, quis a *majori* parte, quis a *digniore*, et quis inter coelectos *dignior* sit electus. c. 55. h. t. et can. 5. dist. 23. ubi non modo de numero statuitur, sed etiam persona eligentium et electi spectanda dicitur. Hæc collatio suffragiorum necessaria est, ejusque omissio irritam facit electionem. c. 50. in fin. et c. 55. Electores ad eam, si opus fuerit, compelli debent per Superiorem, c. 58. nec oberit actui, si ejus continuitas hoc modo interrumpitur, ne renitentes ex sua resistentia lucrum habeant. Gloss. in c. 52. v. *compellantur.* in f. Porro animadvertendum I. *de*

comparatione numeri ad numerum. Vota conditionata, alternativa, incerta rejiciuntur penitus. c. 2. in 6. In Electionibus Prælatorum majorum requiruntur absolute majora. c. 48. et 55. h. t. (§ 261); adeo autem requiruntur absolute majora, ut ne quidem compromissum valeat sub hac formula: *Quod compromissarius secreto et singillatim, votis singulorum de Capitulo exquisitis, et in scriptis redactis illum eligat, in quem plures de Capitolo partium comparatione minorum consenserint; licet consentientes majorem partem totius Capituli non attingant.* c 23. in 6. quia hæc formula est in fraudem Canonis absolute majora requirentis c. 42. et obstat regula juris 84 in 6. Absolute majora computantur ex toto Capitulo, ut est congregatum, non uti institutum et ordinatum est. c. 42. ibi: *qui volunt interesse.* et c. 19. ibi: *quoniam ad electionem faciendam accedere noluerunt, alienos se fecisse videntur* (*i*). De casu, quo minora vincunt, dicetur infra de vitiosa electione §. 319. 320.

II. *De comparatione zeli ad zelum, et meriti ad meritum.* Si in unum duæ tertiæ votorum conspirent, comparatio zeli aut meriti omnino opponi non potest: potest tamen opponi, quod vota illius reddat irrita ipso jure. c. 9. in 6. Pars Capituli absolute major saltem præsumitur sanior c. 57. Si tamen superiori electio subjicienda est, contra hanc præsumtionem locum habet probatio in contrarium; quia copulative requiruntur vota majora et saniora c. 42.

(*i*) Si instituti sint 16, et 12 congregati, pars major sunt 7. Putant, saltem duas tertias Capituli, ut institutum est, adesse debere; sed Canones nullibi id statuunt, et ex locis citatis infertur contrarium. Dicitur quidem c. 19. pr. in parte decisa: *Cum hoc, quod duæ partes Capi-*

tuli faciunt, totum facere videatur; sed enim id refertur ad Capitulum congregatum, non institutum. Satis ergo est, spectari majora Capituli congregati; modo absentes contemti non fuerint. l. 3. et 4. D. quod cujusque Universitatis. agitur de Syndico vel actore ad causas univessitatis constituendo, nec traditur generalis regula, quod ad valorem cujusvis actus Capitularis præsentia duarum tertiarum Universitatis vel Collegii requiratur.

§. 309. V. *Communis electio* sequitur factam collationem votorum, quando aliquis Capitularium surgens dicit: *Ego meo nomine, et totius Capituli* (vel in discordia) *mihi adhærentium eligo in Episcopum et pastorem Ecclesiæ NN. talem NN. electumque pronuntio in nomine Patris et Filii et Spiritus S.* Hæc communis electio adeo necessaria est tum in scrutinio, tum compromisso, ut, si omittatur, electio formæ vitio fiat nulla. c. 55. v. *Nec etiam.* ibi: *Ne sequeretur absurditas, ut tot essent electiones, quot essent numero eligentes* et c. 4. de sent. et re jud. in 6. *ut censeatur evidentius unica et communis electio.* Adde c. 21. h. t. in 6. Nec communis ista electio, si omissa est, per aliud æquivalens e. g. per solemnitatem deportationis suppletur; quia, quæ formæ sunt, non supplentur per aliud. Si tamen ea in discordia prohibetur ab adversa parte, vel alterius fiat communis electio, id non obest, modo petita fuerit a parte altera; tum enim suppletur officio Superioris, præsertim quia duæ electiones fieri non possunt. Ceterum jus non definit, a quo fieri debeat, a Præside, uno ex scrutatoribus, vel alio ad id constituto nomine omnium; modo non fiat ab eo, qui majora tulit suffragia, quia non potest eligere se ipsum.

§. 310. *Compromissum* fit, quando ii, qui jus eligendi habent, id transferunt in alium, vel alios

promittendo, quod recipiant illum, quem is, vel ii elegerint in prælatum, c. 8. et 32. pr. In constitutione compromissi duo interveniunt; *primo* abdicatio voti proprii per se ipsum dandi, atque hoc fit singulariter, non capitulariter; ita, ut singuli consentire debeant, et unius contradictio compromissum impediat, c. 29. de R. J. in 6. *secundo* translatio potestati eligendi in alium vel alios; id fit Capitulariter, immediate vel mediate c. 30 non tamen per sortes, c. 3. de sortilegiis.

§. 311. Compromissarii eligi possunt unus vel plures, c. 8. et 21. et c. 32. h. t. etiam extraneus vel extranei. cit. c. 8. quod secus habere videtur in scrutatoribus §. 305. Necesse tamen est, ut iis instructi sint qualitatibus, quæ alias requiruntur in eligentibus arg. c. 51.

§. 312. *Formula compromissi* præscribitur a compromittentibus, quæ exacte servanda est; secus nihil agitur: hinc vel simplex et illimitatum est compromissum, ut in casu c. 30. vel limitatum e. g. ut eligatur unus de gremio Ecclesiæ c. 32. nam alias etiam extraneus potest eligi a compromissariis c. 21. vel ut exploretur mens singulorum, nec eligatur, nisi quem omnes, aut major et sanior pars nominasset, c. 29. in 6. confer tamen §. 308. n. I. Potest etiam præfigi tempus, intra quod compromissarii eligere debeant, c. 52. Si nullum præfixum fuit tempus, et compromissarii totum id, quod electioni faciendæ a jure concessum est, elabi patiantur, quin inter se conveniant, compromittentes sibi imputent, quod jus eligendi ea vice amittant, c. 37. princ. in 6.

§. 313. *Effectus et vis compromissi est*, ut, quem compromissarii rite elegerint, censeatur ele-

ctus a toto capitulo. c. 30. Prævalent autem inter compromissarios majora, sicut inter eligentes, nisi unanimia fuerint præscripta. Per se non tenentur suffragia dare secreto, atque hinc unus *consentiendo* electioni de se factæ potest efficere majora c. 33. forte argumento l. 4. D. quod cujusque universitatis. aut exemplo §. 1. in fin. Inst. de Satisdatione tutor. In hunc sensum c. 33. vulgo explicatur. In ea specie facti septem fuerant electi compromissarii hac formula, ut illum, quem ex se vel aliis de gremio ipsius Ecclesiæ omnes pariter, vel major eorum pars nominaret, idem Capitulum reciperet in Decanum. Cum unus ex illis septem a tribus ipsorum, et alius, qui non erat de numero eorundem, a tribus aliis in Decanum fuerint nominati, Innocentius III. decidit, priorem juxta compromissi tenorem esse assumendum, dummodo electioni de se factæ consentiat. Carolus Sebastianus Berardi in J. E. T. I. diss. IV. c. 8. putat, tres posteriores alium extra gremium contra formulam compromissi nominasse, ideoque electionem priorem prævaluisse. Sed hoc ex Decretali minime colligi potest.

§. 314. *Exspirat compromissum* I. per *factam electionem*, etsi hæc non sortiatur effectum. c. 37. in 6. II. Per *lapsum temporis* a Capitulo vel jure præscripti. cit. c. 37. in 6. c. 41. X. III. Per *revocationem re adhuc integra factam*. c. 30. Revocatio autem re integra fieri non potest a singulis, sed per majora Capituli: re non integra, si minor compromissariorum pars renuntiat, non exspirat compromissum. cit. c. 30. IV. *Morte unius ex compromissariis*, per ea, quæ de pluribus judicibus delegatis, et saltem inspecto jure civili de pluribus arbitris compromissariis statuta sunt.

§. 315. Facta etiam in forma compromissi, uti scrutinii communi electione (§. 309.) eaque mox publicata, ne clandestina sit electio c. 42. §. 2, *de consensu et requirendo, et præstando ab electo jura decidunt sequentia.* I. Consensus ante communem electionem exhibitus non valet; unde postea repetendus est. c. 46. nec tamen prematuro consensui vitium ambitus impingunt Canones, ut aliqui volunt. II. Quia electio etiam de absente et inscio celebrari potest; tenentur electores eandem, sive in concordia, sive discordia celebrata fuerit, intra dies 8. postquam commode potuerunt, præsentare electo, et quidem sub pœna prosecutionis processus, et suspensionis indicta c. 16. v. *ceterum si eligentes*, versus finem. in 6. III. Eligentes tenentur exspectare consensum, vel declarationem electi; nec possunt interea pœnitendo ab electione recedere. c. 21. in fin. conf. c. 17., de præb. in 6. IV. Certior de sui electione factus spatium *unius mensis* habet ad deliberandum, an eandem acceptare velit, vel ei renuntiare: eo elapso ni consenserit, eo ipso excidit omni jure per electionem acquisito c.6.in 6.,ubi additur ulterior provisio pro casu, quo is *electioni de se celebratæ absque Superioris sui licentia, ex prohibitione, seu quavis provisione Sedis Apostolicæ consentire non possit.* Adde Extrav. 2. h. t. int. com. V. Effectus præstiti consensus est, *primo* ut electus acquirat jus *ad rem*, et Superior jure ordinario teneatur electionem confirmare, si excipere non possit de vitio personæ, aut formæ. c. 3. ac docet historia omnium ætatum, electos jus suum ad Ecclesias viduatas strenue defendisse. Aliud est de præsentatis a patrono, qui, si laicus est, sine injuria præsentati potest variare, et quamvis non variet, sed consentiat tantum, a beneficio excludi potest præsentatus. Hoc jus ad

rem , quod electus consentiendo acquirit, per deductionem in chorum , quæ statim fit , si electus adsit , non fit jus *in re* , nec dat ei jus actuale in prælatura , neque jus administrandi in temporalibus vel spiritualibus ante obtentam confirmationem c. 18. de præb. c. 9. et c. 17. h. t. et c. 5. eod. in 6. , vel ante obtentum a Summo Pontifice indultum administrationis c. 44. in 6. (*k*) — *Secundo. Per mutuum consensum eligentium et electi quasi conjugale vinculum* (Sponsalia de futuro) *contrahitur.* c. 21. h. t. secundum elegantem allegoriam c. 4. de translatione. paritas claudicat in eo , quod his non obstantibus velut sponsalibus de futuro electus possit etiam invitis eligentibus renuntiare juri suo , et fine postulatione ad aliam eligi Ecclesiam , et electioni consentire (§. 256. n. II.), saltem *anteqam* electio cum consensu electi Superiori ad confirmationem fuerit præsentata , arg. c. 4. de postul. præl. ne mutata voluntate electus Superiori illudere videatur.

(*k*) Dum electis sub gravibus pœnis loc. cit. prohibetur administratio , in c. 44. §. ceterum. h. t. excipiuntur ii, qui valde remoti , vidlicet ultra Italiam constituti sunt , si electi fuerunt in concordia. Hac tamen indulgentia adeo non utuntur Episcopi Germaniæ , ut ejus usus jam non videatur tutus. Zech. de. Hierarch. Tit. 19. §. 224.

§. 316. *Post consensum ab electo præstitum spectanda sunt ea , quæ confirmationem antecedunt.* I. Si in electione discordi adsit coelectus , vel oppositor , is nominatim vocandus est ad causam suam agendam : si nullus adsit , generale mandatum ad Ecclesiæ valvas affigendum , in quo citandi sunt , qui oppugnare volunt electionem ; aliter sequens confirmatio non tenet. c. ult. in 6. II. Ipsa autem confirmatio a Superiore petenda est intra *menses tres* a præstito consensu : alias juste

impedimento cessante electio ipso jure viribus destituitur c. 6. in 6. III. Hoc trimestre tempus quoad confirmationes a Sede Apostotica petendas Nicolaus III. in Constitutione: *Cupientes*, c. 16. in 6, quæ confirmata est per concordata Germaniæ, ita temperavit, ut Electus intra unum mensem post consensum ad Sedem ipsam iter arripiat, et post lapsum temporis ex distantia locorum moderandi, intra 20. dies electionis confirmationem petere teneatur. Ex Germania, aliisque remotis locis Electi plerumque coram Papa comparent per *procuratorem* et agentem suum excusantes personalis comparitionis intermissionem juxta benignitatem cit. c. 16. in 6. IV. Fit ergo in partibus processus informativus de Electi Natalibus, ætate, doctrina, moribus; quod perquam conforme est c. 3. et c. 40. h. t. et quidem *a Sedis Apostolicæ legatis*, *seu Nuntiis provinciarum*, *aut ab ejus* (Electi) *Ordinario*, *eoque deficiente a vicinioribus Ordinariis.* Trident. Sess. XXII. c. 2. de ref., qui iidem fidei professionem ab Electo exigunt, eamque una cum capta informatione, et voto suo ac publico instrumento de actu electionis, a Notario Apostolico confecto, aut a Capitularibus vel scrutatoribus subscripto ac subsignato ad Summam Sedem transmittunt; pront hæc omnia adcurate præscribuntur a Gregorio P. XIV. in bulla: *Onus Apostolicæ*. edita an. 1591. Id. Mai. VI. His Romæ diligenter discussis tam *super forma electionis*, quam *super Electi persona*, collectis etiam Cardinalium votis, succedit verbis solemnibus confirmatio per ipsum Summum Pontificem. conf. c. 19. h. t.

§. 317. *Literæ vonfirmationis* expediuntur in forma Bullæ gratiosæ. Extrav. 1. h. t. int. com. In iis, si electio minus canonica deprehensa est, in-

seritur clausula: *Cassata electione providemus ex integro eidem Ecclesiæ de eadem persona*, *exemplo* c. 3. de sortilegiis. Ob defectus autem dubios, adhibetur clausula *supplentes*. c. 39. h. t.

§. 318. *Vis et effectus confirmationis est*, I ut tribuat jus in re, et quasi dominium in Prælatura. II. Per eam electus vere promovetur, et censetur promotus, seu præfectus Ecclesiæ a Summo Pontifice. Trid. Sess. XXIV. c. 1. de refer. ibi.: *Sancta Synodus tot gravissimis Ecclesiæ incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quam ut Beatissimus Romanus Pontifex, quam solicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, ut — bonos maxime, atque idoneos pastores singulis Ecclesiis præficiat.* Ante confirmationem Electus dicitur *promovendus*: post eam *promotus*. c. 16. de accus. III. Confirmatio tribuit jurisdictionem, sine qua omnia, quæ ex jurisdictione procedunt, inutiliter et nulliter aguntur. IV. Confirmationis ergo literis Capitulo exhibitis (cit. Extrav. 1. h. t. int. com.) confirmatus obtinet potestatem plenæ administrationis et jurisdictionis, præterquam in iis, quæ majoris inquisitionis discussionem exigunt, et ministerium consecrationis desiderant. c. 15. h. t. Potest tamen confirmatus ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, delegare alteri Episcopo. V. Per confirmationem etiam contrahi censetur vinculum spiritualis matrimonii rati cum Ecclesia c. 4. de transl.

§. 319. *Agendum jam est de causa et processu electionis, qui ante confirmationem instituitur.* Vitium electionis provenit I ex persona electa. II. Ex modo et forma electionis. Vitium personæ

habetur, *primo* si eligitur vel postulatur omnino indignus, idque scienter vel ignoranter; *secundo* si persona impedimento affecta, in quo dispensari solet, *eligitur*; cum debuisset *postulati*. Si scienter eligitur indignus, pœna, de qua mox dicam, incurritur *ipso jure*: si peccatur in formam, c. 42. præscriptam, *per sententiam*. Semel electus, ob vitium electionis repulsus, iterum ad prælaturam eligi potest his casibus: I. Si electio irrita vel cassata fuit non vitio personæ, sed ob aliam causam, excepta Simoniæ labe. c. 12. h. t. II. Si defectus e. g. ætatis, aut vitium corporis cessavit. c. 21. Ceterum si de præcedente morbo e. g. epileptico constat, isque durabilis est, et ægre curari solet, non præsumitur, eum esse curatum, sed id probari debet. III. Si electio cassata fuit ob *crimen* personæ electæ, ea iterum eligi non potest. Quod etsi jure expressum non sit, tamen communiter a doctoribus statuitur, cum agunt de c. 12. et 21. h. t. Plane opinio personæ ex tali repulsa labem passa est, neque ea jam *sine crimine* esse intelligitur, qualem Canones volunt. Simili ratione si quis propter criminis conscientiam prælaturæ renuntiavit, aut renuntiare coactus, vel depositus fuit, iterum eligi non potest c. 11. §. 4. et 5. de renuntiat.

§. 320. *Poena scienter eligentium indignum*, id est, qui 30. an. nondum complevit: qui non ex legittimo natus matrimonio, aut moribus et scientia commendatus non est, c. 42. statuitur duplex. Prima est, ut electores ea vice potestate eligendi ipso jure sint privati. De qua pæna animadverte. I. Non est hæc suspensio ab officio vel jure eligendi, neque privatio, quæ per se ad totam vacationem prælaturæ extenditur, sed exclusio ab una proxima electione, ita, ut tota vis ca-

pitularis in aliis non delinquentibus resideat, etsi pauciores sint numero, imo unicus. II. Si ex 10 electoribus sex elegerint scienter indignum, quatuor reliqui, si inter se consentientes sint, possunt suum electionis decretum promulgare, aut si consentientes non sint, exclusis sex novum scrutinium inchoare, ut una electio celebretur sine delinquentibus. III. Si non privati electionis suæ decretum semel promulgarunt; exclusis iis, qui privati erant pro una vice, cessat pœna et privatio, etsi decretum electionis ob aliquam causam extrinsecam non haberet effectum, e. g. quia electus non acceptavit, aut statim mortuus est. IV. Scienter eligentes indignum non incurrunt pœnam privationis, nisi electionis *communis* decretum forment. c. 7. in 6. V. Si aliqui *scienter*, aliqui *ignoranter* indignum elegerint, spectari debet, utrum numerus ignoranter eligentium indignum, sit major, vel par, vel minor numero eorum, qui dignum elegerunt: si est major vel par, nulla valet electio: si est minor, tunc, ii qui digno dederunt suffragia, faciunt majora Capituli, uti exclusis privatis constat, possuntque electionis suæ decretum promulgare. Si e. g. sint 30 electores, ex quibus 20 indignum elegerunt: in his 11 scienter, 9. ignoranter, tunc decem, qui elegerunt dignum, electionem suam jure promulgabunt.

§. 321. *Altera pœna scienter eligentium indignum, est suspensio triennalis a beneficis ipso jure.* c. 7. §. 3. De qua pœna animadverte ex c. 37. in 6. I. *Restringitur dicta pœna solum ad ea beneficia, quæ sic peccans, in illa obtinet Ecclesia, quam taliter eligendo specialiter noscitur offendisse.* II. Eandem etiam incurrit compromissarius, indignum eligendo, non tamen compro-

mittentes, nisi talem electionem habuerint ratam. III. Eam non incurrit Episcopus, si ad eligendum fit compromissarius; quia de jure nullam sententiam suspensionis incurrit, nisi de eo expressa fiat mentio. IV. Hæc pœna locum non habet in aliorum, quam Episcoporum, et Episcopis Superiorum, electionibus. Sed quæritur, utrum pœna privationis non incurratur ab iis, qui ad prælaturam inferiorem scienter eligunt indignum? Resp. Videtur sane ex c. 22. h. t. eam poenam incurri.

§. 322. Utraque pæna non tantum ad casum indigni *electi* Episcopi, sed etiam *postulati* pertinet. c. 1. et 2. de postul. Præl. nec tantum ad defectus c. 7. h. t. indicatos, sed etiam ad alios e. g. ad defectum ordinis requisiti. c. 22. h. t.

§. 323. Ob vitium formæ c. 42. præscriptæ electio est nulla; sed pœna privationis juris eligendi incurritur per sententiam. cit. c. 42. X. et c. 18. in 6. Multa formæ vitia ex dictis intelligi possunt, uti I. si electio non fit per scrutinium, compromissum, quasi inspirationem, sed per sortes. c. ult. de Sortileg. can. 4. XXVI. q. 2. II. Si electio sit præmatura, vel nimis sera. §. 247. seq. III. Si clandestina. c. 42. §. 2. ibi: *Electiones quoque clandestinas reprobamus, statuentes, ut quam cito electio fuerit celebrata, solenniter publicetur.* IV. Si facta per vim, vel subreptionis astutiam. §. 287. V. Si per abusum potestatis laicalis §. 284. adde c. 2. et 59. h. t. c. 10. de ætat. et qual. can. 1. 2. 5. 7. dist. 63. can. 2 §. 7. I. q. 7. IV. Si simoniaca; quæ nullo penitus jure valet c. 11. et 23. de Simonia. Extrav. 2. eod. int. comm. Si Simonia a tertio commissa sit, electus, etsi innocens sit, in eadem Ecclesia nunquam

promoveri poterit c. 12. et 59. h. t. nisi tertius id in fraudem egisset.

§. 324. De Protestationibus et Appellationibus, quæ in causis electionum latissime sumtarum (§. 240. n. I.) interponuntur, agitur maxime l. 6. h. t. c. *ut circa* 4. c. *is*, *qui contra* 19. c. *qui contra* 19. c. *procurator*. 38. c. *constitutio* 41. His addenda Clement. 4. h. t. quæ incipit. *constitutionem*. Generatim animadvertendum: I. Protestatio vel omnino appellatio interponi potest *ante electionem*; e g. siquis admitti nollet ad eam celebrandam: si attentatur electio contra privilegia hujus Ecclesiæ: si forma canonica vel alias consueta immutari tentatur: siquis exclusivam daret certæ personæ, appellans, ne hæc eligatur: siquis appellaret, ne fiat electio, nisi duplici sibi concesso voto etc. aut *post electionem*, nempe post ejus publicationem; quo casu vel opponitur electio electioni aut postulationi vel uni electioni contradicitur sine oppositione alterius. Priori casu contradicens est *competitor*: posteriore *oppositor*.

§. 325. Animadvertendum II. *concors* electio hoc respectu dicitur, quæ contradictore caret; *in discordia vero electus* censetur, quando aliquis eorum, qui sua vota ei non dederunt, vel ob supervenientem notitiam pro non datis haberi volunt, protestando vel opponendo se opponit.

§. 326. Animadvertendum III. Id, quod opponitur, directe respicere potest *primo jus Ecclesiæ*, cui providendum est (*l*), *secundo* jus ipsius *opponentis* (*m*), *tertio personam electi*, nempe ejus crimina et defectus, aut *electionis formam*. IV. Appellationes in causis electionum penitus

removeri non possunt, ne jura Ecclesiarum, vel opponentium sine remedio lædantur, aut mali prælati contra canones promoveantur: eædem tamen appellationes justis legibus restringendæ sunt, ne ob temerarias vel protractas lites prælaturæ et beneficia cum dispendio Ecclesiarum diu vacent, aut malignitati vel ambitioni hominum deferatur, qui dignitatum, quas sibi vel amicis obvenire mallent, provisionibus facile adversantur.

(*l*) E. g. Si Capitulum quempiam ad dignitatem eligit non vocato ad electionem Episcopo, isque electioni se opponat, dicendo, esse de jure Ecclesiæ, ut ad talem electionem vocetur Episcopus; vel siquis electus fuerit non de gremio, et opponatur, Ecclesiam habere jus, ut ad talem dignitatem aliquis de gremio eligatur.

(*m*) E. g. Si Canonici aliquem eligere volunt ad dignitatem, et opponens dicat; ejus collationem ad se spectare: siquis factæ jam electioni se opponat, agens de contemtu: vel siquis dicat, se legitime esse electum, et electioni novæ se opponat.

§. 327. Si ante electionem incidit protestatio, pars altera tuto pergit ad eligendum suo judicio, et justitiam vel injustitiam protestationis ad processum confirmationis rejicit: si appellatio omnino interjecta est ante electionem, ne ad eam procedatur; nisi aperte frivola sit, deberent consistere electores, donec causa ad Superiorem delata sit, c. 10. et c. 29. h. t. Si tamen appellatione non obstante ad electionem proceditur, hæc per se valida est; propterea, quod talis appellatio sit extrajudicialis, quæ effectum suspensivum non parit. Si autem Superior postea pro appellatione judicet, omnia acta rescindi debent, perinde ac si ab initio irrita fuissent.

§. 328. De appellatione ante electionem interjecta tres præterea extant decisiones juris. I. Appellare nemo potest, ne fiat electio, nisi probet, sua interesse. c. 16. h. t. et c. 3., de his, quæ fiunt a majore. II. Appellatio interjecta, ne fiat electio, nisi canonica, non impedit canonicam. c. 19. h. t. III. Qui appellat pro exclusiva contra certam personam, subjicere se debet oneribus c. ut circa. 4. in 6. præscriptis. c. 20. eod. in 6.

§. 329. Si in causis electionum, postulationum, vel provisionum appellatur, inprimis dispiciendum est, quis sit judex competens, a quo appellationis causa cognosci et decidi debeat. I. Causæ electionis Episcoporum, et dignitatum Episcopatu majorum, et immediatarum prælaturum reservatæ sunt Sedi Apostolicæ. c. quamvis. 10. in 6. Si nempe appellatio in tali negotio ex causa probabili et in scriptis fuit interposita. ib. Partes ab ea recedere possunt, antequam Papæ fuit præsentata, modo in recessu non interveniat pravitas (Simoniaca). II. Si ab electione facta in cathedrali vel regulari Ecclesia ex causa probabili et in scriptis appelletur ad Sedem Apostolicam, ea pendente causa, confirmatio facta per Ordinarium non valet. c. si postquam. 33. in 6.

§. 330. Eligens vel electioni consentiens electo, nisi ex causis postea emergentibus, vel postea primum cognitis opponere nihil potest. c. nulli. 8. in 6. de aliis vero, qui *electionibus, postulationibus vel provisionibus se opponunt, proponendo aliqua contra electionis, postulationis seu provisionis formam; aut personam eligentium, vel electi, sive illius, cui erat provisio facienda,*

sive facta, *et propter hoc contigerit appellari*, quid in libello exprimere debeant et quam specifice et determinate, quale item præstare juramentum, videatur c. ut circa. 4. in 6. et Clem. 4. h. t. De procuratore, quem ad hanc causam constituunt, vid. c. procurator. 38. in 6. De appellatione intimanda adversario Clem. 3. h. t. De itinere ab opponente et defendente suscipiendo Romam, c. 1. in 6. de necessitate plene probandi, et de pœna, siquis in probatione defecerit; cit. c. 1. §. 2. in 6. de casu, quod ab opponente evidens defectus objicitur, c. 11. in 7. de casu denique, quo unus competitorum durante lite moritur, c. 10. de arbitris.

§. 331. Confirmatus Episcopus intra tres menses tenetur accipere munus consecrationis. Trid. Sess. XXIII. c.2. de ref. ibi: *Ecclesiis Cathedralibus seu superiorihus quocumque nomine ac titulo præfecti, etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, si munus consecratiouis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur. Si intra totidem menses postea id facere neglexerint; Ecclesiis ipso jure sint privati.* conf. can. 2. dist. 75. ex Concil. Chalcedonensi (*n*).

(*n*) Dispensatio contra hos canones, etiam in beneficiis inferioribus aliquando data c.14. et 34 de elect. in 6. appellatur facultas de non promovendo, de qua Trident. Sess. VII. c.9. de ref. „ *Ad majores Ecclesias promoti munus consecrationis infra tempus a jure statutum accipiant; et prorogationes ultra sex menses concessæ nulli suffragentur.* et c.12 ibid. *Facultates de non promovendo, præterquam in casibus a jure expressis, concessæ ad annum tantum suffragentur.* Jura expressa extant cit. c.14. et 34. de elect.

§. 332. *Consecratio vero, si extra curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur*, Trid. Sess. XXIII. c. 2. de ref. Fit ea hodiernis moribus non a Metropolitano et Comprovincialibus, sed ex commissione Sedis Apostolicæ. Unde Consecrator quærit: *Habetis mandatum Apostolicum*? Quo deinde recitato Electus præstat juramentum fidelitatis Sedi Apostolicæ, de quo mox infra. Fieri hæc consecratio potest quovis anni tempore, die Dominico vel Natalitio Apostolorum, vel ex speciali indulto Pontificio alia die festiva (*o*) Ex antiquissimo autem usu præter Episcopum Consecratorem assistere deberent saltem duo alii Episcopi. can. 3. dist. 64. can. 5. et 9. dist. 65. can. 33. XXIV. q. 1. add. c. un. pr. de Sacra unct. (*p*).

(*o*) Pontificale Roman. Tit. de consecrat. Elect. in Episcop.

(*p*) Probari potest antiquis exemplis, pluralitatem Episcoporum ad consecrationem non requiri jure divino, sed valde antiquo usu. Nellerus in diss. altera de sacro electionis processu §. IV. scribit in hunc modum: „ His temporibus sæpe consuevit dispensari, ut loco „ duorum Episcoporum assumerentur alii mitrati; sed „ studiosissimus veterum canonum Benedictus XIV. de„ negatione dispensationis ejusmodi nos admonuit, ve„ nerandam canitiem canonum posthabendam non es„ se quorundam commoditati, et sumtuum parsimoniæ. " Thesaur. J. r. Eccl. T. IV. n. I.

§. 333. *Juramentum obedientiæ et fidelitatis, quod Episcopi ante consecrationem Sedi Apostolicæ præstant, est hujus tenoris.* „ Ego N. Electus Ecclesiæ N. ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro Apostolo, sanctæque Ro-

manæ Ecclesiæ, et Domino nostro Domino N. Papæ N. suisque Successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant, aut membrum; seu capiantur mala captione; aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur quovis quæsito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt, per se, aut Nuntios suos, seu literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini paudam. Papatum Romanum, et Regalia Sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum, et defendendum, salvo meo Ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores et privilegia, et auctoritatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ et successorum prædictorum conservare, defendere, augere, promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, juris, honoris; status et potestatis eorum machinentur. Et, si talia a quibuscunque tractari, vel procurari novero, impediam hoc pro posse, et quanto citius potero, significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes seu dispositiones, reservationes, provisiones et mandata Apostolica, totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Hæreticos, schismaticos et rebelles eidem Domino nostro vel successoribus prædictis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad Synodum, veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apostolorum limina singulis (quadrienniis) personaliter per me ipsum visi-

tabo; et Domino nostro, ac Successoribus præfatis rationem reddam de toto meo pastorali officio, ac de rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ statum, ad Cleri ac populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei traditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus; et vicissim mandata apostolica humiliter recipiam, et quam diligentissime exequar. Quodsi legitimo impedimento detentus fuero, præfata omnia adimplebo per certum Nuntium, ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio mei Capituli, aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem; aut his mihi deficientibus, per diœcesanum Sacerdotem, et Clero deficiente omnino, per aliquem alium Presbyterum, secularem vel regularem, spectatæ probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes, ad S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem proponentem inCongregatione sacri Concilii, per supradictum Nuntium trasmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque oppignorabo; nec de novo infendabo, vel aliquo modo alienabo; etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurrere volo.

§. 334. Apologiam hujus juramenti scripsit Paschalis II., quæ continetur c. 4. de Elect. Dudum ab Episcopis consecrandis exacta fuit professio fidei; clausulam subjectionis et obedientiæ adhibuit S. Bonifacius, Apostolus Germaniæ, eamque etiam aliis præscripsit in Synodo, de qua agit Epist. 105. ad Cudbertum Episcopum. Quasdam

novas fidelitatis clausulas sub Pontificatu S. Gregorii P. VII. extorsit necessitas eorum temporum, quæ deinceps per multa secula ab Episcopis universi orbis fuerunt adhibitæ; neque vero ob importunitatem et pravitatem obtrectatorum et hostium Sanctæ Sedis receptæ jam per orbem solemnes formulæ immutari debent: cum præsertim illud maxime a dispensatore mysteriorum Dei requiratur, *ut fidelis quis inveniatur*. I. Cor. IV. 2. conf. can. 6. dist. 23. ibi: *Quamquam omnes, qui sacris mancipantur ordinibus, canonicis regulis teneantur adstricti, expedibile tamen est, ut promissionis suæ vota sub cautione spondeant, quos ad promotionis gradus Ecclesiastica probat disciplina. Solet enim plus timeri, quod singulariter pollicetur; quam quod generali sponsione concluditur.*

§. 335. Neque dici potest, per eam formulam derogari juribus Principum, in quorum ditione degunt Episcopi; quasi nec Principes temporum anteactorum, nec innumerabiles Episcopi orbis, summa sanctitate et sapientia clari, jura sua, et obligationes novissent. Nempe Episcopi præsertim Germaniæ duplicem personam gerunt, et sacri Præsulis et Principis secularis. Unde in sacris Romano Pontifici subjacent: in profanis Imperatori ac Imperio, duplici jurisjurandi vinculo singilatim adstricti; redduntque hoc modo Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Deo, quæ Dei sunt. Fidelitati, quam Imperatori ac Imperio circa temporalia debent, non præjudicari, verba indicant ipsius formulæ: *Salvo meo Ordine*. Germani in Concordatis suis permittunt haud ægre, Episcopos aliis præstare juramenta: *Proviso, quod confirmati prædicti, et per nos provisi Metropolitanis suis et aliis præstent debita juramenta.* Cur ergo

Romano Pontifici, tanquam visibili capiti Ecclesiæ, et centro unitatis catholicæ, idem exhiberi nolunt?

§. 336. Effectus consecrationis sunt, 1. character ordinis Episcopalis, et specialis gratia divina ad Episcopatus munia rite obeunda. 2. Consecratus obire potest etiam ea, quæ *majoris inquisitionis discussionem exigunt*, *et ministerium consecrationis desiderant*. c. 15. h. t. (§. 318. n. IV.). Talia recensentur a Glossa in cit. c. 15. ordinatio clericorum, confectio Chrismatis, depositio Clericorum, benedictio Virginum et Ecclesiarum, consecratio altarium. 3. Consecratus simpliciter vocatur *Episcopus*: ante consecrationem vero non nisi cum addito: *Episcopus electus* (Patriarchæ et Archiepiscopi appellationem patriarchalis, vel archiepiscopalis nominis non per consecrationem, sed per pallium consequuntur). 5. *Fratris* etiam appellatione a Papa honoratur. 6. Conjugium Spirituale inter Episcopum et Ecclesiam *in consecratione intelligitur consummatum*. c. 4. de Transl. 7. Beneficia, ab Electo ante possessa, post consecrationem vel tempus ad consecrationem præfixum vacant, c. 7. §. 1. de elect.

§. 337. Electio Summi Pontificis, ut demum a generalibus ad indicanda quædam specialia descendamus, diversis temporibus varia habuit fata, multæque de ea extant constitutiones tum in corpore Juris, tum in Bullariis. Epitomen earum recensuit Aloysius Guerra Tom. I. *De Summo Pontifice*, de *Conclavi*, de *Electione Pontificis*. Specialia sunt hæc potissimum. I. Solis Cardinalibus competit jus eligendi Pontificem. II. Hi ab electione repelli non possunt prætextu alicujus censuræ. Clem. 2. §. *ceterum* h. t. III. Non opus est, ut absentes specialiter vocentur ad electio-

nem : sed exspectantur tantum per decem dies ; nec possunt absentes constituere procuratorem. IV. Si electio fit per scrutinium, requiruntur secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in conclavi clauso præsentium. V. Post scrutinium permittitur accessus. VI. Eligendo Pontifici non obatant impedimenta juris positivi. Unde sufficientibus votis electus *absque ulla exceptione* ab Universali Ecclesia Romanus Pontifex est habendus; c.6.de elect. VII. Papa electus potest statim administrare ante coronationem; neque requiritur aliqua confirmatio ; cum Superiorem non habeat, et, quam primum electus est, supremam a Deo potestatem sine medio consequatur. Pius II. in celebri constitut. *In minoribus.* §. 3. fin. et Innoc. III. c. novit. 11. de judiciis. ibi: *Potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo.*

§. 338. Constitutio Præpositorum regularium fit secundum approbatas a Sede Apostolica Ordinum regulas. Si ea per *electionem* Capitularium fiat, necesse est, ut eligantur per *vota secreta, ita, ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur*; *nec in posterum liceat, provinciales aut abbates, Priores aut alios quoscunque titulares ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces et suffragia absentium supplere. Si vero contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit*; SS. Conc. Trid. Sess. XXV. de Regul. c. 6. Idem observandum est in electione abbatissarum, atque aliarum Præpositarum. De Abbatibus Germaniæ, Sedi Apostolicæ immediate subjectis, agitur in Concordatis Germaniæ. Eorum electio fieri debet ad normam c. quia propter. 42. more Episcopalium electionum, et confirmari a Summo Pontifice.

TITULUS VII.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

ARGUMENTUM.

I. Translationes Episcoporum juste annumerantur causis majoribus. §. 339. II. Exponitur paritas inter conjugium spirituale et carnale. §. 340. III. Ad translationem requiritur legitima auctoritas et justa causa §. 343. IV. Effectus translationis, et differentia ab aliis mutationibus Sedium §. 346.

§. 339. *Traslatio* est assumtio personæ Ecclesiasticæ ab una Ecclesia, cui præerat, ad aliam Canonice facta. Spectatur maxime in Episcopis, qui Ecclesiæ suæ censentur alligati nexu alarum, ut suo arbitrio liberum non habeant sine Apostolica auctoritate volatum. Unde postulatione indigent. c. fin. de postulat. prælat. imo conjugii spiritualis vinculum contraxerunt cum Ecclesia sua, per confirmationem quidem ratum, per consecrationem consummatum, c. 4. h. t. Ob hanc Episcopi cum Ecclesia sua conjunctionem, atque ob ambitionem et avaritiam quorundam a minoribus Ecclesiis ad majores adspirantium, translationes ad causas majores, Apostolicæ Sedi reservatas, referri cœptæ sunt (*a*).

(*a*) Criminationes adversariorum S. Sedis in hac re erudite atque invicte confutatæ sunt in Antifebronio T.III. C.V. edit. an.1770. et in Antifebronio Vindicato P.III. Diss.VIII. C.III.

§. 340. Laborant interpretes in explicandis verbis Innocentii III., a quo omnia hujus tituli capitula profecta sunt. Ac primo, quod is huc applicet verba Christi: *Quod Deus conjunxit, homo*

non separet. Nam matrimonium consummatum inter fideles ne Pontificia quidem auctoritate dissolvi potest: at conjugium spirituale inter Ecclesiam et Episcopum, quantumvis in consecratione consummatum, potest sane Pontificia auctoritate dissolvi; et tamen Innocentius III. in c. 2. h. t. *fortius* appellat *spirituale vinculum*, *quam carnale.* Addit ib. *Non humana*, *sed potius divina potestate*, *conjugium spirituale dissolvitur*; *cum per translationem*, *depositionem aut cessionem auctoritate Romani Pontificis* (*quem constat esse Vicarium Jesu Christi*) *Episcopus ab Ecclesia removetur*: *et ideo tria hæc*, *quæ præmisimus*, *non tam constitutione canonica*, *quam institutione divina*, *soli sunt Romano Pontifici reservata.* At, inquiunt, olim auctoritate synodorum factæ sunt istiusmodi translationes. can. 36. et 37. VII. q. 1.

§. 341. Respondeo I. Analogia inter matrimonium spirituale. et carnale multo ante Innocentium III. non modo audita, sed omnino recepta, et communi usu adhibita fuit. Primis enim seculis Ecclesia, Episcopo destituta, vocabatur *viduata*; vidua autem non dicitur, nisi quæ maritum habuit. Ob eandem Analogiam S. Cyprianus in epist. 2. ad Cornelium, cujus sedem invadere tentavit Novatianus, hunc vocat *adulterum et contrarium caput.* et in ep. 52. et alibi *adulterum atque extraneum Episcopum.* Multa extant Similia in antiquis monumentis. Vinculum spirituale carnali fortius esse, itidem antiquitas censuit. Synodus Alexandrina an. 340. Eusebium, qui relicta Berytensi Ecclesia Nicomediensem invaserat, et hac quoque repudiata occuparat Constantinopolitanam, coarguit his verbis: *Neque animadvertit Pauli præceptum: Alligatus es uxori? noli quærere so-*

lutionem. Quodsi hoc de uxore dictum est, QUANTO MAGIS *de Ecclesia*, *et de ipso Episcopatu : cui alligatus quispiam aliam quærere non debet*, *ne adulter ex sacris literis deprehendatur* (*b*). S.Chrysostomus, cum de ejus expulsione ageretur, populum tranquillans, et consolans inter alia sic inquit : *Caritatem vestram precor*, *ut æquo animo sitis. Nemo enim nos a vobis poterit divellere*; *quos enim Christus conjunxit*, *homo non separabit. Quodsi de muliere et viro dicitur : Propter hoc relinquet homo patrem suum*, *et matrem*, *et adhærebit uxori suæ*, *et erunt duo in carne una*; *et sic hujusmodi nuptiarum conjunctio ab homine non potest separari*; MULTO MAGIS *Ecclesia non potest a pastore divelli* (*c*).

(*b*) Concil. edit. Mansi T.II. col.1286.

(*c*) Tom. V. Op. S. Chrysost. edit. antuerp. a. 1614. pag. 382.

§. 342. Respondeo II. Ecclesia quidam *sponsa Christi* dicitur; quam acquisivit sanguine suo, Apoc. XIX. 7. et XXI. 2. 9. Ephes. V. a v. 25. At dicitur sponsa Episcoporum, quatenus hi sunt ministri Christi, ejusque Personam gerunt, et repræsentant; et quia olim eorum electio, missio, et consegratio conjunctim fiebant, nec vage, sed ad certam Ecclesiam; hinc sicut potestas Episcopalis a Deo est, censebatur vinculum inter Episcopum et Ecclesiam, ad quam consecratus est, a Deo quasi copulatum et constrictum fuisse; quod nemo Episcoporum suo arbitrio poterat abrumpere : quia is Ecclesiæ suæ non temporaliter, sed perpetuo, nempe usque ad suam mortem, fuit addictus. Agnovit tota retro antiquitas, Episcopum legittima auctoritate, et justa causa necessitatis vel utilitatis ad aliam Ecclesiam posse transferri, sed non suo transire arbitratu, præsertim

ex ambitione et avaritia; quod a multis præsertim arianis factitatum est. Censebatur tamen vinculum spiritualis conjugii *fortius*, quam carnalis; quia ea, quæ spiritualia sunt, majore consideratione, et ex gravioribus causis tractari debent, majoreque haberi in pretio, quam carnalia. Potestatem dissolvendi hoc spirituale vinculum *non tam ex constitutione canonica, quam institutione divina* provenire; ait Innocentius III.; quia ea ex divino primatu profluit, vi cujus causæ graviores: præsertim exigente Ecclesiæ necessitate, merito Apostolicæ Sedi reservantur.

§. 343. Primo ergo in Translatione Episcopi pectanda est *legittima auctoritas*. Nemo sua ipsius voluntate Ecclesiam, cui addictus est deserere, et ad aliam transire vel transmigrare potest; hinc *translatio*, non *transitus* vel *transmigratio* dicitur quasi is, qui ab una ad aliam Ecclesiam assumitur, *passive* habere se debeat. Is transitus prohibitus est can. Apost. 15. — can. Nicæno 15. apud Gratianum can. 19., et 23. VII. q. 1. — can. Antiocheno 21. apud Gratianum can. 25. VII. q. 1. — can. 27. Concilii Carthaginensis an. 9 8. apud Grat. can. 37. ead. — can. Chalced. 5. apud grat. can. 26. VII. q. 1. et maxime can. sardicensi 1. qui a Gratiano non refertur, estque hujus tenoris. „ *Osius Episcopus dixit; tam mala consuetudo, quam ipsa rerum perniciosa corruptela funditus erudicunda est, ut non liceat Episcopo de civitate sua ad aliam transire civitatem. Manifesta est enim causa qua hoc facere quis tentet; cum nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de majore civitate ad minorem transiret: unde apparet, avaritiæ ardore eos inflammari, et ambitioni servire, et ut dominationem exerceant. Si omnibus hoc placeat, ut*

hujusmodi pernicies sævissime et austerius vindicetur, ita ut nec laicum habeat Communionem: qui talis est? Responderunt universi. Placet (*d*). Exemplum illiciti transitus extat c. 3. h. t. de Hildesiensi Episcopo, de quo Papa decidit, eum utraque in posterum carere debere Ecclesia: *ut nec illis præsideat, quos per superbim sprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit*. Ita Innocentius III. præeunte S. Leone M. apud Gratianum can. 31. VII. q. 1.

(*d*) Ex editione prisca. Tom.III. Op. S. Leonis. edit. Ballerin. col. 514.

§. 344. Non quæcumque auctoritas sufficit, ut *Canonica* sit translatio; non populorum violenti attractus, non suasiones Episcoporum (can. 25. VII. q. 1.) non Patriarchæ, non Metropolitani potestas (c. 1. et 2. h. t.); sed auctoritas Apostolicæ Sedis, tanquam in causa majore interponi debet: præsertim postquam stata synodus provincialis prætermitti, ejusque libertas a magistratibus secularibus constringi et opprimi cœpta est. Ne autem laici apud Sedem Apostolicam de Episcopo suo ad aliam transferendo Ecclesiam instarent, idque evincerent non favore, sed odio Episcopi, cautum est, ne Episcopi, inviti facile transferantur (*e*). Ceterum auctoritas Pontificia pro translatione, et postulationis admissione illi etiam Episcopo nenessaria est, qui jam ante indultum Papæ habet, quo, *si ad majorem vocaretur forsitun ignitatem, eam sibi liceret assumere, dum tamen nihil ei de statutis Canonicis obviaret*. c. 4. h. t. conf. §. 270.

(*e*) „ Cum Prælati nonnunquam jura, et libertates „ Ecclesiarum suarum translationis formidine non adeo „ solerter, ut alias, prosequantur: ne ad importunita-

,, tem quorundam, quæ sua, et non quæ Jesu Christi, ,, quærentium, Romanus Pontifex forsan, ut homo fa- ,, cti nescius, in hujusmodi circumveniatur, aut alias ,, leviter inclinetur: præsentibus statuimus et ordina- ,, mus, invitorum Episcoporum et Superiorum transla- ,, tiones absque magna et rationabili causa, quæ, vo- ,, cata parte, cognita fuerit, et decisa de Consilio ,, S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, vel majoris partis ,, eorundem, et cum subscriptiones fieri de cetero non ,, debere.“ Concil. Constantiens. Sess. 39. edit. Mansi Tom. XXVII. col. 1162. Regulariter invito Episcopo alius in ejus locum subrogari non potest. can. quamvis. 14. VII. q. 1. ibi ait Gregorius M. epist. 7. libr. XI. *et ideo, quia viventem Epi e opum ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco ejus, recusante eo, nulla sinit ratio ordinari.* In textum Gratiani fœdum hic irrepsit mendum, non indicatum a correctoribus Romanis, *nisi recusante eo*; pro: *recusante eo.* De translationibus invitorum conf. Thomassin. P. II. l. II. c. 64. n. 9.

§. 345. Præter auctoritatem Apostolicæ Sedis justa etiam causa ad translationem requiritur, nempe *necessitas aut utilitas Ecclesiæ*, non ipsius translati favor, aut odium; neque enim SS. Canones istiusmodi approbant pœnæ genus, ut Episcopus retenta dignitate Episcopali ad inferiorem detrudatur Sedem. Hinc Innocentius III. ad Patriarcham Antiochenum, qui Archiepiscopum confirmatum ad Sedem Episcopalem transtulit, absurditatem facti verbis exprimens ita scribit c. 1. h. t. *Novo quodam mutationis genere parvificasti majorem, et magnum quodammodo minorasti, episcopare Archiepiscopum, imo potius dearchiepiscopare præsumens.* Hinc etiam rarius dispensatur, ut quis ad *parem* Sedem vel dignitatem transferatur: *cum in majori dignitate propter majorem utilitatem facilius soleat dispensari.* c. fin. h. t. Justæ translationis causæ sunt, 1.

debilitas corporis, si hæc ex malignitate loci, vel rigido climate oriatur. 2. Odium malæ plebis. c. 10 §. 5. de renunt. et can. 49 VII. q. 1. 3. Siquis Episcopus doctrina et zelo emineat in extirpandis heresibus, quæ loco quodam succreverunt. 4. Si propter hostilitatem vastata terra hac illac palans oberrare deberet; etsi eo *casu* non tam translatio, quam *incardinatio* habeat locum, vi cujus Episcopus alteri quidem civitati præficitur, sed non *perpetuo*, vel *absolute*; quia cessante hostilitate vel seditione ad priorem reverti Sedem debet. can. 42. VII. q. 1.

§. 346. *Effectus trasnlationis* est, ut solvatur prius vinculum, et novum inducatur. Gratianus ad can. 41. VII. q. 1. et can. 3. XXI. q. 2. Et quidem Ecclesia, a qua quis volens transfertur, vacat ab eo tempore, quo Episcopus ab ejus vinculo absolvitur in Consistorio Papæ, etiam ante expeditionem literarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ. Habita hujus absolutionis notitia, tenetur Episcopus abstinere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis; quæ in Capitulum transit, tanquam Sede vacante. Sic declaravit Congregatio Cardinalium super negotiis Episcoporum, approbante S. D. N. an. 1624. die 12. Dec. (*f*).

(*f*) Conf. Thes. Jur. Eccl. Tom. III. N. 1. diss. I. de transl. Episc. §. II. Zech. Hierarch. Tit. XXI. §. 244.

§. 347. Ex dictis colliges, translationem non censeri, 1. quando de jure Episcopi ad aliquam sedem electi non *certo* constat; 2. neque incardinatio (§. 345.) proprie est translatio; 3. neque simplex commendatio alienæ Ecclesiæ: exempla extant can. 3. XXI. q. 1. can. 22. VII. q. 1. can. 25. XXV. q. 2. Neque 4. translatio fit, dum Episco-

pus, qui renuntiavit suæ Ecclesiæ, aut canonice ab ea depositus fuit, postea ex concessu Canonum (c. 11. de renunt.), aut ex benignitate Apostolica alium Episcopatum consequitur. Neque 5. mutatio Sedium; multo etiam minus mutatio Residentiæ Episcopalis pro translatione haberi potest: mutationis Sedium exempla extant can. 44. VII. q. 1. can. 25. XXV. q. 2. In his casibus neque absolvitur Episcopus a vinculo prioris Ecclesiæ, neque novo vinculo alterius adstringitur.

TITULUS VIII.

DE AUCTORITATE, ET USU PALLII.

ARGUMENTUM.

I. Forma et qualitas pallii. §.349. *II. Datur ad significandam Hierarchiam inter Episcopos* §.351 *III. Quæ sit auctoritas pallii* §.356 *IV. Ujus.*357.

§. 348. Hac veluti appendice præcedentium titulorum *de Postulatione*, *de Electione et Electi potestate*, *de translatione*, exponitur, qua ratione Episcopi; qui supra alios Episcopos dignitate et potestate in Ecclesiastica Hierarchia eminent; ceu Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, plenitudinem Pontificalis officii et Patriarchalis vel Archiepiscopalis nominis appellationem consequantur, non postulatione, vel electione; non admissione postulationis; non confirmatione electionis, non translatione, non ipsa consecratione, sed *traditione Pallii*; de quo explicanda primo est ejus *forma et qualitas*; dein dictante Rubrica exponenda *auctoritas*, et *usus* legitimus.

§. 349. *Pallium* est fascia lanea coloris nivei, tres circiter digitos lata, in modum circuli contex-

ta quæ humeros cingit, habetque ab utraque parte lineas, seu fasciolas, quarum anterior ante pectus, posterior intra humeros demittitur, intextis partim in binis hisce fasciolis, partim in circulo humeris incumbente, sex sericis, nigrisque crucibus. De solemni ritu, quo Pallia Romæ benedicuntur, agit Benedictus XIV. in const. *Rerum Ecclesiasticarum*, 60. Tom. 2. Bullarii, quam his verbis orditur: *Rerum Ecelesiasicarum origines, quo altius ex sacra memoria repetimus, eo magis illas et solidis fundamentis innixas, et sublimi non minus, quam vetusta institutione venerabiles, ipsaque disciplina et ritu graves ac religiosas agnoscere et comprobare gaudemus* (*a*).

(*a*) Enimvero de origine sacrorum palliorum multa inepte et profane commenti nonnulli sunt, ex solo Pallii nomine conjectantes, quod fuerit imperatorium ornamentum, et ab his Patriarchis et Metropolitis sit concessum; quod principio usque ad talos profluxerit: quod sine auctoritate imperatoris nemini concedi a Papa potuerit; quæque sunt generis istius,a solertissimis viris — penitus confutata; quibus prætermissis vera et Ecclesiastica origo ac ratio aperienda est, ex qua simul Pallii auctoritas intelligi queat.

§. 350. Jure divino nulla est Episcoporum, et Episcopalis potestatis distinctio, excepto Divino Primatu Petri, ejusque Successorum. Set ut hic ipse Primatus auctoritatem et solicitudinem suam per universum orbem commodius, tutiusque exereret, exemplo Petri inter Apostolos, eminentis *Episcoporum quoque est orta distinctio, et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis* (Metropolitæ), *quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidam in majoribus urbibus constituti* (Primates et Patriarchæ) *solicitudinem su-*

sciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil usquam a suo capite dissideret (*h*). Institutio ergo Metropolitarum, et Archiepiscoporum, Primatum et Patriarcharum ud faciliorem, tutioremque communionem et communicationem cum Sede Petri facta est; neque omnino dubitari potest, quin omnis prærogativa, eminentia, ac potestas quorundam Episcoporum, ac Sedium Episcopalium supra reliquos provinciæ, nationis, et patriarchatus Episcopos ex concessione Apostolicæ Sedis profluxerit: cum ea per Concilia posteriora non introducta, sed confirmata fuerit.

(*h*) S. Leo Epist. XIV. c. 11 edit. Ballerin.

§. 352. Facta ergo divisione provinciarum Ecclesiasticarum, atque institutis veluti gradibus hierarchicæ potestatis, ornamentis etiam sacris distingui cœperunt; qui supra alios eminebant Episcopos, uti diaconi a presbyteris, presbyteri ab Episcopis ornatu sacro distinguebantur. Normam verisimiliter præbuit ornatus Summi Sacerdotis V. T. Exod. XXVIII. 4. quod autem præcipuum erat, ab his, qui aliis præfecti erant Episcopis, jure exigebant Summi Pontifices 1. apertiorem fidei professionem: 2. arctiorem adhæsionem, subjectionemque erga Sedem Apostolicam: 3. majorem curam, solicitudinem pastoralem, ac zelum: 4. ardentius studium observandi Canones, et constituta Apostolicæ Sedis. Hæc nempe Romani Pontifices exigebant ab iis, quibus ipsi singularem potestatem, certa privilegia, et majores honores tribuerant; nec ipsi tanta fiducia hæc ab iis exigere poterant, si non ipsis honores quoque et privilegia concessissent, aut sub iis oneribus concessuri erant. Atque hæc, quæ modo indicavi, manifeste exprimuntur per antiquos

Canones, aliaque monumenta, quæ de auctoritate et usu Pallii extant; ut deinceps ostendam.

§. 352. Hinc. I. Pallium dicitur *sumtum de corpore Beati Petri*, non tam, quod super altari B. Petri necessario benedicendum sit; sed quia velut particulam Ecclesiasticæ potestatis significat, derivatam ex plenitudine Pontificiæ potestatis, quæ in Petro, ejusque Successoribus residet. Unde Paschalis Papa ad Archiepiscopos scripsit: *Cum igitur a Sede Apostolica vestrae insignia dignitatis exigitis; quae a Beati Petri tantum corpore assumuntur: justum est, ut vos quoque Sedi Apostolicae subjectionis debita signa solvatis, quae vos cum B. Petro tanquam membra de membro habere, et catholici capitis unitatem servare declarant.* c. 4. in fin. de elect.

§. 353. II. Symmacus P. qui an. 498. ad Pontificatum ascendit, ad Theodorum Laureacensem scribit his verbis: „ Diebus vitæ tuæ „ Pallii usum, quem ad sacerdotalis officii de- „ corem, *et ad ostendendam unanimitatem, quam* „ *cum Beato Petro Apostolo* universus grex do- „ minicarum ovium, quæ et commissæ sunt, „ habere dubium non est, ab Apostolica Sede, „ sicut decuit, poposcisti, quod utpote ab „ eisdem Apostolis fundatæ Ecclesiæ *majorum* „ *more* libenter indulsimus, ad ostendendum te „ Magistrum et Archiepiscopum, tuamque san- „ ctam Laureacensem Ecclesiam provinciæ Pan- „ noniorum Sedem fore metropolitanam. Idcir- „ co pallio, quod ex Apostolica caritate tibi desti- „ namus, quo uti debeas secundum morem Ec- „ clesiæ tuæ, solerter admonemus, pariterque „ volumus, ut intelligas, quia ipse vestitus, quo „ ad Missarum solemnia ornaris, signum præ-

„ tendit, per quod scito, te cum fratribus debe-
„ re compati, ac mundialibus illecebris in affe-
„ ctu crucifigi. Unde cum te foris hujusmodi in-
„ signio indueris, intus in animo considera,
„ quod hoc sit magis oneris, quam honoris „
etc. (*c*). Adde can. 9. dist. 100.

(*c*) Concil. edit. Mansi Tom. VIII. col. 228. Ex his patet etiam antiquitas pallii.

§. 354. III. Romani Pontifices Episcopos illos, quos Vicarios suos constituerant, uti singulari prærogativa potestatis, ita etiam honore pallii exornarunt. Vigilius P. factus Pontifex an. 538. ad Auxanium Arelatensem: *Digna*, inquit, *credimus ratione compleri, ut agenti vices nostras pallii non desit ornatus* (*d*). Pelagius I. cum Vicarium Apostolicum creasset Sapandum itidem Arelatensem, literis ad eum datis an. 557. pallium ei se attribuere dicit, ut *in tanto loci fastigio constitutus praeclaro quoque habitu decoraretur* (*e*). Adde can. 10. et 11. dist. 100.

(*d*) Concil. edit. Mansi. T. IX. col. 42.
(*e*) Ibid. col. 725.

§. 355. IV. Joannes P. VIII. Vuliberto Episcopo Aggrippinensi scribit: *Optatum tibi pallium nunc conferre nequivimus; quia fidei tuæ paginam minus, quam oporteat, continere reperimus: cum videlicet in ea nullam sanctarum universalium Synodorum, in quibus fidei nostræ Symbolum continetur, nec Decretalium Pontificum Romanorum constitutorum, secundum morem, feceris mentionem: sed nec illam propria subscriptione munieris, nec aliquem, qui hanc jurejurando firmaret, miseris.* can. 4. dist. 100.

Adeo nempe ad pallium, ejusque obtinendum finem necessaria censebatur aperta, atque integra fidei professio (§. 351.). De subjectione vero erga Apostolicam Sedem, et humilitate, quam profitentur ornati pallio, in hunc modum scripsit S. Gregorius M. ad Joannem Episcopum Ravennatensem, qui contra morem et generale præscriptum Apostolicæ Sedis pallio utebatur extra Missarum solemnia: *Decorari pallio volumus, forsan moribus indecori; dum nihil in Episcopali cervice splendidius fulget, quam humilitas.* can. 8. §. 2. dist. 100. — *Pervenerat ad nos, quædam in Ecclesia vestra contra consuetudinem, atque humilitatis tramitem geri, quæ sola, ut bene nostis, est officii Sacerdotalis erectio.* can. 7. ead. Huc sane pertinet dictum Leonis M. can. 14. II. q. 6. *Qui scit, se quibusdam esse præpositum, non moleste ferat, aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat. — Discipuli enim sumus humilis et mitis magistri, dicentis: Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Hinc S. Bonifacius Apostolus Germaniæ, ut Metropolitani arctius, apertiusque adstringerentur Apostolicæ Sedi, in Synodo, et cum Synodo decrevit, — *Metropolitanos pallia ab illa Sede quærere, et per omnia præcepta Petri canonice sequi desiderare, ut inter oves sib commendatas numeremur* (*f*).

(*f*) In epist. ad Cudbertum.

§. 356. *Auctoritas* ergo pallii intelligitur I. ex singulari prærogativa, ac fere etiam ampliori potestate Ecclesiastica supra alios Episcopos, cujus indicium est. Hinc *solus Romanus Pontifex in Missarum solemniis pallio semper utitur, et ubique: quoniam assumtus est in plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, quæ per pallium significa-*

tur: alii autem eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus: quoniam vocati sunt in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. c. 4. h. t. II. Intelligitur eadem ex ipsa persona concedentis, quæ est solus Romanus Pontifex relate ad universum occidentem, et ad Patriarchas majores orientis; qui dein pallia concedunt suffraganeis suis, *recipientes pro se professionem canonicam et pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem.* c. 23. de Privil. III. Intelligitur ex effectu, quem confert, nempe ex *plenitudine Pontificalis officii cum Patriarchalis* (vel *Archiepiscopalis*) *nominis appellatione* (*g*). IV. Intelligitur ex ipsis personis, quæ pallii jure gaudent, et in Hierarchia Ecclesiastica eminent; quales sunt Romanus Pontifex, Patriarchæ, Primates, et Archiepiscopi. Ex singularibus privilegiis, et prærogativis quarundam Sedium Episcopalium non nullis etiam Episcopis pallium concessum est, salva per se erga Metropolitanum subjectione, ceu in Germania Episcopo Rambergensi, Passaviensi et an. 1735. Wirceburgensi (*h*).

(*g*) Formula, qua Electis pallium imponitur a quodam Episcopo: cui ista res committitur, est hæc: ,, Ad honorem omnipotentis Dei, et B. Mariæ semper Virginis, ,, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Domini nostri N. Papæ N. et S. Romanæ Ecclesiæ, necnon Ecclesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi pallium de corpore B. Petri sumtum, in quo est plenitudo Pontificalis officii cum Patriarchalis (vel Archiepiscopalis) nominis appellatione; ut utaris eo intra Ecclesiam tuam ,, certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis. " In nomine Patris etc.

(*h*) Orta est tum disceptatio, utrum Episcopo suffraganeo concedi pallium possit a Papa sine consensu Metropolitani.

§. 357. *Usus* legitimus palli distingui in primis debet a *jure petendi*. Hoc quidem jus pallii a Sede Apostolica petendi secundum canones adhæret Ecclesiæ, et ad Successores transit, adeoque inter privilegia realia numerari potest. At ipsum pallium conceditur personæ, ita, ut ejus usus alteri concedi nequeat, et extinguatur cum persona. Ab hac igitur peti debet instanter, instantius, instantissime (*i*), can. 1. et 2. dist. 100. Dein antequam imponatur, Sedi Apostolicæ juramentum præstari debet; quod primigeniæ naturæ ac fini pallii per quam consentaneum est (§. 352. 355.). Ac sane necessarium fuit, ut ob nova identidem pullulantia schismata Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, nova etiam invenirentur media pro conservanda Ecclesiæ unitate. Petitio fieri debet intra tres menses a die consecrationis. can. 1. dist. 100. Facta autem petitione ejus traditio retardari non debet per objectum petenti crimen vel defectum, nisi objiciens præmisso juramento de objectis promtam fidem faciat. Extrav. un. h. t. int. comm.

(*i*) Benedictus XIV. in cit. cont. *Rerum Ecclesiasticarum*. prope finem.

§. 358. Adstringitur pallium I. *ad personam*, ita, ut non possit alteri commodari. c. 2. h. t. Si ad aliam transfertur Ecclesiam, pallii jure gaudentem, aliud pallium *ad nomen*, *et ad usum ejusdem Ecclesiæ* petere debet. c. 4. in fin. de postul. Præl. Quodvis dein pallium cum ipso Archiepiscopo sepelitur. c. 2. h. t.

§. 359. Adstringitur II. *ad provinciam*: inter cujus Episcopos Archiepiscopus velut Princeps, et Dux censetur; quam ipsam Archiepiscopalis

nominis adpellationem ope pallii consequitur, c. 3. h. t. uti vero ipsius *potestas* provinciæ finibus constringitur, sic et pallii usus. Ante acceptum pallium exercere non potest, quod facit, ut *Archiepiscopus*, ceu quoad *actus jurisdictionis* convocare Concilium, visitare provinciam, vel *quoad actus ordinis*, qui inter Missarum solemnia, aut cum Episcopalibus ornamentis peraguntur, e. g. Clericos ordinare, Chrisma conficere: Ecclesias consecrare; *cum id non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus in Ecclesia sua facere videatur.* c. 38. v præterea. de elect. (*k*). Intra provinciam vero in omnibus Ecclesiis pallio uti potest, quando posset in sua, c. 1. et 6. h. t.

(*k*) Potest tamen Archiepiscopus confirmatus, etsi nondum receperit pallium, mandare alicui ex suffraganeis, ut consecret Electum, qui ad jurisdictionem Archiepiscopi pertinet. c. 11. de elect.

§. 360. Adstringitur pallium III. *ad Ecclesiam*, nempe inter Missarum solemnia, atque in iis, quæ cum Episcopalibus ornamentis peraguntur. Id continetur in forma traditionis pallii: *Ut utaris eo intra Ecclesiam tuam* (§ 356. in nota). *Si vero te sacris indutum vestibus Ecclesiam processionaliter, vel alio modo exire contigerit, tunc tuo pallio minime uti debes.* c. 1. h. t. et can. 6. dist. 100. Solum *privilegium Apostolicum*, non autem *consuetudo* efficere potest, ut Archiepiscopus pallio utatur extra Ecclesiam (can. 8. dist. 100.), aut omnino extra provinciam in Ecclesia quadam; at tum præterea consensus Episcopi, qui illi præest Ecclesiæ, requiritur. c. 5. h. t. in fin.

§. 361. Adstringitur pallium, ejusque usus IV. *ad certos dies*, *qui exprimuntur in privilegiis*

ab Apostolica Sede concessis. (§. 356. in not. et c. 7. h. t.) Hi dies enumerantur in Pontificali Romano tit. de Pallio; ac paulo aliter, quam a Glossa ad c. 4. h. t.

TITULUS IX.

DE RENUNTIATIONE.

ARGUMENTUM.

I. Renuntiatio est tacita, vel expressa: pura vel conditionalis. §. 362. *II. Ut legitime fiat, spectatur voluntas renuntiantis, causa, auctoritas Superioris, alia requisita.* §.364. *Effectus.*§.368.

§. 362. *Renuntiatio* aut Resignatio est Ecclesiasticæ dignitatis aut beneficii abdicatio ex justa causa, et auctoritate Superioris sponte ac legitime facta. Hac notione etiam comprehenditur renuntiatio *tacita*, quæ fit, cum quis ponit certum factum, ex quo jus præsumit, vel potius inducit renuntiationem: uti fit, 1. si beneficiatus in minoribus constitutus contrahit matrimonium (c. 1. et 3. de Clericis conjungatis), etsi forte invalidum ob incognitum impedimentum; *cum in matrimoniis contrahendis non juris effectus, sed animi destinatio attendatur*, c. 4. de Bigamis non ordinandis. 2. Si consequitur possessionem secundi beneficii incompatibilis, c. 28. de præb. 3. Si professionem emittit in ordine regulari, c. 4. de Regular. in 6. Hæc exempli causa fuere posita: ceterum sine expressa juris dispositione non est statuenda tacita renuntiatio; arg. c. 14. h. t. ubi Abbas per hoc, quod ab obedientia absolverit subditos, nondum censebatur renuntiasse prælaturæ. Tacitæ renuntiationi opponitur expressa, quæ etiam fieri potest per procuratorem, clericum vel laicum, unum, vel plures.

§. 363. In expressis renuntiationibus spectatur I. voluntas renuntiantis. II. Justa causa III. Auctoritas Superioris, et aliorum consensus, quorum interest. IV. Effectus. Ex voluntate est renuntiatio *pura* sine ulla conditione, vel modo: *conditionalis*, facta in favorem certæ personæ, ex causa permutationis, cum reservatione fructuum aut pensionis, regressus, ingressus, accessus. *Regressus* est, quando Papa concedit, ut, si resignatarius præmoriatur, beneficium revertatur ad resignantem. *Ingressus*, si Papa contulerit mihi beneficium; ego autem, antequam capiam possessionem, illud resignem concedente Papa, ut, si resignatarius moriatur, ego ingrediar meum beneficium, quod nunc resigno. *Accessus*, quando ille, cui conferendum esset beneficium, propter ætatis immaturitatem capax non est; et ideo Papa confert alteri, donec ille efficiatur habilis perveniendo ad legitimam ætatem; qua adveniente poterit propria auctoritate accedere ad beneficium. Regula generalis est, omnes privatas pactiones circa beneficia esse prohibitas et irritas, c. 4. 6. et fin. de Pactis. De voluntate legitimi Superioris, ac plerisque in casibus, solius Papæ potest adjici modus, aut conditio; sed cujus vis et effectus a voluntate Superioris, non a resignantibus provenit.

§. 364. Voluntas renuntiantis debet esse libera, id est, immunis a vi, metuve, et dolo. Renuntiatio, vi gravi et injusta extorta, jure naturali est irrita; tit. de his, quæ vi metusve causa; et c. 2. 3. et 4. ib. Id clare deciditur pro casu, quo seculares captum, vel detentum ad renuntiandum compellunt. Clem. 2. §. *sane*. de pœnis. Qui ait, se *non sponte* renuntiasse, reipsa affirmat, vim sibi fuisse illatam, idque probare debet. c. 5. h. t. At, qui renuntiavit spoliatus, præsumitur, id non

sponte fecisse : *Non est verisimile , quod sponte juri suo renuntiaverit , qui renuntiavit spoliatus.* c. 2. et 3. de restitut. spoliatorum. Dolus nocere non debet ei , qui inductus est ; exempla videntur extare c. 7. et 13. h. t. , nec prodesse debet dolum adhibenti. c. 2. in 6. Vis *injusta* non est , siquis a legitimo Superiore cogitur ad dimittendum beneficium , uti siquis eo privari posset : si inutilis est Ecclesiæ , vel id fieri necesse sit ad scandalum tollendum. De impuberibus Clericis et minoribus quæstio voluntatis et sufficientis intellectus moveri potest. Ac Clericus quidem impubes sine auctoritate tutoris et decreto Superioris non resignat , c. 2. de ætat. et qual. et ord. præficiend. c. fin. de judiciis in 6. ; valide tamen resignat minor 25. annis ; cui , si læsum se queratur , an detur restitutio , disputant.

§. 365. *De justa causa* renuntiandi si quæritur , distingui oportet inter dignitatem Episcopalem vel Episcopatu Superiorem , et alias inferiores dignitates , ac beneficia. De Episcopatibus renuntiandis exacte disserit Innocentius III. c. 10. h. t. , ubi causæ justæ enumerantur sex , at non sine cautelis ; debilitas corporis. §. 3. cit. c. 10. defectus scientiæ §. 4. conscientia criminis §. 2. irregularitas jam promoti §. 6. odium plebis. §. 5. datum scandalum. §. 6. (*a*). At tanquam insufficientes rejicit , causam humilitatis §. 1. tædium laboris §. 10. amorem vitæ contemplativæ §. 11. et alios istiusmodi obtentus , qui recensentur in parte decisa. De prætensa debilitate corporis et senectute conf. c. 1. h. t. De malitia plebis. c. 9. de ingressu in ordinem religiosum. c. 18. de Regular. Relate ad alia beneficia , vel dignitates inferiores sufficiunt etiam minores causæ e. g. senium, vitium corporis , crimen , censura etc. , quæ enu-

merantur a Pio V. in const. 58. *Quanta Ecclesiæ.* In his causis vel maxime probatur ingressus in religionem, can. un. XIX. q. 1. et can. 2. ib. q. 2. ac cit. c. 18. de Regular (*b*). Etsi vero cuique regulariter liberum sit, suo beneficio renuntiare, ac minores etiam in hoc genere sufficiant causæ; ex stylo tamen Curiæ Romanæ non admittitur renuntiatio beneficii Parochialis, vel alterius personalem residentiam requirentis, nisi quis illud saltem possederit per quinque annos.

(*a*) Hæc comprehensa sunt notis versiculis:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,

Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

(*b*) Ea de re dignissima lectu est Epistola Benedicti XIV. ad Cardinalem Quirinum. Tom.2. const. 25.

§. 366. *Auctoritas Superioris*, nempe ejus regulariter, a quo quis dignitatem vel beneficium habet, ad renuntiandum eidem requiritur, c. 4. h. t. quia in his tam institutio, quam destiutio non fit proprie arbitrio; ac ne consuetudo quidem valet dimittendi dignitatem vel beneficium inscio aut invito Superiore. §. 226. Hinc Episcopatus et prælaturæ immediatæ quæcunque Summo Pontifici sunt reservatæ (*c*); omnes item conditionales resignationes e. g. in favorem tertii (*d*), excepta resignatione per viam permutationis, et sub onere pensionis moderatæ, ex legitima causa per Episcopum imponendæ. Renuntiatio facta non in manibus legitimi Superioris, sed laici, non valet; renuntians tamen beneficio suo spoliandus dicitur. c. 8. h. t. Romanum Pontificem, etsi Superiorem

non habet, Papatui renuntiare posse, declaratum fuit c. 1. h. t. in 6.

(*c*) Innocentius III. in cit. c. 10. in f. Episcopo ad vitam contemplativam adspiranti ita scribit: *Si pennas habeas, quibus satagas in solitudinem avolare ; ita tamen adstrictæ sunt nexibus præceptorum, ut liberum non habeas absque nostra permissione volatum.* Adde c.15. h.t.

(*d*) Trident. Sess. XXV. c.7. de ref.

§. 367. Ut canonice fiat renuntiatio vel resignatio, præterea opus est, 1. ut fiat salvo jure tertii e. g. patroni ; ejus enim consensus requiritur, si est beneficium patronatum. 2. Ut si resignatio fit in favorem tertii, beneficium non sit litigiosum c. 2. ut lite pend. in 6. 3. Ut resignans aliud postea habeat sustentationis medium. Trid. Sess. 21. c. 2. de ref. 4. Ut resignatio beneficiorum, quæ fit in Germania, publicetur intra novem menses a die concessæ gratiæ, si ea facta sit in Curia Romana : si vero coram Ordinario, publicanda est intra tres menses a die collati beneficii, eaque publicatio fiat in Ecclesia Cathedrali, et simul etiam in parochiali, si beneficium intra fines Parochiæ situm est (*e*). In quibusdam diœcesibus ejusmodi publicationes solemnes ex consuetudine omittuntur, Episcopi autem est providere, ne executio nimium differatur. Potest etiam publicatio urgeri ab eo, cujus interest, si nimias moras in fraudem necti videat.

(*e*) Secundum regulas Cancellariæ de publicandis resignationibus. Constit. Gregorii XIII. *Humano vix*. Confirmata a Benedicto XIV. in Const. *Ecclesiastica Ministeria.*

§. 368. Effectus renuntiationis a Superiore piamssæ est, 3. ut beneficium censeatur vacare,

et quidem in Curia, si in manus Pontificis resignatum fuerit; ut proinde renuntians totum jus ad beneficium, ejusque fructus amittat. 2. Si renuntiatio facta est per procuratorem, ea firma manet, licet procurator primus fuerit revocatus, ipso tamen et Superiore ignorante; nisi per malitiam ipsorum aut aliorum revocatio fuerit occultata, vel retardata. Clem. unic. h. t. 3. Qui sponte renuntiavit e. g. electioni de se factæ, super ea ulterius non auditur. c. 6. h. t. 4. Effectum non sortitur renuntiatio Novitii professione non secuta; Trid. Sess. XXV. c. 16. de Regular., aliter nempe, ac olim, c. 3. h. t. 5. Neque renuntiatio infirmi infra 20. dies decedentis, juxta regulam Cancell. de infirmis resignantibus. 6. In resignationibus factis cum reservatione pensionis, nulla et irrita sunt pacta, eas pensiones extinguendi per anticipatas solutiones (*f*).

(*f*) Const. 30. Benedicti XIV. *In sublimi*. edita an. 1741.

TITULUS X.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

ARGUMENTUM.

I. Negligentia suppletur vel ex officio ordinario, vel ex dispositione juris. Hac pertinet devolutio. §. 369. Papa et Diœcesani ex officio, Metropolitæ ex dispositione juris supplent. §. 272. Quomodo negligentia suppleatur in conferendis beneficiis. §. 375. An valeat collatio beneficii post lapsum temporis legitimi. §. 381.

§. 369. Fieri potest, ut, qui exequendis Ecclesiasticis muniis præsunt, pro humanæ condi-

tionis fragilitate quidpiam *negligant*, id est, omittant de eo, quod ex jure vel consuetudine vi officii facere tenebantur. Huic negligentiæ provident SS. Canones, ac *præcipiunt*, ut alius eam suppleat, id est, auctoritate juris exequatur id, quod ab alio negligenter omissum est. Ipsa enim rubrica tituli vim legis habet, perinde, ac si diceretur: *De negligentia Prælatorum, ut suppleatur.*

§. 370. Auctoritate juris supplent negligentiam I. illi, qui jurisdictionem ac potestatem ex natura officii ac status sui habent tum in negligentem, tum etiam in personas ac causas, circa quas negligentia committitur. II. Ii, quibus talis jurisdictio ac potestas per se ex natura officii et status sui non competit, sed ex dispositione juris. Prioris generis exempla sunt ea, quæ a Summo Pontifice per universum orbem, et ab Episcopo in Diœcesi aguntur: posterioris, quæ fiunt a Metropolitanis in diœcesibus Suffraganeorum, vel a Patriarchis et Primatibus in districtibus suis can.8. IX. q. 3. et c. 9. de officio jud. Ord. In priore casu competunt omnia, quæ non sunt specialiter excepta: in posteriore, quod non est concessum, censetur prohibitum (§. 179.). Neque enim aliorum negligentia alteri per se jus et potestatem in eorum negotia et causas immiscendi se præbet. Cavendum primo, ne potestas ordinaria et vi officii competens restringatur ad solos casus supplendæ negligentiæ; dein ne facultas, ex dispositione juris supplendi aliorum negligentiam, ad perturbandum ordinem hierarchicum, et limites jurisdictionis confundendos detorqueatur.

§. 371. *Jus Devolutionis* dicitur, quo secundum jura suppletur, vel emendatur, quod ab alio omissum est, aut male actum dicitur; idque spe-

ctatur potissimum in conferendis beneficiis et in appellationibus. Regula est, quod devolutio fiat ab inferiore ad Superiorem (a), et quod fiat gradatim. c. 41. de electione: ibi *Eligendi potestas ad eum, qui proximo præesse dignoscitur, devolvatur.* Habet tamen hæc regula suas exceptiones, præsertim si potestas supplendi non ex natura rei, sed ex dispositione juris contingit. c. 18. de elect. in 6. imo si electio Episcoporum, etiam non exemtorum, in Germania non tantum minus canonica fuerit, sed etiam debito tempore non præsentetur, devolvitur pro ea vice providendi potestas immediate ad Summum Pontificem per concordata Germaniæ §. 3.

(a) Quando beneficia, per Concordata Papæ reservata certis casibus secundum eadem Concordata confert Ordinarius, non censetur id fieri jure devolutionis; sed quia eo casu cessat reservatio, quæ Ordinarium impedivisset a collatione. Negligentiam Episcopi in conferendis beneficiis non omnibus casibus supplet Capitulum, utpote inferius, sed in iis, quæ jure ordinario Episcopus conferre potuisset, ob specialem nexum inter Episcopum et Capitulum, vi cujus unum velut corpus efficiunt: conveniens autem est, ut defectum unius membri membrum aliud suppleat.

§. 372. Qui vi officii et potestatis ordinariæ inferiorum defectus et negligentiam supplent, id faciunt in omnibus casibus, nisi obstet singularis exemtio, quæ tamen relate ad Summum Pontificem locum habere non potest; Episcopus etiam contra exemtos multis casibus procedit vi Concilii Tridentini, tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ: de qua re alius est dicendi locus. Huc pertinent sequentes Decisiones.

I. Si inferiores Prælati, qui ex Privilegio, consuetudine vel præscriptione potestatem habent

corrigendi delicta subditorum, id facere negligant, Episcopus eis præfigit terminum, eoque elapso ipse procedit, supplendo eorum negligentiam. c. 13. v. *Excessus.* de officio jud. ordinarii.

II. Si regularis exemtus extra claustrum ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, et a Superiore intra terminum ab Episcopo præfigendum severe punitus haud fuerit, delinquens ab Episcopo punitur. Concil. Trid. Sess. XXV. c. 14. de Regul. Super hujus Decreti executione an. 1596. Constitutionem; *Suscepti muneris.* edidit Clemens VIII. Cum enim Superiores Religiosum, qui deliquerat, extra Diœcesin Episcopi inquirentis mitterent, quo ille evadere impunitus videbatur; hinc præcipit Clemens VIII. Superioribus Ordinum sub pœna privationis officii, ut delinquentem puniant ad præscriptum ab Episcopis terminum, ubicunque ille fuerit.

III. Si Prælati, ad quos spectat, non corrigunt ea, quæ contra reverentiam SS. Ecclesiis debitam, præsertim in recitandis horis Canonicis, geruntur, jubentur locorum Ordinarii defectum vel negligentiam supplere, si peccantes exemti non sint; alias Superiores istorum. Clem. 1 de celebr. Missar.

IV. Inferiore Prælato negligente magistros constituere pro informanda juventute, supplet Ordinarius. c. 2. de Magistris.

V. Si per malitiam vel desidiam judicis a Papa delegati perseverat quis in peccato e. g. in matrimonio incestuoso, Ordinarius supplet. c. 6. de officio jud. ordinarii.

§. 273. De iis, qui negligentiam inferiorum non vi ordinariæ potestatis, et ex officio suo, sed

ex dispositione juris supplent, regula generalis est, id fieri non posse, quando *id non invenitur a jure concessum.* c. 1. h. t. in 6. (§. 370). Hinc si Episcopus excommunicatione adstrictus impeditur fungi Episcopali jurisdictione, non Metropolitanus supplet, utpote qui jurisdictionem in subditos Suffraganeorum non habet, sed Capitulum ob rationem indicatam §. 371. in nota. Et si Episcopus, tertio cum humilitate ac devotione requisitus, Abbates Cistercienses benedicere renuit, defectum non supplet Metropolitanus, sed ipsum jus, quod Abbatibus ante acceptam benedictionem Episcopi omnia exercere permittit, quæ ad officium Abbatis benedicti pertinent. c. 1. h. t. ubi Gonzalez id de aliis etiam Abbatibus intelligendum docet.

§. 374. Ex dispositione juris Metropolitanus supplet negligentiam Episcopi I. in absolvenda excommunicato, observata certa forma, quæ extat in c. 8. de offic. jud. ord. in c. 40. de sent. excom. et c. 7. §. sane. eod. in 6. II. In puniendis notoriis criminibus, quæ Episcopus in suis Diœcesanis emendare negligit. c. 1. §. 4. de censibus in 6. ubi id de Archiepiscopo provinciam visitante videtur statui. Concilium Trid. Sess. XXIV. c. 20. de ref. permittit Nutiis, contra Clericos, aliasque Personas Ecclesiasticas procedere, sed *Episcopo prius requisito*, *eoque negligente.* III. In Institutione parochorum, quos legitime præsentatos Episcopus infra duos menses non instituit. Ex constit. 33. Pii V. *In conferendis.* §. 4. IV. In constuendo Oeconomo. can. 3. IX. q. 3. At can. 2. dist. 89. statuitur, ut omnis Clerus Episcopo constituat Vicedominum, vel Majorem domus, si ipse constituere neglexerit; quibus nominibus videtur idem indicari, ac per Oeconomum. Ob mutatam admi-

nistrationem bonorum Ecclesiasticorum jus antiquum non observatur. V. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 20. de ref. permittit partibus litigantibus, vel alteri illarum judicem superiorem, alias tamen competentem adire, quando in prima instantia coram Ordinario, infra biennium a die motæ litis computandum, causa non terminatur.

§. 375. *In beneficiis conferendis* fit devolutio, cum potestas eligendi, præsentandi, libere conferendi ab ordinario electore, patrono, collatore pro una vice privato, transit ad alium, vel propter negligentiam, si intra tempus a jure præfixum facta non est electio, præsentatio, collatio; vel ob delictum, si indignus est electus, aut non servata forma Canonica. Id tamen huc non pertinet; quia de sola agitur supplenda *negligentia*, seu omissione. De tempore, intra quod fieri debet provisio conf. §. 276. Huc ergo pertinent decisiones, quæ sequuntur.

§. 376. I. In metropolitanis et cathedralibus etiam non immediate subjectis Ecclesiis, et monasteriis immediate subjectis Sedi Apostolicæ, fiant electiones Canonicæ; quæ si debito tempore non præsentatæ, aut minus Canonicæ fuerint, providet Papa per Concordata nationis Germanicæ §. 3. contra c. ne pro defectu. 41. de elect. at conformiter generali regulæ a Glossa in Clem. un. h. t. verbo *dispositionem*, et ab antiquis traditæ: quod negligentia eligentium vel præsentantium jus devolvat ad confirmantem, vel instituentem.

§. 377. II. Si electio pertinet ad capitulum Ecclesiæ inferioris, non exemtæ, vel collatio beneficii ad quemvis Clericum Episcopo subjectum,

tum propter istorum negligentiam devolutio fit ad Episcopum: hoc negligente ad Archiepiscopum: demum ad Papam gradatim. c. 2. de concess. præb. c. 3. h. t. ac conceditur cuivis tantum temporis, quantum ordinariis electoribus aut collatoribus definitum est. Episcopus autem, ad quem devoluta est potestas eligendi Prælatum Ecclesiæ inferioris, secularis vel regularis, eligere tenetur aliquem de corpore ejusdem Ecclesiæ, si idoneus adest. can. 13. dist. 61. (§. 295). Nec obstat, quod ipsi capitulares extra gremium possint quemdam assumere; ipsi enim possunt renuntiare juri ac favori suo, ut dicitur c. 19. in parte decis. de elect. Universe Prælatus, qui jure devoluto eligit vel confert, id facere debet secundum naturam et conditiones beneficii, ut observat Rebuffus tit. de devolut. n. 40.

§. 378. III. Si Prælati regulares beneficia secularia vel regularia, ceu prioratus, administrationes etc. ad suam collationem spectantia intra semestre tempus non conferant, devolutio fit ad Episcopum, qui ea confert *sua* auctoritate, si ipsi Prælati non sunt exemti: *Apostolica*, si ipsi exemti sint. Clem. un. h. t. Si autem ipsa quoque beneficia essent exemta, divolutionem fieri ad Papam, defendit Glossa in cit. Clem. Un. h. t. v. *sua*.

§. 379. IV. Si electio e. g. *Decani*, collatio Canonicatus, aut beneficii ad Capitulum pertinet, eo negligente jus devolvitur ad Episcopum: et vicissim si collatio ad Episcopum *jure proprio et ordinario* pertinet, isque negligat, fit devolutio ad Capitulum: ab hoc, si negligat, ad Metropolitanum: denique ad Papam. c. 3. h. t. c. 2. de concessu, præb. Dixi: si collatio ad Episcopum *jure proprio et ordinario* spectat: si enim jure

tantum *devoluto* conferre posset, idque ipsum negligeret, devolutio non fit ad Capitulum, sed ad Metropolitanum; quia in juribus devolutis Capitulum tantam connexionem et communicationem cum Episcopo non habet, quantam habet in juribus propriis Ecclesiæ.

§. 380. V. Si collatio beneficii ad Episcopum et Capitulum communiter, sive conjunctim pertinet, tum a Capitulo moneri debet Episcopus, eoque cunctante Capitulum solum providet instante termino temporis semestris: et similiter Episcopus, si Capitulum ea de re admonitum moram trahat. Eodem casu, quo collatio ad Episcopum et Capitulum conjunctim pertinet, et altera pars ob suspensionem vel excommunicationem conferre non possit, tum altera pars sola conferet. Si vero ad solum Episcopum, vel solum Capitulum collatio pertineret devolutio non fit, nisi censura irretitus in mora sit, absolutionem petendi. c.3. h. t. et c. un. Ne Sede vacante. in 6.

§. 381. Quæri potest, utrumne *valida* sit electio vel collatio, quæ fit post lapsum temporis legitimi? ℟. 1. non est ita firma, quin a Superiore ad quem jus devolutum est, tum ipsa, tum, quæ inde secuta sint, rescindi queant. Nam *canon latæ sententiæ habet in se executionem*, ita, ut superior per sententiam declarare possit, omnia ipso jure irrita esse, quæ contra canonem latæ sententiæ facta sunt. ℟. 2. Si tamen nemo se opponat, electio vel collatio sustinetur, atque electus vel provisus in conscentia tutus est, modo alias sit dignus. c. 3 et 4 h. t. (*b*)

(*b*) Quid juris sit, si Patroni debito tempore non præsentent: explicatur ad tit de Jure Patronatus. Quomo-

do Capitulum aliis casibus defectus et impedimenta Episcopi suppleat, exponi solet titulo: Ne Sede vacante aliquid innovetur; ubi agitur de juribus Capituli, et vacatione vera, aut ficta.

TITULUS XI.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, ET QUALITATE ORDINANDORUM.

ARGUMENTUM.

I. Enumerantur Ordinum gradus, ritus, officia §. 382. *II. Inde intelligitur Hierarchia Ordinis, ejusque fundamentum.* §. 296. *III. Numerus Ordinum et ratio Sacramenti* §. 397. *IV. Quic requirat præcise valor ordinationis* §. 399. *V. Ut vero et licite, observanda sunt tempora et locus* §. 400. *VI. Item qualitates ordinandorum, in primis ætas* §. 403. *VII. Aliæque pro minoribus et majoribus Ordinibus* §. 404. *VIII. Ac generatim, ne irregularis ordinetur* §. 407.

§. 382. Actum est post generalia juris principia de illo genere personarum, quod ad regendam cum potestate Ecclesiam præficitur; deinceps universus Clericorum chorus, statusque proponitur. Assumtio in eum statum fit per *primam tonsuram*, quæ est Cæremonia sacra in his consistens: 1. Pontifex, seu Ordinans præmissis precibus Candidatis status clericalis coram se genuflexis extremitates capillorum incidit, ad designandam vitiorum et desideriorum carnalium depositionem; nam ut S. Hieronymus inquit, *rasio capitis est temporalium omnium depositio.* Can. 7. XII. q. 1. Hinc singuli dum tondentur, dicunt: *Daminus pars hereditatis meæ et calicis mei; tu es, qui resti-*

tues hereditatem meam mihi 2. Post alias orationes Episcopus superpelliceum tonsis imponit, dicens: *Induat te Dominus novum hominum, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate vertiatis.* 3. Persolutis iterum precibus sic eos alloquitur: *Filii carissimi, animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiæ facti estis, et privilegia clericalia sortiti estis. Cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis, et habitu honesto bonisqne moribus, utque operibus Deo placere studeatis; quod ipse vobis concedat per Spiritum sanctum suum.* ℟. *Amen.*

§. 383. Vis igitur et effectus Tonsuræ est; I. ut Tonsurati fiant membra status et ordinis clericalis. II. Ut induti superpelliceo assistere possint in Choro ad cantanda divina officia; ac videntur iidem per antiquos Canones nomine *Psalmistarum* ac *Cantorum* designari (*a*). III. Ad supplendas functiones ordinum minorum admittendi sunt præ laicis. IV. Capaces sunt ad acquirenda et possidenda beneficia Ecclesiastica; modo non careant qualitatibus ad functiones beneficii requisitis. Nemini autem, nisi prima saltem tonsura insignito *valide* confertur beneficium vel dignitas Ecclesiastica. c. 2. de instit. c. 6. de transact. V. Præparantur ad ulteriores ordines, ad quos Episcopus ipsos judicaverit dignos. VI. Acquirunt privilegia Clericorum, maxime fori et Canonis. VII. Ad vitæ morumque sanctitatem præ laicis obligantur. can. 21. VIII. q. 1. ibi: *Vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse, quam Clericos.*

(*a*) Can. 1. dist. 21. can. 20. dist. 23. can. 6. XXVII. q. 1.

§. 384. Sequuntur *Ostiarii*, quibus in ordinatione dicit Pontifex: „ Suscepturi, filii carissimi,

„ officium Ostiariorum, videte, quæ in domo Dei „ agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam; aperire Ecclesiam et sacrarium; et librum aperire ei, qui prædicat. Providete igitur, ne per negligentiam vestram illarum rerum, quæ intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat; certisque diebus domum Dei aperiatis fidelibus, et semper claudatis infidelibus. Sudete etiam, ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperitis et clauditis; sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo, et aperiatis Christo. " Tradens claves Ecclesiæ dicit: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.*

§. 385. *Lectores* ostiariis digniores, sed ætate olim fere minores erant: illorum enim officium viros ætate maturos poscebat; Lectorum ordini adscribebantur adolescentes, qui aliquando apti ad sacerdotium futuri credebantur (*b*). Pontifex in ordinatione tradens iisdem codicem, de quo lecturi sunt, quemque manu dextera tangunt, ait: *Accipite et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter, et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.* Lectorum ergo officium est, prælegere SS. Scripturas (*c*), epistolas RR. Pontificum et aliorum Episcoporum, Acta martyrum, homilias Patrum: custodire item libros sacros, quod tempore persecutionis frequentibus erat periculis obnoxium (*d*).

(*b*) Can. 3. dist. 77. Ex epist. Siricii P. ad Himerium Tarrac. c.9. Coustant. col. 633.

(*c*) Non in Missa solemni, in qua epistolas et lectiones tanquam partes ejusdem integrantes legit Subdiaconus, sed extra Missam in psalmodiis, et instar lectionis simplicis.

(*d*) Conf. Acta SS. Martyr. Saturnini etc. apud Hagiographo, Antvverp. 11. Febr. et Baron. ad an. 303. n. VII. XII. XIII.

§. 386. *Exorcistas* Pontifex in ordinatione admonet his verbis: „Exorcistam oportet abjicere „ dæmones, et dicere populo, ut, qui non communicat, det locum; et aquam in ministerio fundere. Accipitis itaque potestatem imponendi manum super Energumenos, et per impositionem „ manuum vestrarum, gratia Spiritus sancti, et „ verbis exorcismi, pelluntur spiritus immundi a „ corporibus obsessis. Studete igitur, ut, sicut a „ corporibus aliorum dæmones expellitis, ita a „ mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam, et nequitiam abjiciatis etc. " Tradens librum exorcismorum, quem ordinandi manu dextera tangunt, dicit: *Accipite, et commendatæ, memoriæ, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos sive catechumenos.*

§. 387. Supremum inter ordines minores locum obtinent *Acolythi*; quod nomen a græca ductum origine significat *sequi*, *obsequi*, *famulari proximum esse.* Ad ordinandos Episcopus dicit: „ „ Acolythum oportet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare. Studete igitur susceptum „ officium digne implere. Non enim Deo placere „ poteritis, si lucem Deo manibus præferentes, operibus tenebrarum inserviatis, et per hoc aliis „ exempla perfidiæ præbeatis. Sed sicut veritas dicit: Luceat lux vestra.—Estote igitur soliciti in „ omni justitia, bonitate, et veritate, ut et vos et „ alios, et Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc etenim „ in Dei sacrificio digne vinum suggeritis et aquam, „ si vos ipsi Deo sacrificium per castam vitam, et „ bona opera oblati fueritis. Quod vobis Dominus

„ concedat per misericordiam suam. " Tradens dein Candelabrum cum candela extincta,manu dextera a singulis tangendum dicit: *Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini.* Resp.*Amen.*Tradens vero urceolum vacuum similiter tangendum ait: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in EucharistiamSanguinis Christi in Nomine Domini* Resp.*Amen.* Veteres Episcopi Acolythorum opera utebantur in perferendis ad alios Episcopos literis; uti patet ex literis S.Cypriani. Id nuntii munus magnam exigebat fidem iis temporibus, quibus furore et insidiis gentilium omnia infesta erant.

§. 388. A minoribus ordinibus ascenditur ad *majores*, qui et *sacri* dicuntur; eoquod necessario inter Missarum solemnia conferantur, et functiones suas supra gradus altaris obeant. In his Subdiaconatus et Diaconatus ad *ministerium:* Presbyteratus et Episcopatus ad *confectionem Sacramenti* Eucharistiæ et spectant. Pontifex Subdiaconos ordinandos cum mitra sedens coram se stantes sic alloquitur: „ Filii dilectissimi, ad „ sacrum Subdiaconatus ordinem promovendi, „ iterum atque iterum considerare debetis atten- „ te, quod onus hodie ultro appetitis. Hactenus „ enim liberi estis, licetque vobis pro arbitrio „ ad secularia vota transire; quodsi hunc ordi- „ nem susceperitis, amplius non licebit a pro- „ posito resilire, sed Deo, cui servire, regnare „ est, perpetuo famulari; et castitatem, illo „ adjuvante, servare oportebit; atque in Eccle- „ siæ ministerio semper esse mancipatos. Proin- „ de dum tempus est, cogitate, et in sancto „ proposito perseverare placet, in nomine Do- „ mini huc accedite (e). „ Officium Subdiaco-

natus dein explicans: „ Subdiaconum, inquit, „ oportet aquam ad ministerium altaris præparare, Diacono ministrare, pallas altaris, et „ corporalia abluere, calicem et patenam in „ usum Sacrificii eidem offerre. Oblationes, quæ „ veniunt in altare, panes propositionis vocantur. De ipsis oblationibus tantum debet in altare poni, quantum populo possit sufficere, „ ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallæ, quæ sunt in substratorio altaris, in alio vase „ debent lavari, et in alio corporales pallæ. Ubi „ autem corporales pallæ lotæ fuerint, nullum „ aliud linteamen debet lavari, ipsaque lotionis „ aqua in baptisterium debet vergi „ etc. Tradens Episcopus calicem vacuum cum patena vacua superposita, ab ordinandis manu dextera tangendum: *Videte*, inquit, *cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Amictum, qui super collo ordinandorum jacet, imponens singulis super caput, dicit: *Accipe amictum, per quem significatur castigatio vocis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Resp. *Amen.* Manipulum in sinistrum brachium immittens, dicit: *Accipe manipulum, per quem designantur fructus bonorum operum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Resp. *Amen.* Induens quemlibet tunica dicit cuilibet: *Tunica jucunditatis et indumento lætitiæ induat te Dominus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Resp. *Amen.* Denique tradens omnibus librum epistolarum manu dextera tangendum: *Accipite*, inquit *librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Resp. *Amen.*

(*e*) Hæc in memoriam revocanda sunt hodiernis Clericis quibusdam cupiditatum, et carnis æstu incensis at-

culorum. Resp. *Amen* Dalmatica induens Ordinandum, dicit: *Induat te Dominus indumento salutis, et vestimento lætitiæ: et dalmatica justitiæ circumdet te semper; in nomine Domini.* Resp. *Amen.* Denique tradens librum Evangeliorum manu dexra tangendum, dicit: *Accipite potestatem legendi Evangelium, in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini.*

§. 390. Officium Diaconorum secundum dicta est. I. *ministrare ad altare.* Olim etiam Eucharistiam dabant populo; sed hodie id non possunt Presbytero præsente, et nisi necessitas flagitet. Concil. Carth. an. 398. can. 38. II. *Baptizare*; sed hoc jure uti nequeunt, nisi in casu necessitatis præ Laicis, aut inferioribus Clericis, aut ex commissione; quia extra casum necessitatis conferendus est baptismus solemnis, hujus proprius minister est parochus. III. *Prædicare*; quod non tantum refertur ad Missam solemnem, in qua Diaconus Evangelium publice legit, sed etiam ad veram divini verbi prædicationem can. 1. §. 7. dist. 23. Cum autem prædicandi munus ad Episcopos et Presbyteros ex officio pertineat, Diaconus illud suscipere non debet, nisi in eorum defectu, et jussu, aut ex speciali privilegio, quale non modo Diaconis, sed omnibus Clericis S. J. concessit Paulus III. an. 1545. et Gregorius XIII. an. 1585. De his Diaconorum officiis agitur Act. VI. 5. VIII. 5. 12. 38.

§. 391. Alia præterea Diaconis olim imponebantur munia. Nam IV. *Administratio rerum Ecclesiæ* sub cura Episcopi ipsis committebatur, custodia item pecuniarum apud Ecclesiam depositarum, et distributio eleemosynarum. Unde V. *singularis cura viduarum, virginum, orphano-*

rum, *pauperum*, *mártyrum et confessorum* in custodia detentorum ab ipsis gerebatur, ne quid istis ad vitæ necessisatem deesset. VI. *Invigilabant in mores populi et cleri maxime inferioris*, et delicta Episcopo denuntiabant; unde dicti sunt aures, oculi, dextera, os et cor Episcoporum. Auctor constitut. Apost. l. 2. c. 4. edit. Paris. an. 1564. VII. *Oblationes accipiebant*, et offerentium nomina recitabant, quod dicebatur *offerre nomina*. S. Cyprian. Ep. 9. VIII. *Recitabant in Ecclesiis sacra Dyptica*, sive tabulas, in quibus descripta erant nomina tum viventium, tum mortuorum, qui virtute, dignitate, generis nobilitate ceteris præstabant. IX. *Indicebant in sacris conventibus communes preces*, formulam præeuntes, quam in iis adhibere oportebat. S. Augustin. Ep. 55. ad Januar. c. 18. X. Denique in *plerisque negotiis*, *legationibus et jurisdictione exercenda* Diaconorum opera utebantur Episcopi; imo urgente necessitate in remittendis pœnis satisfactoriis, quas Episcopus imposuerat. S. Cyprian, epist. 13. Concil. Eliberitan. c. 32. Ex tanta munerum dignitate, copiaque ambitio quorundam Diaconorum tantopere efferbuit, ut se presbyteris præferre, imo etiam Sacrificium offerre ausi fuerint: qui abusus gravibus Patrum et Conciliorum decretis reprimi debuit. Acriter eloquentiam suam adversus eos impendit S. Hieronymus epist. 85. ad Evagrium, et S. Cyprianus ep. 65. ab Rogatianum.

§. 392. A ministris ascenditur ad eos, quorum illi servitio deputantur, nempe ad *Sacerdotes*; quod nomen a sacrificando, quasi *sacrum dans* deducitur: iidem ab ætate vel senio *Presbyteri* nuncupantur: *Cani autem sunt sensus hominis*, *et ætas senectutis vita immaculata*. Sap.

IV. 9. *Præsbyteratus*, de quo agimus, est Ordo, quo datur potestas consecrandi Corpus Christi, et remittendi peccata; quæ est duplex potestas ex institutione Christi, *in Corpus Christi verum* conficiendo Sacramentum Altaris, et *corpus Christi mysticum*, seu Ecclesiam per potestatem clavium.

§. 393. In ordinatione *Presbyterorum* secundum ritum Ecclesiæ latinæ præmittitur scrutinium publicum, interrogante Archidiaconum Episcopo, an sciat, præsentatos ad ordinem *Presbyterii* esse dignos, illoque respondente, ut supra §. 389. de Diaconis, Episcopus eos Clero et populo annuntiat his verbis: „ Quoniam, fratres „ carissimi, rectori navis, et navigio deferendis „ eadem est vel securitatis ratio, vel communis „ timoris, par eorum debet esse sententia, quo- „ rum causa communis existit. Neque enim fuit „ frustra a Patribus institutum, ut de electione „ illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, „ consulatur etiam populus: quia de vita et con- „ versatione præsentandi, quod non nunquam „ ignoratur a pluribus, scitur a paucis; et neces- „ se est, ut facilius ei quis obedientiam exhibeat „ ordinato, cui assensum præbuerit ordinando. — „ Siquis habet aliquid contra illos etc. " ut supra de Diaconis. Præcipuus dein ritus in Ecclesia latina consistit in his. I. Episcopus ordinandos de officio Ordinis, quem suscepturi sunt, instruit: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, et baptizare.* II. Super caput cujuslibet ordinandi utramque manum imponit, nil dicens, idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes, qui adsunt; quo facto tam Episcopus, quam Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos; et Episcopus stans cum mitra dicit: *Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut*

super hos famulos suos, quos ad Presbyterii munus elegit, cælestia dona multiplicet; et quod ejus dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio, per Christum Dominum nostrum. Resp. *Amen.* III. Aptans stolam ante pectus cujuslibet in modum crucis, ad singulos dicit: *Accipe jugum Domini; jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve.* IV. Imponens casulam, singulis dicit: *Accipe vestem Sacerdotalem, per quam caritas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi caritatem, et opus perfectum.* Resp. *Deo gratias.* V. Invocato divino Spiritu, oleo catechumenorum inungens unicuique ambas manus, dicit: *Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam untionem, et nostram benedictionem.* Resp. *Amen. Ut, quæcunque benedixerint, benedicantur; et quæcunque consecraverint, consecrentur, et sanctificentur, in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Resp. *Amen.* VI. Postmodum tradit Episcopus cuivis ordinando calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum hostia; isque eam accipit inter indices et medios digitos, et cuppam calicis et patenam simul tangit, Episcopo dicente: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis: in nomine Domini.* Resp. *Amen* Unde mox hac accepta potestate ordinati Sacrum faciunt cum Episcopo, incipientes a *Suscipe Sancte Pater.* VII. Sumta ablutione Pontifex inchoat responsorium: *Jam non dicam vos servos.* Eo finito Presbyteri ante Altare stantes profitentur fidem ex symbolo Apostolorum, *credo in Deum Patrem etc.* Tum Pontifex ante medium Altaris imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt.* VIII. Demum expli-

cans casulam, quam unusquisque hebet super humeros complicatam, induit illa quemlibet, dicens singulis: *Stola innocentiæ induat te Dominus.*

§. 394. Spectandum denique velut in humili loco consistentibus nobis est, quomodo ad apicem Sacerdotii perveniatur, et Episcopalis consecratio secundum præcipua capita peragatur.

I. Quia consecratori Episcopo duo adsunt Assistentes, Senior istorum ad Consecratorem dicit: *Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hunc præsentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis.* Consecrator dicit: *Habetis mandatum Apostolicum?* Respondet Senior Assistentium: *Habemus.* Consecrator: *Legatur.* Notarius Consecratoris accipiens mandatum de manu Episcopi assistentis legit a principio ad finem. Tum Electus de Sede sua veniens, coram Consecratore genuflectit, et legit juramentum de verbo ad verbum: Ego N. Electus Ecclesiæ N. etc. (§. 333.); in fine textum Evangelii ambabus manibus tangens dicit: *Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.* Consecrator dicit: *Deo gratias.*

II. Electo et Assistentibus in locis suis sedentibus, Consecrator intelligibili voce legit examen de fide et moribus. Electus pro variis articulis respondet: *Volo* et *Credo.*

III. Inchoatur Sacrum; lecta Epistola et graduali Consecrator sedens cum mitra, versus ad Electum dicit: *Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, et confirmare.*

IV. Dicuntur Lytaniæ; Consecrator, accepto libro Evangeliorum, illum apertum, adjuvantibus duobus assistentibus, imponit supra cervicem et scapulas Electi, nihil dicens.

V. Dein Consecrator et Assistentes Episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes: *Accipe Spritum Sanctum*; formula ad nullum munus sacrum restricta; quia plenitudo Sacerdotii et Spiritus Sancti infunditur.

VI. Recitatis quibusdam precibus, et invocato Spiritu Sancto, Consecrator pollicem dextrum intingit in sanctum Chrisma, et caput Electi coram se genuflexi inungit: dicens: *Ungatur, et consecretur caput tuum, cælesti benedictione, in Ordine Pontificali. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Resp. *Amen.* ℣. *Pax tibi.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.* Post orationem, et cantica eodem Chrismate inunguntur manus a Consecratore dicente: *Ungantur manus istæ de oleo santificato, et Chrismate sanctificationis; sicut unxit Samuel David Regem, et Prophetam, ita ungantur, et consecrentur, in nomine Dei Patris etc.*

VII. Benedicitur baculus pastoralis, et Consecrato traditur: *Accipe baculum pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens.* Resp. *Amen.*

VIII. Similiter benedicit annulum Consecrator, et in digitum annularem Consecrati immittit, dicens: *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum; quatenus Sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibate custodias.* Resp. *Amen.*

IX. Consecrator tradit eidem librum Evangeliorum, dicens; *Accipe Evangelium, et vade, prædica populo tibi commisso; potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam, qui vivit, et regnat in secula seculorum.* Resp. *Amen.*

X. Consecrator et Assistentes recipiunt Consecratum ad osculum pacis. Abstergitur caput Consecrati: lavantur manus: pergitur in Missa: ad Offertorium Consecratus offert Consecratori duo intortitia accensa, duos panes, et duo barilia vino plena.

XI. Uterque simul peragit Sacrum. Communionem Consecrator Consecrato præbet sub utraque specie.

XII. Imponitur mitra capiti Consecrati, et chirothecæ manibus sub aptis formulis.

XII. Inthronizatur Consecratus in Sede Episcopali; et cum cantatur hymnus Ambrosianus, ducitur ab Assistentibus per Ecclesiam, et omnibus benedicit; data dein etiam solenni benedictione, finitur ceremonia dato osculo pacis.

§. 395. Habemus igitur ob oculos positum universum Clerum, certis distinctum ordinibus, a primis tyrociniis sacræ militiæ ad supremos duces, et ab infimo gradu Ecclesiastici status ad apicem Sacerdotii progredientem. Sunt enim Tonsurati, Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, Episcopi, qui statum hominum, quos *Clericos* dicimus, ex divina institutione profectum constituunt, a Laicorum statu Dei ordinatione, vitæ professione, et conditionis sanctitate penitus segregatum *(f)*.

(f) Est tertium quoddam inter Clericos et Laicos genus personarum, quæ ob privilegia, quæ cum Cleri-

cis habent communia, et ob Christianæ perfectionis institutum, Ecclesiasticæ nuncupantur, ceu monachi ordinibus non initiati, atque etiam sacræ virgines Deo dicatæ, et siqui sunt alii hujus generis.

§. 396. Originem ac fundamentum status clericalis exponit SS. Concilium Tridentinum Sess. XXIII. c. 1. his. verbis: *Sacrificium et Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in novo Testamento sanctum Eucharistiæ Sacrificium visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit; fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile, et externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est.* Porro *translato Sacerdotio necesse est, ut et legis translatio fiat*, inquit Paulus Hebr. VII. 12. Hinc I. Christus duplicem instituit principatum in Sacerdotibus novæ legis, pro Sacrificio obeundo, et pro Ecclesia regenda, sive potestatem *Ordinis*, et potestatem *Jurisdictionis*. II. In utraque insunt gradus, per quos alia potestas alia excelsior est, et major. III. Hi gradus potestatis divinitus concessæ efficiunt Hierarchiam. *Siquis dixerit, in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et ministris; anathema sit.* Concl. Trid. Sess. XXIII. can. 6. IV. Eidem Hierarchiæ annexum est *Sacramentum Ordinis*, quo datur Spiritus Sanctus, et character imprimitur. V. Hic *Ordo* tum active sumitur pro *statu* perpetuo ac stabili, qui inde resultat, vi cujus, qui Sacerdos semel fuit; laicus rursus fieri non potest. S. Concil. Trid. c. 4. et can. 4. (*g*).

(*g*) Expendenda est vera et catholica doctrina de Sacramento Ordinis, quam SS. Concil. Trid. Sess. XXIII. per prima quatuor capita et subjectos canones declaravit. Addendi ex Sess. VII. Canones de Sacramentis in genere,

§. 397. Hac præmissa generali doctrina, de *numero Ordinum* primo quæritur. Novem esse Ordines, seu gradus censent passim Canonistæ, et quidam Theologi; quia præter quatuor Minores, Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum etiam Episcopatus specialem materiam ac formam habet; singularem etiam potestatem ordinandi Clericos, et baptizatos confirmandi confert. Per primam *Tonsuram*, juxta formam Ecclesiæ datam, clericalem ordinem conferri, affirmat Innocentius III. c. cum contingat. 11. de ætat. et qual. præf. in quod capitulum commentans Ostiensis ait n. 5.: *Taceant, qui dicunt, septem tantum esse Ordines: qui imo sicut in cœlesti Hierarchia novem sunt Angelorum chori, sic in Ecclesia Dei novem sunt Ordines.* Sperelli Decis. 114. decidit, per saltum censeri promotum, adeoque suspensum illum, qui, omissa prima Tonsura, Ordines minores suscipit, et dispositionem Concilii Trident. Sess. VII. c. 10. de ref., vi cujus Capitulum Sede vacante intra annum dimissorias ad Ordines dare nequit, etiam intelligi de prima Tonsura (*h*). At Theologi, qui præcise Sacramentum Eucharistiæ, ejusque confectionem vel ministerium circa illud spectant, septem statuunt Ordines, exclusa Tonsura, et Episcopatu.

(*h*) Certe Tonsurati ad Clerum pertinent; arg. c.16. de Præbend. Cum igitur universus Clerus in suos ordines et gradus distributus sit, vel ipsi singularem ordinem, gradumque constituunt, vel alteri superiori gradui ac ordini erunt adnumerandi, quod dici nequit. Verisimile est, eos Psalmistarum nomine fuisse designatos §.383. in. not. Horum enim æque, ac hypodiaconorum et Lectorum mentio fit in antiquissimis Documentis. conf. Selvaggii Antiquit. Christian. L. I. P. II. c. III. §. VIII.

§. 398. Alia est quæstio Theologorum propria, quibusnam horum Ordinum competat ratio veri ac proprii Sacramenti, quo character Ordinis imprimitur. Etsi enim singulis vel pluribus ratio Sacramenti insit, *unum* tamen dicitur *Ordinis* Sacramentum; quia singuli referuntur ad unum finem, nempe Sacrificium, et sanctificationem fidelium. Theologorum diversas sententias recenset Benedictus XIV. de Syn. diœces. l. VII. c. 4. Difficultatem parit ignota origo institutionis Ordinum eorum, qui sunt infra Diaconatum. Si enim ab Ecclesiæ institutione sunt, non intelligitur, quomodo a Christo, qui est auctor Sacramentorum, habeant annexam Sacramenti gratiam. Præterea in antiquis documentis non constans reperitur numerus Ordinum Diaconatu inferiorum. Antiqui Græcorum libri, et hodierni mores non omnes enumerant ordines, qui in usu sunt Ecclesiæ Romanæ. At enim cum Hierarchia ex Dei ordinatione Episcopis, Presbyteris et ministris constet, uti Concilium Trid. definivit, dubitari vix potest, quin Diaconatui vera et propria Sacramenti ratio competat. In Diaconatu plura et diversa erant ministeria, ac functiones dispares, quæ quidem in prima fidelium paucitate, rebusque angustis a Diaconis obiri poterant, sed crescente fidelium, aptorumque ministrorum numero fieri potuit ac debuit sane, et, quod Ecclesia ex divina institutione habebat in uno Ordine, explicate traderet in diversis; eo fere modo, quo diversi magisaratus e. g. Prætorum, Aedilium, Censorum in urbe Roma divisi erant, in Præside autem provinciarum conjuncti. l. 12. D. de offic. Præsid. ibi: *Licet is, qui provinciæ præest, omnium Romæ magistratuum vice et officio fungi debeat.* Hinc intelligitur, divinæ institutioni non obesse, si diversis

temporibus aut locis dispar Ordinum, qui sunt infra Diaconatum, sit numerus (*i*). Sane labor regendi universum Israel, ac spiritus Moysis per LXX. viros divisus fuit. Num. XI.

(*i*) In Ecclesia Romana, quæ fidelissima veterum traditionum Custos semper erat, et habebatur a Catholicis, jam medio Seculo III. omnes et singuli habebantur minores Ordines; quos ordinate recenset S.Cornelius P. in epist. ad Fabium Antiochenum. Constant. Col. 150.

§. 399. De quavis ordinatione, per quam in ordine quodam Clericali Ordinatus constituitur, adcurate distingui oportet inter ea, quæ ad *valorem* ejusdem necessaria sunt, ut repeti ea non possit, et ea, quæ ad *licentiam ex præscripto Canonum* requiruntur. Pro valore agnoscendo spectari debent I. qualitates necessariæ subjecti, quod ordinatur, ut sit mas, non femina (*k*): ut sit baptizatus. c. 1. et 3. de presb. non baptiz. arg. c. 2. de cognat. spir. in 6. ut non sit positive invitus. c. 3. §. *item quæritur.* de baptismo. II. Ipse ritus ordinationis, seu necessaria materia et forma cujusvis Ordinis; de qua apte ad tit. de sacra Unctione agi posset. III. *Minister ordinationis*, ut ipse nempe valide sit ordinatus. E.g. qui Episcopus consecratus non est, is nec Episcopos, nec presbyteros ordinare potest (*l*). Ceterum Episcopus rite consecratus valide ordinat, etsi illicite, et contra Canones, si sit alienus, hæreticus, schismaticus, suspensus, degradatus, etiam qui renuntiavit loco et dignitati; quia in iis, quæ pendent ex materia ac forma Sacramenti, et potestate per Christum tradita, nullum impedimentum ponit defectus fidei vel probitatis, aut prohibitio Ecclesiæ. c. 1. et 2. de ordin. ab Episc. qui renunt. can. 97. I. q. 1 et can. 5. IX. q. 1. Opponi his solent quidam Canones, in quibus ordi-

nationes ab Episcopis schismaticis, aliisve factæ dicuntur irritæ. c. 1. de Schismaticis. Resp. dicuntur irritæ quoad dignitatem, et executionem Ordinum; quodque extra Ecclesiam Sacrificia et dignitates Deo gratæ non sint: ratio hujus responsi colligi potest ex S. Augustino cit. can. 97. 1. q. 1. Aliqui Canones vere irritas dicunt ordinationes factas a quibusdam Chorepiscopis, aut iis hæreticis, qui veri Episcopi non erant.

(k) Diaconissæ in veteri Ecclesia adhibita pia Ceremonia ad varia ministesia deputabantur, ut imperitis mulieribus fidei rudimenta exponerent, et ritus baptismi; easque in baptismo adjuvarent: viduarum pauperum communem cum Diaconis curam gerebant: mulieribus designabant locum in Ecclesia, visitabant feminas ægrotantes: Episcopi mandata deferebant ad feminas, ad quas Diaconi propter offendiculum Ethnicorum mitti non poterant. Scriptores medii ævi longe dispari sensu appellarunt *Subdiaconissas*, *Diaconissas*, *Presbyteras*, *Episcopas*, nempe uxores eorum, qui post contractum matrimonium, et ipsis consentientibus ordinati fuerunt in Subdiaconum, Diaconum, Presbyterum, Episcopum, interdicto in posterum matrimonii usu.

(l) Famosa est lis, an Episcopi Angliæ habeant Ordinem Episcopalem. Le quien ostendit, eos a nullo legitimo Episcopo ordinationem suam derivare.

§. 400. Ut licite et ex prescripto Canonum fiat ordinatio, præscripta *certa tempora ordinationum*. I. *Tonsura* quolibet anni die ac hora conferri potest. II. *Minores ordines* diebus Dominicis, ac quolibet die Festo duplici, etiam extra Missarum solemnia, matutino tamen tempore (*m*). III. *Sacri Ordines* semper conferri debent inter Missarum solemnia, ac certis anni temporibus, quæ sunt Sabbata in jejuniis quatuor temporum, Sabbatum ante Dominicam Passionis, et Sabbatum Sanctum (*n*). Consuetudo contraria non valet. c. 2. h. t. Ordinans vero extra tem-

pora dicitur Canonica disciplina corrigendus. c.3. et 9. in parte decisa; et ordinatus ab exercitio Ordinis suspendendus. c. 2. et ibid. imo ex Constit. Pii II. *cum ex sacrorum*, sic ordinati perpetuo sunt ipso jure suspensi. Conf. c. 16. h. t. IV. Consecratio Episcoporum fit quovis anni tempore, die tamen Dominico, vel natalitio Apostolorum, vel ex speciali indulto Pontificio alia die festa.

(*m*) Pontif. Roman. Tit. de ordinib. conf. c. 1. et 3. h. t.

(*n*) Pontif. Rom. l. c. et c. 1. et 3. ubi extra tempora conferre Ordines soli Summo Pontifici esse licitum dicitur; proinde ea facultas etiam privilegio Apostolico Ordinanti vel ordinando concesso obtineri potest. Quando Episcopus electus pluribus sacris Ordinibus est initiandus, necessitas Ecclesiæ non videtur admittere, ut exspectentur quatuor tempora.

§. 401. Ad tempora ordinationum referenda sunt interstitia inter unum, alterumque ordinem observanda. Ac I. Minores Ordines uni, die eodem plures, aut etiam omnes cum prima Tonsura conferri possunt, si Episcopo visum fuerit. Concil. Trid. Sess. XXIII. c. 11. de ref. II. Inter Ordines minores, et Subdiaconatum, item inter unum et alterum sacrum Ordinem suscipiendum regulariter intercedere debent interstitia unius anni, quæ non mathematice, sed Ecclesiastice computanda sunt e. g. a prima ordinatione quadragesimæ ad primam quadragesimæ sequentis, licet hæc citius incidat Episcopus ex justa causa dispensandi in hac generali lege facultatem obtinuit per Concilium Trid. cit. Sess. c. 11. 13. 14. de ref. Non potest tamen Episcopus ita constringere interstitia, ut uni una die conferat minores Ordines cum Subdiaconatu, aut duos Ordines majores (c. dilectus 15. h. t.), aut unum majo-

rem Ordinem die Sabbathi, alterum die Dominica continuato jejunio (*o*).

(*o*) Ita auctores passim hunc prohibitionis casum etiam hodie referunt hoc loco. Sciendum, ad Diaconorum, et Presbyterorum ordinationes in Vespera Sabbati, sive ut S. Leo inquit, post diem sabbati ejus noctis, quæ lucescit in prima Sabbati, exordia deligebantur, in quibus his, qui consecrandi erant, jejunis, et a jejunantibus sacra benedictio conferebatur. Epist. 9. S. Leonis edit. Ballerin. et can. 4. dist. 75. sed mendum cubat, in verbo: exordia *consecrandi*. Hoc præsupposito vetitum, ne mox sequenti mane Dominicæ diei novus ordo conferatur, ne duo majores ordines *uno die* conferri videantur; nam ut S. Leo l.c. inquit, quod ejusdem observantiæ erit, si mane Dominico die, continuato Sabbati jejunio celebretur, a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt. Idem sensus manifeste patet ex c. 13. h. t. At vero a Pio V. vetitæ sunt nocturnæ Missæ, etiam in Sabbato Sancto: consequenter neque ordinationes fieri possunt vespere illius diei, quod olim fiebat. His expensis non apparet, quomodo hic prohibitionis casus locum habeat nostra ætate.

§. 402. *Loci* etiam, in quo conferuntur Ordines, habenda est ratio. I. Tonsura quidem et minores Ordines in quocunque loco honesto ac decenti conferri possunt, modo sit *proprius* Ordinantis (*p*). II. de Subdiaconatu, Diaconatu et Presbyteratu certum est, quod locus, in quo conferuntur, debeat esse primo *proprius* Ordinantis; quia eorum collatio fit inter Missarum solemnia, et cum habitu Pontificali. At ex præscripto antiquorum Canonum, et Decreto Concilii Trid. Sess. VI. c. 5. de ref. nulli Episcopo licet cujusvis Privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, et sic ordinati ab executione

Ordinum sunt ipso jure suspensi. Secundo *sacer*, ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, et præscripto Pontificalis Romani. Aaron quidem et Filii ejus consecrati sunt ad ostium tabernaculi (Exod. XXIX. 4. Levit. VIII. 4), Christum exspectantes: Sacerdotes autem novi Testamenti secretiora Divinitatis adyta pervadunt, ut cælestia populum mysteria doceant, illius personam repræsentantes, qui introivit semel in sancta, æterna redemtione inventa, Hebr. IX. 12. Tertio *publicus*: secus frustra fieret examen publicum (§.389). III. de consecratione Episcoporum, quæ hodie fit ex mandato Apostolico; jubet S. Synodus Trid., ut ea, si extra curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur. Sess. XXIII. c.2. de ref. Defectus enim numeri Episcoporum ad consecrationem necessarii, aut itinerum, negotiorumque ratio aliud nonnunquam poscunt. Fieri certe debet ea consecratio in loco sacro et publico. IV. Pontifices Romani hoc ævo in Vaticano eliguntur: in Basilica vero S. Petri consecrantur, et coronantur: ad Lateranensem postea Basilicam deducti, in Solio, Thronoque Pontificio collocantur.

(*p*) Etsi ii minores Ordines non conferantur in habitu Pontificali. Barbosa de officio et potest. Episcop. P.2. alleg.6. n.15. SS.Concilium Trid. Sess. XX. c.8. de ref. ita statuit: „ Ordinationes sacrorum ordinum statutis a „ jure temporibus, ac in cathedrali Ecclesia, vocatis, „ præsentibusque, ad id Ecclesiæ Canonicis, publice „ celebrentur. Si autem in alio diæcesis loco, præsen- „ te clero loci: dignior, quantum fieri poterit, Eccle- „ sia semper adeatur. “ Quæ verba utique referuntur ad locum proprium, sacrum, publicum.

§. 403. Inter qualitates Ordinandorum in primis spectatur *ætas*, quæ pro majoribus Ordi-

nibus major et maturior desideratur. I. Tonsura clericalis *infanti* (h. e. annis minori), nisi forte religionem intraret, conferri a nullo Episcopo potest. *Qui vero contra fecerit, ut in eo, in quo peccaverit, puniatur, per unum annum a collatione clericalis Tonsuræ duntaxat noverit se suspensum.* c. 4. h. t. in 6. Ulterior determinatio ætatis *pro prima tonsura* non reperitur; quia tamen Concilium Tridentinum Sess. XXIII. c. 4. de ref. requirit, ut Tonsurandus susceperit Sacramentum Confirmationis: ut edoctus fuerit fidei Rudimenta: ut legere et scribere sciat: ut probabilis conjectura fieri possit, eum non secularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstet, hoc vitæ genus elegisse; hinc requiritur ætas, quæ pro ingeniorum varietate dictas dispositiones admittat. II. Nec *pro minoribus Ordinibus* certa ætas per Canones definitur; requiritur tamen, ut Minoribus initiandi saltem lingnam latinam intelligant, eosque scientiæ spes majoribus dignos ostendat. S. Concil. Trid. cit. Sess. c. 11. de ref. III. *Ad Subdiaconatum* requiritur annus vigesimus secundus saltem inchoatus. Trid. ib. c. 12. IV. ad *Diaconatum* annus vigesimus tertius saltem inchoatus. ib. (q) c. 14. h. t. Episcopus, qui puerum 13 annorum *inordinate in Diaconum dicitur ordinasse, in ludibrium Ordinis clericalis*, suspenditur a collatione Ordinum, et Ordinatus ab ipsius executione usque ad ætatem legitimam. V. Ad Presbyteratum requiritur annus vigesimus quintus jam inchoatus Concil. Trid. cit. c. 12 de ref. VI *Ad Episcopatum* requiritur annus trigesimus completus. conf. §. 289. n. I.

(q) Aetas ergo pro Subdiaconatu et Diaconatu præscripta per Clementinam, 3. De ætat. et qual. præf. per SS.Concilium. Trid. protensa est.

§. 404. Aliæ præter ætatem qualitates pro varietate et natura Ordinum *variæ et speciales* requiruntur. Nam irregularitas, de qua mox dicam, *generale* impedimentum est Ordinum suscipiendorum. I. De qualitatibus et dispositionibus pro prima Tonsura, et Minoribus §. præc. n. I. et II. dictum est. Hodie quidem minores Ordines fere spectantur, tanquam via et gradus, per quos ad Majores perveniendum est. Olim varia Minoristis committebantur officia, ex quibus de qualitatibus eorundem conjectura fieri potest. Sic quidam ex ordine Mnorum vocabantur ***Laborantes***, seu ***Copiatæ*** aut ***Fossarii***, qui circa pium sepulturæ et defunctorum obsequium occupabantur. Nov. 59. c. 2. et S. Epiphanius in fin. libr. contra hæref. ***Parabolani***, qui ad ægra debilium corpora curanda deputabantur l. 18. c. de Episc. et Cleric. ***Oeconomi***, ***Apocrisiarii***, ***Hermeneutæ***, ***Defensores*** pauperum et Ecclesiarum, ***Custodes*** Martyrum, ***Catechistæ***, seu ***Doctores audientium***, id est, Catechumenorum, ***Notarii*** etc.

§. 405. *Qualitates seu dispositiones pro majoribus Ordinibus* eo majores esse debent, quo graviores iisdem annexæ sunt obligationes. Nam I. Ordines majores stabilitatem inducunt in statu Ecclesiastico, ita, ut omnis interclusus sit reditus ad vitam secularem; qui tamen patet constituto in Minoribus II. Obstringunt ad perpetuam vitæ continentiam. III. Obligant ad officium divinum quotidie saltem privatim recitandum. IV. Ob ipsam stabilitatem, quam majoribus Ordinibus initiati in Ecclesiastico statu habent, necessarius est *titulus* Ecclesiæ seu beneficii, ad quem ordinati sustentari perpetuo possint; *cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quæ-*

stum exercere, S. Concilium Trid. Sess.XXI. c.2. de ref. Concilium Chalcedonense can. 6. (apud Gratian. can. 1 dist. 70) ordinationes *absolutas*, id est, vagas, ac sine titulo certæ ecclesiæ factas pronuntiavit irritas, ut sic ordinatus ad injuriam ac dedecus Ordinantis nullibi potuerit ordines exercere. Cum hæc constitutio progressu temporis negligeretur cum magna Ecclesiastici Ordinis vilipensione, Alexander III. et Innocentius III. statuerunt, ut Episcopus vel ejus Successor, siquis sine titulo ad Ordines majores fuisset promotus, tandiu ei necessaria vitæ subministret, donec in aliqua ecclesia stipendia militiæ clericalis merere possit. c. 4. et 16. de Præb. c. 13. de ætat. et qual. præf. addita tamen clausula, nisi talis de sua vel paterna hereditate possit sustentari cit.c.4. et 23. de Præb. Concilium Trid. Sess. XXI. c. 2. de ref. statuit, *nequis deinceps Clericus secularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere: id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit: et aliter facta resignatio nulla sit.*Sess.XXIII.c.16. de ref. additur: *Quodsi locum* (nempe ecclesiam vel locum pium, pro cujus necessitate vel utilitate assumitur) *inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur.* Agit dein S.Synodus de iis, qui non beneficium quidem Ecclesiasticum, sed *patrimonium* vel *pensionem* obtinent. Pensionis vices nunc subit *Titulus mensæ* de quo varia in locis variis disciplina viget. Auctores inde quadruplex *Tituli* genus inferunt; beneficii, patrimonii, pensionis vel mensæ, et paupertatis pro religiosis.

§. 406. Speciatim pro ***Subdiaconatu et Diaconatu*** requiritur, præter legitimam ætatem, interstitia, ac titulum, *ut digni sint, et quorum probata vita senectus sit: ut habeant bonum testimonium, et in minoribus jam probati, ac literis et iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi sint: qui sperent, Deo auctore, se continere posse.* Trid. Sess. XXIII. c. 12. et 13. de ref. *Pro Presbyteratu* præter dicta requiritur; ut *idonei comprobentur ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta: ut sint pietate ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, et vitæ monita ab eis possint exspectari.* Trid. ib. c. 14. de ref.

§. 407. Generatim agendum nunc est de *irregularitate*, quæ est impedimentum Canonicum directe impediens susceptionem Ecclesiasticorum Ordinum, et susceptorum usum, indirecte vero consecutionem beneficii (*r*). Ex notione patet: I. alia est irregularitas antecedens, quæ impedit, ne Ordo suscipiatur; alia superveniens, quæ usum Ordinis jam suscepti impedit. II. Qui jure divino incapaces sunt Ordinum, ceu femina, non baptizatus, huc non pertinent, quia frustra eis indiceretur irregularitas, qui jam jure divino ab Ordinibus eorumque usu semoventur. Fieri tamen potest, ut defectus in infidelitate contractus post Baptismum remaneat, et baptizatum ab Ordinibus excludat.

(*r*) Irregularitatis vox in antiquis monumentis vix occurrit ante Innocentium III. qui eo usus est c. 10. §.6. de renunt. et c.6. de bigam. non ordinand. Sed res ipsa Ecclesiæ coæva est. Nam Paulus Apostolus I. Timoth. III. et Tit.I. prima item Concilia varias pro ordinandis præscripserunt qualitates et conditiones, quibus, qui

carerent, dicebantur ordinari non posse, non ministrare Altari, non esse in numero clericorum, ab ordinibus debere removeri etc. Qui ergo extra has ordinationum regulas deprehendebantur, ob qualitatem regulis repugnantem postea *irregulares* dicti sunt.

§. 408. A susceptione, aut usu Ordinum, per Canones impediri aliquis potest defectu, vel delicto. *Irregularitas ex defectu antecedens*, aut perpetua, quæ sola dispensatione tollitur; aut temporalis, quæ cessat lapsu temporis, aliove modo; quales sunt defectus ætatis, scientiæ, liberationis in iis, qui ad ratiocinia obligati sunt. Irregularitas ex defectu *superveniens*, alia est *totalis*, quæ cujusvis Ordinis suscepti exercitio privat: alia *partialis*, quæ aliquo tantum privat usu Ordinis. Omnis irregularitas ex delicto per se videtur perpetua et totalis, nisi ex gratia aliquis usus Ordinum concedatur. Nullus autem defectus, nullum delictum irregularitatem inducit, nisi id in jure exprimatur. c. 18. de sent. excomm. in 6. Unde ea statui non potest, nisi ab iis, qui facere possunt jus commune, nempe a Summo Pontifice, Concilio generali, vel generali Ecclesiæ consuetudine, arg. Clem. 3. de ætat. et qual. præf. et arg. c. 1. de cognat. spirit. causa enim irregularitatum est cultus et reverentia in ecclesiasticos Ordines; quæ quidem causa toti Ecclesiæ communis est et uniformitatem disciplinæ poscit; non enim decet, ut qui in una diœcesi aut provincia irregularis est, in alia ad Ordines admittatur.

§. 409. Vis et effectus irregularitatis est I. non, ut irritam faciat collationem, aut susceptionem Ordinum (c. 10. §. 6. de renunt.), sed graviter illicitam, etiam quoad primam Tonsuram, qua quis ad ulteriores Ordines præparatur; inane

autem est, præparari eum, quem sacri Canones ab Ordinibus arcent. Irregularis contra Canones ordinatus exercere Ordines non potest, et si id ausus fuerit, gravibus pœnis coercendus est. c. 1. et passim. de Cleric. excom. ministr. Excipitur Baptismus et Absolutio pro casu necessitatis arg. c. 7. Sess. 14. Concil. Trid. II. Irregularitas *totalis* ex defectu, et *quævis ex delicto* impedit electionem ad beneficium, aut collationem sine prævia dispensatione. c. 6. de corp. vitiatis. et c. 13. de sent. excom. in 6. (conf. §. 255 et 292). III. Superveniens *partialis ex defectu* non impedit consecutionem ejus beneficii, quod usum defectui repugnantem non requirit. IV. Beneficio jam possesso ob supervenientem irregularitatem ex defectu spoliari aliquis non debet. toto tit. de Clerico ægrot. X. et in 6. irregularis vero ex delicto, etsi in ejus pœnam beneficio jam possesso privari debeat, non tamen videtur illud perdere ipso jure. Alii effectus irregularitatis non exprimuntur in jure, nisi quod bigami omni privilegio clericali priventur. c. un. de bigam. in 6.

§. 410. Ad generalem de irregularitate doctrinam pertinet, indicare, quomodo ea tollatur. Ac I. *temporalis ex defectu* cessat cessante defectu §. 408. II. Quævis alia, cum natura sua perpetua sit, non tollitur, nisi *dispensatione*, vel relaxatione legis generalis, quæ irregulares ab Ordinibus, eorumve usu excludit. Hinc opus est dispensatione Summi Pontificis (c. 15. h. t. conf. §. 189. seq.) nisi Episcopi facultas in quibusdam casibus dispensandi per Canones concedatur. III. Conceditur autem *Episcopi in irregularitatibus omnibus*, *et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus*, *excepta ea*, *quæ oritur ex homicidio voluntario*, *et exceptis aliis deductis ad fo-*

rum contentiosum, *dispensare* (*s*). Potest insuper Episcopus cum subdito illegitime nato dispensare ad Ordines minores, et beneficium simplex tantum c. 1 de filiis Presb. in 6. item dispensare potest in bigamia similitudinaria, et post longam pœnitentiam, vitamque laudabilem continentes officio suo restituere: c. 4. de Clericis conj. c. 1. qui Clerici vel vov. Circa eos vero, qui laborant vitio corporis, ad Ordinarium pertinet declarare, an tale sit, quod irregularitatem inducat. c. 2. de corpore vitiat. IV. Per *Professionem religiosam* tollitur irregularitas ex defectu natalium, quoad suscipiendos Ordines tantum, non vero quoad obtinendas prælaturas. c. 1. et c. fin. de filiis presbyt. Habent tamen plerique ordines religiosi privilegia, vi quorum cum suis subditis dispensent, etiam in aliis irregularitatibus. Pelizar. Manual. Reg. tr. 9. c. 3. Sect. 4. a. n. 122.

(*s*) Trid. Sess. XXIV. c. 6. de ref. Episcopi nomine intelligi possunt omnes, qui jurisdictionem ordinariam in subditos exercent, etiam Capitulum Cathedrale Sede vacante. Hæc de irregularitate generatim præmittenda erant hoc titulo, in quo de qualitatibus ordinandorum agitur. In specie de irregularitatibus ex defectu agitur a Tit. 17. usque ad Tit. 23. hujus libri, quibus addendus est præcedens Titulus 13. Irregularitates vero ex delicto ad L. V. Decretalium rejiciuntur, ubi de jure criminali Ecclesiastico tractari debet.

TITULUS XII.

DE SCRUTINIO IN ORDINE FACIENDO.

ARGUMENTUM.

I. Triplex Scrutinium ante Ordinationem §. 411. *II. Edictum Episcopi contra indignos vel prohibitos* §. 414. *III. Occultus defectus an manifestari debeat.* §. 415.

§. 411. *Si ad honores mundi*, inquit S. Leo,

sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est pervenire, et notari ambitus solent quos probitatis documenta non adjuvant; quam diligens et quam prudens habenda est dispensatio divinorum munerum et cælestium dignitatum? can. 5. in fin. dist. 61. Hinc triplex scrutinium, seu inquisitio in Ordinandos occurrit in jure sacro. I. Ad minores Ordines promovendi bonum a Parocho, vel a Magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos Majores erunt sasumendi, per mensem ante Ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui maigs expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat; et literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quam primum transmittat. Concil. Trid. Sess. XXIII. c. 5. de ref.

§. 412. II. Scrutinium proximis ante Ordinationem diebus instituit ipse Episcopus, vel ejus Vicarius generalis, adscitis etiam aliis viris peritis, et investigat Ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, et fidem. Concil. Trid. ib. c. 7. de ref. can. 5. dist. 24.

§. 413. III. Scrutinium fit in ipso Ordinationis actu circa eos, qui in Diaconos et Presbyteros Ordinantur (§. 389 et 393). Quæritur, utrum Archidiaconus vel Assistens Episcopi in Ordinatione, interrogatus, an sciat, ordinandum esse dignum, affirmare possit, esse dignum, si ejusdem conversationem et qualitates exploratas non habet: respondit Pontifex c. un. h. t. posse affirmare, dum-

modo *contra conscentiam* non loquatur; *quia non simpliciter illum asserit esse dignum; sed in quantum humana fragilitas nosse sinit: cum illum, quem indignum esse non novit, dignum debeat æstimare.* Colliges: contra conscentiam, quocunque tempore indignitatem cognosceret, pro digno pronuntiare nunquam posse. Si notitiam de indignitate ante hunc actum acquireret, de ea Episcopum ante admonere debet.

§. 414. Hodie Episcopus ante Ordinationis actum præsentibus omnibus Ordinandis per unum ex suis ita edicit ex Pontificali Romano. *Reverendissimus in Christo Pater et Dominus N. Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N. sub excommunicationis pœna præcipit, et mandat omnibus et singulis, pro suscipiendis Ordinibus hic præsentibus, nequis forsan eorum irregularis, aut alias a jure vel ab homine excommunicatus, interdictus, suspensus, spurius, infamis, aut alias a jure prohibitus sive ex aliena diœcesi oriundus sine licentia sui Episcopi, aut non descriptus, examinatus, approbatus, et nominatus, ullo pacto audeat ad suscipiendos Ordines accedere, et quod nullus ex ordinatis discedat, nisi Missa finita, et benedictione Pontificis accepta.* Edictum hoc afficit 1. irregulares quacunque ex causa; et præsertim spurios et infames, qui in eorum numero sunt. 2. Censura irretitos. 3 A jure alias prohibitos, e. g. ne religiosus ad Ordines accedet invito Prælato c. 5. de temporibus ord. nequis per saltum, omisso aliquo Ordine inferiore, Ordinem superiorem suscipiat. c. un. de Clerico per saltum promoto: nequis uno die duos Ordines majores, aut cum Minoribus Subdiaconatum recipiat. c. 2. et 3. de eo, qui furtive ord. suscep. 4. *Alienos* diœcesanos sine dimissoriis. 5. Non examinatos, et approbatos et

in catalogo Ordinandorum descriptos. Ab examine excusantur, quorum qualitates Episcopus aliunde perspectas habet, aut qui a suo Episcopo jam examinati cum dimissoriis adveniunt, aut qui speciale a Summis Pontificibus privilegium obtinuerunt. Siquis istorum, non obstante comminatione anathematis tamen Ordines recipit, incurrit excommunicationem, et sine dispensatione Papæ neque in susceptis Ordinibus ministrare, neque ad altiores promoveri poterit. tot. tit. de eo, qui furtive. Deprehenso autem postea defectu deponi jubetur. c. 55. dist. 50.

§. 415. Quærunt, utrum aliquis manifestare teneatur occultum defectum juris Ecclesiastici, quem patitur? ℞. 1. Si est defectus vel delictum, ob quod irregularis fit, aut a jure ad Ordines suscipiendos accedere prohibetur, manifestare id debet, aut non petere Ordines. Patet tum ex edicto §. præc. tum ex gravitate pœnæ; item can. 4. et 5. dist. 81. conf. §. 294. (*a*). Enim vero nemo in Ecclesiasticum Ordinem furtive et per dissimulationem intrudere se potest, cum Ecclesia ipsum vult exclusum. 2. Quia autem non quodvis delictum grave, si occultum est, neque cum infamia juris aut facti conjunctum, ab Ordinibus excludit, hinc c. 4. de temp. Ord. deciditur, criminosum occultum moneri posse, ne petat Ordines, sed prohiberi non debere; et c. 17. eod. de occulto criminoso (excepto tamen homicida, qui irregularis est), post pœnitentiam in susceptis Ordinibus ministrare sinitur, et ad superiores ascendere: ante pænitentiam autem monetur, ut etiam in susceptis non ministret.

(*a*) Conf. Holzmann Jur. Can. Practic. I. I. cas. XXVI. quæ S. Concilio Trid. Sess. VII. c. 13. de ref. et Sess. XXIV. c. 18. de ref. de examine præscribuntur, non ad ordinandos, sed beneficiis præficiendos spectant.

TITULUS XIII.

DE ORDINATIS AB EPISCOPO, QUI RENUNTIAVIT EPISCOPATUI.

ARGUMENTUM.

I. Agitur universe de Ministro Ordinationis, ut ea valida sit, atque etiam licita. §. 416. *II. Alius est Ordinarius, alius extraordinarius.* §. 418. *Quis proprius? ib. III. Jus dandi dimissorias* §. 420. *IV. Regulares a quo ordinari dabeant?* §. 421. *Minister Ordinum extraordinarius* §. 423.

§. 416. Aptus hic est locus congerendi ea, quæ ad Ministrum Ordinationis pertinent, ut ea valida, et licita seu Canonica censeri possit. Nam in antiquis exemplaribus multis titulus inscribitur: *De ordinatis ab Episcopo. qui renuntiavit Episcopatui, vel excommunicato.* Plures ergo de Ministro ordinante casus huc pertinent. I. *Valide* ordinat aut consecrat quivis Episcopus rite consecratus, si subjecto, quod jure divino capax est, adhibeat, ut oportet, ea, quæ ad Sacramenti substantiam pertinent. §. 399. II. Irregularitatem contrahunt ordinati ab Episcopo hæretico, schismatico, deposito, degradato, excommunicato (c. 2. h. t.) interdicto, suspenso (saltem si hi censurati sint vitandi, et non tolerati); item ordinati simoniace, vel ab Episcopo, quem norunt simoniacum. Tales enim ordinantes legitimam executionem potestatis Episcopalis non habent; proinde etiam legitimum Ordinis exercitium conferre non possunt.

§. 417. III. *De Ordinatis Ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui*, sciendum, id duplici modo

contingere posse. Primo, siquis Episcopus renuntiavit loco tantum, ut subditos, et jurisdictionem in eos amittat, retento honore et dignitate Episcopali; talis, ab alio Episcopo rogatus, in ejus diœcesi recte exercet ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis: at si loco et dignitati simul renuntiavit, Ordines majores etiam cum licentia Ordinarii conferre non potest; et *si ab eodem sacros Ordines scienter quis receperit, quia indignum se fecit, executionem officii non habebit: ubi autem non scienter, poterit (nisi crassa et supina fuerit ignorantia) discretus Pontifex dispensare* (c. 1. h. t.) Prima Tonsura et minores Ordines a tali etiam Episcopo (consentiente Ordinario) recipi possunt. ib. *quia et hujusmodi Ordines a non Episcopis quandocunque conferuntur.*

§. 418. IV. His sepositis singularibus casibus, fit distinctio inter *Ministrum Ordinaruim*, qui Ordines confert vi status et officii sui sine commissione Apostolicæ Sedis; qua eget *Extraordinarius*. Ordinarius Minister est Episcopus catholicus, in communione Sedis Apostolicæ constitutus, et respectu Ordinandi proprius. Proprius autem est I. ratione *Originis*; scilicet Episcopus loci, ubi parentes Ordinandorum tempore nativitatis eorum habuerunt domicilium. II. Ratione *Domicilii*. §. 148. III. Ratione *Beneficii*, nempe Episcopus Ecclesiæ, in qua, prima saltem Tonsura ab Episcopo Originis vel Domicilii insignito, confertur beneficium; quod tale esse debet, ut ad congruam vitæ sustentationem detractis oneribus per se sufficiat (*a*). IV. ratione *familiaritatis*. Episcopus ille, quocum aliquis per triennium fuit commoratus, et a quo statim reipsa beneficium

est obtenturus. Trid. Sess. XXIII. c. 9. de ref. et c. 3. de temp. ordinat. in 6.

(*a*) Super his causis, ex quibus proprius ordinandorum fit Episcopus, Innocentius XII. an.1694. ob multas Archiepiscoporum et Episcoporum ad se delatas querelas constitutionem n. LIV. edidit, quæ incipit. *Speculatores domus Israel.* In ea n. 9. et 10. declarat, 1. quis Episcopus originis censeri debeat. 2. Nulli Episcopo licet externum, id est, ratione originis vel domicilii non subditum, prima Tonsura insignire prætextu beneficii mox conferendi. n. 6. Prima autem Tonsura, aut Minoribus ab Episcopo originis vel domicilii jam insignitum alius Episcopus prætextu beneficii ad ulteriores Ordines promovere non potest, nisi ante eorundem collationem testimoniales literas proprii Episcopi tam originis, quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus et vita acceperit. n. 7, — 3. Agit de subdito ratione domicilii ad effectum Ordinum. n. 11. et 12. Denique 4. de familiaritatis ratione n. 13. Additur sanctio pœnalis. n. 15. ut mox dicam.

§. 419. Ordinans alienum diœcesanum, vel contra formam ab Innocentio XII. (nota præc.) præscriptam a collatione Ordinum suspenditur per annum: ordinatus vero a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur, suspensus est. Concil. Trid. Sess. XXIII. c. 8. de ref. et c. 2. de temporib. ordinat. in 6. et ibi glossa v. *statuerunt*. Qui sine sui Superioris licentia homini diœcesi alienæ clericalem Tonsuram confert, per unum annum a collatione ejusdem tonsuræ suspensus est. c. fin. de temp. ord. in 6. De Episcopis Titularibus in partibus infidelium commorantibus, ne alienos diœcesanos ordinent, cavit S. Conc. Trid. Sess. XIV. c. 2. de ref. At enim, si Episcopus ex dicta pœna per annum suspensus est a collatione Ordinum, quid facient Clerici ejus diœceseos, qui intra eum annum promoveri volunt? Resp. cit. c. 2 de temp.

ord. in 6. Gregorius X. in Concilio Lugdunensi Clericis istorum Episcoporum, postquam *eorum suspensio fuerit manifesta, absque ipsorum etiam licentia, interim recipiendi Ordines ab aliis vicinis Episcopis, alias tamen canonice, liberam dat facultatem.*

§. 420. Uti Episcopo proprio competit facultas ordinandi subditos: ita eidem vi jurisdictionis, etsi consecratus non sit, modo administrare possit, aut sit confirmatus, nec excommunicatus, competit jus dandi *dimissorias*, seu licentiam scripto exaratam adeundi alienum Episcopum catholicum et in communione Sedis Apostolicæ constitutum pro recipiendis ordinibus. De hoc jure dandi dimissorias decidunt SS. Canones: I. Episcopus græcus non potest suo subdito dare dimissorias ad Episcopum latinum, neque latinus ad græcum. c. 9. et 11. de temp. ord. ibi: *Nolumus de cetero commixtiones, et consuetudines rituum in Ordinibus observari.* II. Episcopus ultramontanus non potest dimissorias dare ad Episcopum Italiæ, nisi per patentes literas, continentes justam causam, quare nolit, aut non possit subditum suum ordinare, aut de speciali licentia Papæ. c. 1. eod. in 6. III. Ad alios Epiocopus sic dat dimissorias Episcopus proprius, ut dimissorum probitatem, ac mortes testimonio suo commendet. Concil. Trid Sess. XXIII. c. 8. de ref. IV. Ad officium Vicarii generalis, aut Officialis dare dimissorias non pertinet. c. 3. de temp. ord. in 6. V. Capitulum Sede vacante infra annum a die vacationis dimissorias dare non potest, nisi arctatis ratione *beneficii recepti, aut recipiendi. Si secus fiat, Capitulum contraveniens Ecclesiastico subjaceat interdicto: et sic ordinati, si in minoribus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus gaudeant; in*

majoribus vero, *ab executione ordinum*, *usque ad beneplacitum futuri Prælati*, *sint ipso jure suspensi*. Concil. Trid. Sess. VII. c. 10. de ref. Similem pœnam incurrunt ii, qui in jurisdictione Episcopi, loco Capituli succedunt. Ib. Sess. XXIII.. c. 10 de ref.

§. 421. De ordinationibus Regularium, a quo Episcopo fieri debeant, declaravit Benedictus XIV. T. 2. Bullar. in const. 27. *Impositi nobis*; ac I. Regulares ordinari debent ab Episcopo, in cujus diœcesi est conventus, in quo ordinandi Regulares habitant. Ad hunc Diœcesanum tantum Superiores Regularium dare possunt dimissorias; quia Religiosus contra prohibitionem Prælati ordinari non debet. c. 5. de temp. ord. II. Episcopus, in cujus diæcesi est conventus, ab his ordinandis exigere non potest dimissorias Episcopi orignis ipsorum. III. Potest idem Episcopus, in cujus diœcesi est conventus regularium, iis dare dimissorias ad alium Episcopum pro ordinationibus; sed has dare non potest Superior Regularium, ut dictum; nisi IV. pro casu, quo Episcopus, in cujus diœcesi est conventus, abesset a diœcesi, aut nullas ordinationes habiturus esset (modo hic casus non studio fuerit exspectatus a Regularibus, et per fraudem); sed has dimissorias ad alium Episcopum ita dat Superior Regularium, ut habeat attestatum Vicarii generalis, Episcopum ordinarium abesse a diœcesi, aut ordinationem non habiturum. V. Regulares autem nec in minore ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis, uti statutum fuit a Concil. Trid. Sess. XXIII. c. 12. de ref. VI. Regulares, qui directe, non per communicationem, et quidem *post* Concilium Tridentinum, privilegium obtinuerunt, Ordines recipiendi a quocunque catholico Antistite, id sal-

vum retinent; sed eo uti debent cum causa, nec pridie ejus diei, quo ab Ordinario habendæ sunt ordinationes, alio migrent. De pœnis, in quas Regulares contra hanc constitutionem peccantes incidunt, videatur eadem constitutio.

§. 422. Ex his intelligitur, fieri posse; ac frequenter contingere, ut ordinatus unum Ordinem ab uno, alium ab alio acquirat Episcopo; modo ratione quadam sit proprius, et a priore Ordinatore, vel ab Ordinario habeantur literæ testimoniales. Qui vero Ordinem quemdam suscepit a Summo Pontifice, non deberet sine hujus licentia ulterius ordinari ab alio Episcopo. c. 12. de temp. ord.

§. 423. *Extraordinarius* minister quorundam Ordinum, nempe Tonsuræ et quatuor Minorum ex concessione Summi Pontificis esse potest Presbyter. Sic Cardinales Presbyteri in Ecclesia sui tituli eos Ordines conferunt; dein Abbates Sacerdotes, et benedicti, mitræ, annuli, et baculi pastoralis usum habentes, sed suis tantummodo subditis regularibus (*b*).

(*b*) Concil. Trid. Sess. XXIII. c. 10. can. 1. dist. 69. c. 11. de ætat. et qual. prœf. c. 3. de Privileg. in 6. Posse Presbytero concedi privilegium conferendi Subdiaconatum, tenent multi; nec defuerunt, qui id etiam ad Diaconatum extenderent. Conf. Zech. de Hierarchia Eccl. Tit. VI. §. 76.

TITULUS XIV.

DE ÆTATE ET QUALITATE ET ORDINE PRÆFICIENDORUM

ARGUMENTUM.

I. Qualitatum ad beneficia ac dignitates non par est ratio, ac ad ordines. §. 424. *II. AEtas requisita ad beneficia et dignitates*§.425 *III. Ordo requisitus.* §. 432. *IV. Aliæ qualitates.* §. 433. *V. De obligatione eligendi digniores.* §. 434.

§. 424. Quia dignitatum et beneficiorum collatio a collatione Ordinum, distincta est hac ætate, generalis doctrina hic traditur de qualitatibus eorum, qui dignitatibus, vel beneficiis Ecclesiasticis præficiuntur. Ex præscripto hujus tituli tria spectantur in Præficiendis, I. ætas II. Ordo III. aliæ qualitates, ceu morum, doctrinæ etc.

§. 425. De ætate præficiendorum generalis videtur regula constitui a Concilio Trid. Sess. XXIII. c. 6. de ref. *Nullus prima Tonsura initiatus aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere.* Nota 1. Proprietati verborum hujus canonis satisfit, si annus 14 sit inchoatus. 2. Si ex singulari et expressa fundatorum voluntate (quæ ab Ecclesia censetur approbata) ante annum 14. beneficium concedatur, id speciale est, et derogat generali. 3. Ex hac lege inferri non potest, potest annum 14. quævis beneficia protinus obtineri posse; sunt enim, quæ provectiorem ætatem poscunt.

§. 426. Altera generalis de ætate regula hæc est: Si dignitati, personatui, officio aut beneficio annexi sunt certi Ordines e. g. Diaconatus, presbyteratus etc. tum ei dignitati etc. præfici non

potest, nisi ejus sit ætatis, ut infra annum promoveri possit ad hosce Ordines requisitos. Exemplum præbet. c. 1. h. t. Hæc autem ætas adesse jam debet tempore electionis; præsentationis, impetrationis, arg. c. 14. de elect. in 6. (*a*).

(*a*) S. Concil. Trid. Sess. XXIV. c.12. de ref. præscribit: ,, Ut in omnibus Ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant Ordinem Presbyterii, Diaconatus, vel Subdiaconatus; Episcopus autem eum consilio Capituli designet ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque ordo ex sacris annexus esse debeat. " Si ista lex in Germania observaretur, nemo talem canonicatum obtinere posset, nisi haberet ætatem subdiaconatus parem.

§. 427. Ad dignitates vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, et XXII. annis non minores adsciscantur. Ita statuit S. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 12. de ref. Patet autem ex vi verborum, viginti duos debere esse completos. At c. 1. h. t. in 6. permittitur, ut *Episcopi cum iis, qui XX. annum compleverint, quod dignitates vel personatus, quibus animarum cura non imminet, valeant obtinere, possint, si aliud non obstat canonicum, libere dispensare*; cum odiosa sit correctio jurium, dici non potest, hoc jus a Tridentino correctum, aut sublatum fuisse.

§. 428. Ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, vel ad parœciales Ecclesias, aut earum vicarias perpetuas nemo promoveatur, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit. Trid. Sess. XXIV. c. 12. de ref. c. 14. de elect. in 6. Clem. un. de offic. Vicarii. c. 7. §. *inferiora*. de elect. Huc etiam pertinent Abbatiæ et Prioratus conventuales; ceteri Prioratus, etsi curam habeant animarum, exigunt saltem annum 20. completum. Clem. 1. §. 7. de statu Monach. c. 10 h. t. ex dispensatione Abbas esse

potest etiam irregularis, et in Minoribus constitutus; si nempe aptus dignoscitur monasterio reformando. Sufficit, ut ex tenore verborum patet, annum 25. esse inchoatum.

§. 429. Nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam annum trigesimum ætatis exegerit. c. 7. de Elect. quod denotat, annos 30. completos. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 1. de ref. Quæ de qualitatibus Episcoporum statuta sunt, ibidem extenduntur ad Cardinales, etiamsi Diaconi sint. Sed ex const. 50. Sixti V. *Postquam verus*, ad Cardinalatum sufficit ætas Presbyterio vel Diaconatui intra annum suscipiendo congrua.

§. 430. Si ex dispensatione constituto in Minoribus conceditur Ecclesia, dignitas, beneficium; administratio non ad patrem vi patriæ potestatis, vel ad tutores, sed ad Clericos secundum præscriptum Canonum pertinet. c. 2. h. t. et c. fin. de judiciis in 6.

§. 431. Si candidato bennficii vel dignitatis lis de ætate movetur, antequam id obtinuerit, ipse probare debet ætatem legitimam; quia in ea fundat intentionem. l. cum te minorem. 9. C. de probat. At si lis post obtentum jam beneficium oritur, adversario neganti legitimam ætatem incumbit onus probandi; quia provisus tunc habet intentionem fundatam in ætate.

§. 432. *De Ordine* ad beneficia et dignitates necessario, decidit jus sacrum; I. aliquis ordo, saltem prima Tonsura, ad validam collationem vel receptionem omnino est necessarius §. 383. II. Ordo, quem jus et natura beneficii, aut consuetudo requirit, saltem recipiendus est intra annum. c. 14. de Elect. in 6. Si intra annum ab obtenta pacifica possessione Ordo requisitus absque justo impedimento non suscipitur, privatio

beneficii parochialis aut vicariæ perpetuæ incurritur ipso jure: aliorum autem beneficiorum etiam curatorum saltem per sententiam judicis. c. 1. h. t. c. 14. et 35. de Elect. in 6. III. Ut Canonici gaudeant suffragio in Capitulo, requiritur Subdiaconatus. Clem. 2. h. t. IV. Pro Ecclesiæ utilitate aut necessitate Clerici cogi possunt, ut ascendant ad majores Ordines c. 6. h. t. V. Ad Episcopatum aliquis Ordo sacer, saltem Subdiaconatus, ante 6. menses susceptus prærequiritur. c. 9. h. t. Trid. Sess. XXII. c. 2. de ref.

§. 433. Aliæ qualitates ad beneficium rite obtinendum sunt, I. ut, qui est in Minoribus constitutus, habeat intentionem status Ecclesiastici perpetuo retinendi, nisi scilicet aliqua justa causa inciderit (*b*). II. Qui ad sacros Ordines admissus, ac proin idoneus judicatus est, regulariter censetur idoneus ad recipiendum beneficium Ecclesiasticum, nisi se reddiderit indignum. c. 13. h. t. Ad beneficia tamen curata, vel dignitates obtinendas novo opus est examine. Trid. Sess. VII. c. 13. de ref. et Sess. XXIV. c 18. de ref. III. Et ad talia beneficia probitas morum et scientia requiritur longe major, quam ad simplicia. c. 4. 14. 15. h. t. IV. Concilium Trid. pro quibusdam dignitatibus, et officiis requirit gradum doctoratus, aut licentiatus ex Theologia, vel Jure Canonico; aut saltem publicum alicujus Academiæ testimonium de idoneitate ad alios docendos, nempe in Episcopis, Sess. XXII. c. 2., de ref. in Canonico Scholastico, Sess. XXIII. c. 18. de ref., in Pœnitentiario, Sess. XXIV. c. 8. de ref., in Vicario Capituli Sede vacante, ib. c. 16., in Archidiacono, ib. c. 12. Hortatur eadem Synodus, ut saltem dimidia pars Canonicatuum in cathedralibus Ecclesiis, et Collegiatis

insignibus conferatur tantum Magistris vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia vel Jure Canonico, ib. c. 12.V. Aliæ qualitates nonnunquam requiruntur ex fundatione, consuetudine aut legitimo statuto, ceu ne ad beneficia aut dignitates assumantur, nisi ex certa familia, si idonei præsto sunt, aut illustri sanguine procreati (conf. §. 135. n. V)

(*l*) Arg. c.4. et 11. de ref. Sess.XXIII. Concil. Trid. Conf. Lessius de J. et J. l.2. c.34. dub.26.

§. 434. Propria hujus loci est quæstio de obligatione promovendi *digniores* ad beneficia Ecclesiastica. Notandum I. *dignus* sæpe vocatur, quisquis nullo afficitur impedimento canonico, quo minus promoveri queat, sive id ex jure communi, sive speciali et proprio quarundam Ecclesiarum proveniat. II. Dignitas spectari potest *relate ad subjectum* qualitatibus instructum ad promotionem necessariis, quodque ob præcedentia merita, vel præcellentes dotes aliis videtur præferendum: aut *relate ad dignitatem vel Ecclesiam*, ad quam aliquis promovendus est: et hoc quidem respectu pro ratione temporum, locorum, præsentium necessitatum Ecclesiæ aliæ atque aliæ dotes unum alio digniorem efficere possunt. Fit enim aliquando, ut aliis præferri debeat industrius œconomus patrimonii Christi: aliquando is, qui doctrina et zelo pollet coercendi adversarios Ecclesiæ et hostes fidei; aliquando vero ille, quem ob eminentiam natalium, et fœdera cum agnatis revereatur vicina potentia. Sic autem præsens Ecclesiæ necessitas vel utilitas, ac dotes subjecti ei respondentes spectari debent, ut tamen aliæ dotes universo muneri necessariæ non penitus negligantur. Doctores antiquiores obligationem præferendi digniores sæpe ex eo derivant, quod alias

cesset æmulatio charismatum meliorum, majoris scientiæ, zeli, probitatis. Sed hoc refertur ad justitiam *distributivam*, et qualitates subjecti, non ad necessitatem atque utilitatem Ecclesiæ, cujus bono ex justitia, ut ajunt, *commutativa*, sive jure perfecto et rigoroso providendum est. III. Utraque justitia in distributione etiam beneficiorum et honorum Ecclesiasticorum lædi potest; modo *in* iis distinguatur tum id, quod est oneris atque obligationis, tum id, quod est honoris, commodi vel instar præmii et remunerationis. IV. *Acceptio personarum* fieri dicitur, si, cum unus præferendus est alteri, spectatur qualitas ad causam non pertinens; e.g. si judex litem adjudicat Titio, quia dives, amicus, præpotens est (*c*).

(*c*) S. Thomas 2. 2. q. 63. a. 2. de acceptione personarum ita disserit: „ Personarum acceptio est, cum „ aliquid personæ attribuitur præter proportionem dignitatis ipsius. Considerare oportet, quod dignitas „ alicujus personæ potest attendi dupliciter: uno modo „ simpliciter, et secundum se; et sic majoris dignitatis „ est, qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis: „ alio modo per comparationem ad bonum commune. „ Contingit quandoque, quod ille, qui est minus sanctus, et minus sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam vel industriam secularem, vel propter aliquid hujusmodi. Et quia dispensationes spiritualium principalius ordinantur ad „ utilitatem communem, secundum illud I. Cor. XII. 7. „ unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem; „ ideoque quandoque absque acceptione personarum in „ dispensatione spiritualium illi, qui sunt simpliciter „ minus boni, melioribus præferuntur; sicut etiam et „ Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus „ bonis. — Quantum ad hoc, quod electio impugnari „ non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum; „ nec oportet eligere meliorem; quia sic omnis electio „ posset habere calumniam (Conf. §. 295. n. V.). Sed „ quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem vel simpliciter, vel in comparatione

„ ad bonum commune, quia si potest aliquis haberi „ magis idoneus ad aliquam dignitatem, et alius præ-„ fertur; oportet, quod hoc sit propter aliquam cau-„ sam; quæ quidem si pertineat ad negotium, quan-„ tum ad hoc, erit ille, qui eligitur, magis idoneus: „ si vero non pertineat ad negotium id, quod consi-„ deratur, ut causa, erit manifeste acceptio personæ.“

§. 435. Prop. *Ad Ecclesias cathedrales promovendi sunt digniores, et Ecclesiæ magis utiles; eaque est obligatio gravis, et juris naturalis* Prob. S. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 1. de ref. agens de illa promotione docet, omnes et singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque jus habent, aut operam præstant, tanquam *alienis peccatis communicantes graviter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Et ibid. *Eadem sancta Synodus tot gravissimis Ecclesiæ incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quam ut Beatissimus Romanus Pontifex — lectissimos tantum sibi Cardinales adsciscat, et bonos maxime atque idoneos pastores singulis Ecclesiis præficiat, idque eo magis, quod ovium Christi sanguinem, quæ ex malo negligentium, et sui officii immemorum pastorum regimine peribunt, Dominus noster Jesus Christus de manibus ejus sit requisiturus.* Ex his per se argumentum se offert: Qui digniorem et Ecclesiæ magis utilem non eligunt, communicant peccatis alienis, quæ ob præteritum digniorem perpetrantur, et sunt causa moralis, ut oves Christi ex negligentium, et sui officii immemorum pastorum regimine pereant. Atqui isthuc evitandi obligatio est gravis, et juris naturalis. Ratio fundatur in gravitate numeris Episcopalis, quod ab eodem Concilio Sess. VI. c. 1. de ref. ap-

pellatur *onus angelicis humeris formidandum*; ubi ait : *Integritas præsidentium salus est subditorum.* Difficultati velut intrinsecæ numeris Episcopalis accedit diuturnum schisma, et commixtio catholicorum cum acatholicis, istorum pertinacia, astutia, violentia, odium acerbum laicorum adversus Clericos, præcipue regulares, conflictus potestatis sacræ et profanæ, imminutio libertatis Ecclesiasticæ, temeritas et impudentia scriptorum, publica scandala etc.

§. 436. Objiciunt I. S. Concilium eadem Sess. XXIV. c. 1. de ref. utitur positivo *bonos*, non comparativo; omnes enim, qui ad promotionem concurrunt, hortatur et monet, *ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores, et Ecclesiæ gubernandæ idoneos promovere studeant.* ℞. 1. Synodus statim subjungit verba supra cit. de dignioribus et Ecclesiæ magis utilibus, qui non in se, sed relate ad judicium promoventis soli simpliciter digni censeri possunt, spectata gravitate et difficultate muneris pastoralis. 2. Ab Innocentio XI. damnata est hæc propositio n. 47.: *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos dignores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent: Concilium vel primo videtur per hoc* digniores *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumto comparativo pro positivo, aut secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

§. 437. Objiciunt II. Qui simpliciter dignum promovet, purgare se potest, dicendo, se promovisse eum, qui et poterat et debebat recte

Ecclesiam regere; ac sibi defectus regiminis imputari non posse. ℞. n. Qui promovent, vel quoquo modo concurrunt ad promotionem, ipsi negligentiæ pastorum præcavere debent, quantum possunt; secus participes fiunt peccatorum, quæ ex negligentia eorum, quos promovent, committuntur; et ab ipsis Christus requiret oves, quæ ex regimine negligentium pastorum intereunt.

§. 438. Quæ de obligatione promovendi digniores ad Ecclesias cathedrales dicta sunt, non videntur ex pari ratione continuo applicari posse ad dignitates vel beneficia inferiora; facilius enim occurritur negligentiæ et defectibus inferiorum, quam primorum in diœcesibus pastorum; nihilominus certæ videntur decisiones sequentes: I. Ad beneficia et dignitates *electivas* promovendus est dignior, et Ecclesiæ magis utilis; nam electio intrinsece et ex natura sua eo ordinatur, ut, qui jus eligendi habent, circumspectis omnibus non suæ, sed Ecclesiæ utilitati meliore, quo fieri potest, modo consulant. II. Ad beneficia per *concursum* conferenda promovendus est dignior. Id ex natura ac fine concursus et publicæ veluti concertationis patet; et a S. Concilio Trid. Sess. XXIV. c. 18. de ref. decisum est. Ibi: *Ex hisque Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit; atque illi, et non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.* III. Beneficia patronata *Juris Ecclesiastici* conferenda sunt dignioribus. Sic aperte decisum est a S. Concilio Trident. l. c. quia Patrono Ecclesiastico jus præsentandi non competit per modum privilegii in privatum patroni favorem concessi. IV. De Patrono laico agens Synodus eodem loco silet de obligatione præsentandi digniorem; ait enim: *Quodsi jus patronatus laicorum fuerit, debeat, qui*

a patronis præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, et non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti. Et can. monasterium 33. XVI. q. 7. dicitur: *Monasterium vel oratorium canonice constructum a domino constructoris eo invito non auferatur, liceatque illi, presbytero, cui voluerit pro sacro officio illius diœcesis, cum consensu Episcopi, ne malus existant, commendare.*

§. 439. Princeps Ecclesiasticus beneficia, et dignitates, quæ ad liberam collationem suam pertinent, ob indebitam et impertinentem causam conferre non potest minus digno, omisso digniore, quia non Dominus est, sed dispensator bonorum Ecclesiæ (*d*). Idem tamen aliquando præter solam utilitatem Ecclesiæ, etiam præcedentia merita, vel præsentem necessitatem Clericorum videtur spectare posse. Nam I. Cor. V. 17. dicitur: *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* Vi rescripti gratiæ in causa beneficiali, de impetrante id tantum quæritur, utrum simpliciter dignus sit ejusque preces veritate nitantur, citra comparationem ullam digni cum dignore alio candidato. C. Secundum Apostolum. 16. de præb. conceditur Episcopo, ut eum, qui sine titulo ordinatus est, juvare possit per beneficium competens, ne illum ex propriis reditibus alere teneatur; nec inquirere jubetur, utrum non dignior adsit alius.

(d) S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 2. ad 1. ait: „ Circa „ consanguineos Prælati distinguendum est; quia quan- „ doque sunt minus digni et simpliciter, et per res- „ pectum ad bonum commune: et sic si dignioribus „ præferantur, est peccatum personarum acceptionis „ in dispensatione spiritualium, quorum Prælatus Ec- „ clesiasticus non est Dominus, ut possit ea dare pro „ libito; sed dispensator secundum illud I. Cor. IV.

„ 1. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et
„ dispensatores ministeriorum Dei (*misteriorum*; *et II. Cor. VI. 4. In omnibus exhibeamus nosmetipsos, ut Dei ministros*): quandoque verò consanguinei Prælati Ecclesiastici sunt æque digni, ut alii; et sic licite potest absque personarum acceptione consanguineos suos præferre, quia saltem magis in hoc præeminent, quod de ipsis magis confidere potest, ut unanimiter secum negotia Ecclesiæ tractent: "

TITULUS XV.

DE SACRA UNCTIONE

ARGUMENTUM.

I. Unctio adhibetur rebus et personis, per Olea, et Chrisma prius benedicta. §. 440. *II. Ritus observandi sunt religiose.* §. 442.

§. 440. *Scire te Volumus* inquit Innocentius III. c. un. h. t. *duas esse species Unctionis, exteriorem, quæ materialis est, et visibilis: et interiorem, quæ spiritualis est, et invisibilis (a).* Exterior et visibilis unctio fit 1. Oleo benedicto catechumenorum: vel 2. oleo infirmorum: aut 3 Chrismate, quod fit ex Oleo et balsamo (c. un. §. 2. h. t.). Adhibetur unctio tum *rebus*, de quibus agitur libr. 3. tit. 4 *de consecratione Ecclesiæ vel altaris*, tum *personis* in quatuor Sacramentis administrandis, uti patet ex c. un. h. t. nempe in Baptismo ib. §. 6. in Confirmatione §. 7. in extrema Unctione §. 1. in Ordine presbyterali et Episcopali. c. un. h. t. §. 3. 4 et 9. (conf. dicta supra §. 393. et 394.). Denique etiam Imperator et Reges Oleo catechumenorum unguntur in Brachio dextro sive humero. c. un. h. t. §. 5 et c. 34. de elect. Sed hæc unctio neque Sacramentum est, neque sacramentalis; quia neque per se gratiam efficit, neque per se ad Sacra-

mentum aliquod conficiendum, vel suscipiendum ordinatur (*b*). Mysticæ rationes harum unctionum eleganter in hoc capitulo locis cit. indicantur.

(*a*) Antiquitas horum rituum patet ex Tertulliano libr. de resurrect. Carn. ubi c. 8. loquens de Sacramento Confirmationis ait: *Caro ungitur, ut anima consecretur: caro signatur, ut anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.*

(*b*) Ritus et formulæ continentur in Pontif. Rom.

§. 441. Olea, et Chrisma, quibus fit Unctio, *benedicta* esse oportet ab Episcopo; quod fit in officio feriæ quintæ in Cœna Domini eo ritu, qui in Pontif. Romano præscribitur. Extant exempla, administrationem Sacramenti Confirmationis a Papa commissam fuisse simplici Presbytero; at exemplum non extat, eidem commissam fuisse confectionem Chrismatis. A Sacerdote nonnunquam oleum benedicitur ad alios usus communi illa benedictione, quæ ad quodcunque commestibile in Missali et in Sacramentario Gregorii M. ponitur: *Benedic Domine creaturam istam etc.* Dein oleum utrumque, simplex et Chrisma debet esse *novum*, id est, illo anno, quo adhibetur, benedictum, secundum traditionem Ecclesiæ. can. 18. dist. 3. de consecrat. Præterea c. 3. de consecr. Eccles. deciditur, oleo benedicto infirmorum, deficiente copia, misceri posse aliud non benedictum, sed in minore quantitate.

§. 442. Proprius hoc titulo locus est agendi de *elemento et verbo* c. 5. de bapt. seu de *materia et forma* Sacramentorum, præcipue Ordinationis sacræ. Sed ea tractatio propius ad Theologos pertinet, qui fuse disputant de eo, quod ad substantiam sacramenti pertinet, aut accidentale sit Mo-

nendi tamen sunt studiosi juris sacri, ut ea in Sacramentis adcurate distinguere norint, atque animum ad utrumque advertere assuescant. Ritus, quantumvis accidentales sint, maximi fieri, ac religiose, et cum debita gravitate ac spiritus devotione observari debent; quo pertinet can. 12. ex Sess. VII. Concil. Trid de Sacram in genere: *Siquis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.*

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

ARGUMENTUM.

I. Quæ Sacramenta iterari non possint? §. 443.
II. De dubio valore Sacramenti jam collati. §. 444.

§. 443. Tria sunt Sacramenta, quæ ob characterem, quem imprimunt, iterari non possunt Baptismus, Confirmatio, et Ordo; ne nimirum Sacramento fiat injura, ut inquit S. Augustinus can. *quod quidam* 97. I. q. 1. et can. *ostenditur.* 33. dist. 4. de consecrat. S. Concilium Trid. Sess. VII. can. IX. de Sacramentis in genere ita definit: *Siquis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* De rebus etiam consecratis, ceu Ecclesiis et altaribus, docent SS. Canones, semel consecrata iterum consecrari non debere. Gratian. dist. 68.

§. 444. Si de valore horum Sacramentorum, præsertim Baptismi et SS. Ordinum, prudens occurrit dubium, ea sub conditione conferri debent, *quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum.* c. 3. de Presbyt. non baptiz. can. 2. dist. 68. et ibi Gratianus. At siquid in collatione prætermissum, aut per errorem actum est, ut si in ordinatione Diaconi aut Presbyteri omissa est impositio manuum, c. 1. et 3. h. t. aut si in Confirmatione loco Chrismatis adhibitum fuit oleum, dicitur *statutis temporibus caute* (occulte ad evitandum scandalum) *supplendum esse, quod incaute fuerat prætermissum* (a). Si Schismatici celebrarunt, propterea nec vestimenta, quibus usi sunt, de novo benedici, nec altaria de novo consecrari debent. c. 2. h. t. ob rationem §. præc. in fine indicatam.

(a) Ex hoc loco concludunt multi, valide conferri Confirmationem adhibito solo oleo: alii negant, asserentes, id voluisse Pontificem, ommissis accidentariis Ceremoniis supplendum esse ipsum Sacramentum adhibito Chrismate cum forma.

TITULUS XVII

DE FILIIS PRESBYTERORUM ORDINANDIS, VEL NON.

ARGUMENTUM.

I. Ad irregularitates ex defectu primo pertinent illegitimi natales. §. 445. *II. Illegitimorum variæ classes.* §.446. *III. Remedia* §. 451.

§. 445. *Irregularitates ex defectu*, de quibus per quinque titulos deinceps agitur, ad tria capita revocari possunt. Nam defectus vel carentia boni

contingere potest, 1. quoad *statum externum seu bona fortunæ*: 2. quoad *naturalia bona corporis vel animi*; 3. *quoad ad supernaturalia bona.* Ad defectus quoad statum externum et bona fortunæ referuntur inprimis illegitimi natales; neque enim qui natalium defectu laborant, ob id naturalia quadam corporis vel animi dote, nec supernaturali bono quodam carent. In libro sexto Decretalium inscriptio hujus tituli patet latius: *De filiis presbyterorum, et aliis illegitime natis*, nempe ex conjunctione maris et feminæ per canones, seu leges Ecclesiæ reprobata. Hi omnes sunt inregulares, c. 1. h. t. etsi non apud omnes par sit originis turpitudo: unde etiam dispensatio in defectu non pari semper difficultate obtineri potest; nam eo difficilius et rarius ea fit, quo turpior origo, ac defectus est.

§. 446. Libri IV. Decretalium titulus 17. inscribitur: *Qui filii sint legitimi*; ubi ex instituto de illegitimis quoque agitur: necesse tamen est, eorum varias classes hic enumerare, ac

I. Illegitimi sunt *naturales*, nempe extra validum matrimonium nati, sed ex parentibus iis, inter quos tempore conceptionis aut nativitatis validum poterat consistere matrimonium. Tempus conceptionis videtur a primo conceptu usque ad partum extendi; unde aliqui addunt: aut *tempore inter conceptionem et nativitatem medio*, nempe favore prolis l. 11. C. de natural. lib. (*a*). Dixi extra *validum* matrimonium; si id bona fide saltem unius partis in facie Ecclesiæ post præmissas denuntiationes contractum occultum impedimentum fuerit irritum, proles ex eo nata censetur legitima. c. 2. 9. 11. 14. qui filii sint legit.

(*a*) Jure civili Romano *naturales* dicuntur liberi, qui nati sunt ex soluto et concubina unica instar uxoris domi

detenta. l. 1. seq. D. de concub. Nov. 89. c. 6. contra *spurii* eodem jure censentur, qui ex meretrice pluribus prostituta nati sunt, et propterea patrem demonstrare non possunt, aut non alium, nisi quem per leges habere non licet, unde vulgo quæsiti appellantur, l. vulgo. 23. D. de Statu hominum. At Jure canonico sola spectatur parentum prolis ad matrimonium habilitas, ut naturalis censeatur proles, non autem ex damnato coitu nata; differentia inter jus utrumque orta est ex eo, quod jure Romano concubinatus fuerit toleratus aut permissus. At is non tantum jure canonico, sed per leges etiam politicas Germaniæ prohibitus est. Reform. politica an. 1530. tit. 33.

§. 447. II. Multo magis illegitimi sunt, qui *ex damnato coitu nati*, et jure canonico *spurii* dicuntur, ceu liberi *adulterini*, *incestuosi*, et in his *nefarii*, quorum parentes in linea recta consanguinei vel affines sunt; demum *sacrilegi*, quorum pater solemni voto sacri Ordinis aut religiosæ Professionis adstrictus, aut mater professa in Ordine religioso est. De his statuit S. Concilium Trid. Sess. XXV. c. 15. de ref. *ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur: non liceat filiis clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod Ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere.* Consentiunt c. 3. 4. 15. 16. h. t.

§. 448. III. Illegitimis (quoad Ordines et beneficia) adnumerantur nati ex conjunctione Sacerdotis vel Religiosi cum uxore legitima ante

Ordines vel Professionem ducta. Casus extat c. 14 h. t. in quo Pontifex ad ordines et beneficia dispensavit, sed ægre; sic enim habet Decretalis integra: *Quia in filiis paterna incontinentia modis omnibus propellenda dignoscitur, et propter cautelam presbyterorum filii a sacris Ordinibus juxta sanctionem canonicam removentur: non expedit, ut super hujusmodi ita supplicantium precibus annuamus, quod videamur aliis impetrandi similia spem aliquam facilius impertiri.* In Ecclesia greca Subdiaconis, Diaconis et presbyteris licitus est usus matrimonii *ante* susceptionem *sacri* Ordinis contracti, proinde liberi ex eo usu geniti non censetur illegitimi, neque arcentur ab Ordine et beneficiis etiam inter latinos c. 6. de Cleric. conjung. At nuptiæ post sacrum Ordinem etiam apud Græcos contractæ penitus irritæ, et liberi ex iis geniti adnumerantur natis ex damnato coitu. conf. l. elegantissima 45. C. de Episc. et cler.

§. 449. Pro illegitimis habendi non sunt I. liberi ex valido nati matrimonio ante susceptos Ordines contracto. c. 12. h. t. Ne tamen hereditaria successione videatur Domus Dei possideri, tales non possunt immediate succedere in beneficio, quod pater habuit in titulum, nec potest filius esse vicarius illius Ecclesiæ, in qua Pater proxime fuit rector, c. 10. 11. 13. At potest filius beneficium habere patris, si media intercessit persona c. 7. aut si pater id tanquam vicarius temporalis, non in titulum tenuit. c. 8; possunt etiam pater et filius in eadem Ecclesia habere beneficia distincta. c. 12. Si Episcopus tali filio scienter contulit paternam Ecclesiam, ipse contra suum factum eum amovere non potest. c. 5. II. Nec illegitimi habentur legitimati per subsequens ma-

trimonium: hi a solo excluduntur cardinalatu. III. Neque nati ex disparagiis, aut parentibus levis notæ macula aspersis. IV. De expositis, utrum præsumantur legitimi, vehementer dubitatur; quia plerumque exponuntur nati ex illicito coitu (*b*).

(*b*) Garcia de beneficiis P. VII. c. 2. n. 6. seq. Pro legitimis habendos putat Holzmann in Jur. Can. pract. ad h. t.

§. 450. Defectus natalium, etsi occultus sit, irregularitatem parit can. 14. dist. 56. et c. 10. de renunt. Causa ejus inducendæ fuit decor SS. Ordinum atque Ecclesiarum; tales enim solo aspectu refricant memoriam criminis, quo nati sunt; ac præterea timorem ingerunt, ne paternæ incontinentiæ imitatores sint. arg. can. 10. dist. 56. Huc aliqui referunt verba Deut. XXXIII. 2. *Non ingredietur mamzer, hoc est, de scorto natus, in Ecclesiam Domini usque ad decimam generationem* (*c*).

(*c*) Vox *Mamzer* etiam occurrit c. 10. §. 6 in fin. de renunt. ubi glossa ait: Mamzeribus scortum, sed mœcha nothis dedit ortum. At loquendi usus hac etiam in re valde diversus est.

§. 451. Defectui natalium succurritur I. *per ingressum in Ordinem religiosum*; nam professus ipso jure censetur dispensatus ad Ordines majores, non tamen ad prælaturas c. 1. h. t. Sed eo nomine non comprehenduntur alia officia, vel administrationes Ordinis. conf. Navarrus Conf. III. h. t. II. Per legitimationem, quæ ad effectus Ecclesiasticos fit a Summo Pontifice: ad temporales a Principe politico. c. per venerabilem. 13. qui filii sint leg. Est autem legitimatio, habilitas

personæ reddita, ejusque velut restitutio ad primævum, vel solitum statum. Largius seu pinguius est hoc remedium, quam dispensatio, sed difficilius et rarius. Dispensatio eos tantum, ad quos data est, effectus respicit, manente radicali inhabilitate, ac strictæ interpretationis est, ut mox dicam. III. *Dispensatione*, quam ad Ordines minores et beneficia, sine cura, dare potest Episcopus: ad Ordines majores, ad beneficia curata, ad dignitates, et personatus, vel ad beneficia paterna a filiis obtinenda solus Papa (c. 9. et 18. X. et c. 1. h. t. in 6.); non autem legatus Sedis Apostolicæ. c. 17. Dispensatio Apostolica stricte sumenda est; unde dispensatus ad beneficium curatum, non potest, nisi unicum, obtinere. c. 1. §. 1. h. t. in 6. Nec valet dispensatio super pluralitate beneficiorum, quæ tacita priore illa dispensatione ad beneficium curatum obtenta est (*d*).

(*d*) Eo difficiliorem esse dispensationem, quo turpior est illegitimi origo, supra animadverti, idemque docet Pyrrhus Corradus Prax. Dispensat. Lib. III. c. 1. n. 3.

TITULUS XVIII.

DE SERVIS NON ORDINANDIS, ET EORUM MANUMISSIONE.

ARGUMENTUM.

I. Ordinari proibentur, tanquam irregulares non modo servi, quales non habemus, sed alii etiam vinculo personali adstricti.

§. 452. Ad statum externum et fortunæ bona præter natales referri debet conditio ingenuo-

rum, servorum, libertorum, aliorumque vinculo personali aliis obstrictorum. I. *Servi* juri Romano censebantur *nulli*, non habere *caput*, non personam, *non statum*, id est, nec familiam, nec civitatem, nec libertatem, ac vilissima ipsorum erat conditio; ob quam vilitatem, ac ne Ecclesia videatur Dominus fraudem facere, ordinari prohibebantur, nisi cum consensu Dominorum, eorumque manumissione. Gratian. dist. 54. et toto hoc tit. Manumissionis ritus erant varii; eaque sæpe fiebat in Ecclesia (l. 1. et 2. C. de his, qui in Eccles. manumitt.) in primis festo paschali (*a*). Modus etiam manumittendi non idem erat; nam aut *pure* et absolute libertate donabatur, aut reservato jure quodam patronatus, et obligatione præstandi operas spirituales. c. 3. 4. 6. h. t. Ceterum notum est Procardicum; quoad conditionem servilem vel ingenuam *partus sequitur ventrem*. c. 8. h.t.et c.un. de natis ex lib.ventre nisi consuetudo obstet c. 3. de conjug. Serv.

(*a*) S.Gregorius Nyssen. Orat.II. de resurrect. Christi.

§.453. II. *Adscriptitii* etiam, sive fundis et possessionibus colendis stabiliter attributi, et *originarii*, qui ex iis nati sunt, sine consensu Dominorum, perinde ut servi, ordinari prohibentur, can 12. et 21. dist. 54 aut cogebantur, etiam Clerici facti, impositam sibi agriculturam adimplere, l. 37. C. de Episc. et Cler. cum subjuncta Authent.

§. 454. III. Homines *proprii* ab adscriptitiis non multum differunt, nec ordinantur, nisi impetrato Dominorum consensu, etsi reipsa liberi sint, (sed absque præjudicio prædiorum, et servitiorum inde pendentium), habeantque jus connubiorum, testamentorum, contractuum, item

personam standi in judicio; in quo genere liberi fere sequuntur conditionem patris, non matris.

§. 455. IV. *Curiales* ob gravissima onera quibus curiæ ac foro mancipati premebantur, ab Ordinibus exclusi sunt per antiquissimos canones apud Gratian. can. 1. 2. 3. dist. 51. et dist. 53. per totum. conf. l. 50. et 55. C. de decurionib. (*b*).

(*b*) Theophylact. in C. XV. Marci prope fin. de Josepho ab Arimathæa ait, quod fuerit Senator, quæ dignitas quædam erat, vel potius ministerium et onus civile, per quod cogebantur intendere his, quæ fori erant; et multa sæpe inde oriebantur pericula propter fori malitiam. Addit: Audiant divites, et publicis muneribus fungentes, quomodo Josepho nihil obsistat ad virtutem senatoria dignitas. Sozomenus in Hist. Eccl. lib. I. c. 8. narrat, Constantinum M. editis legibus libertatem concessisse iis, qui propter Christi nominis confessionem vel ad insulas, vel alia loco contra voluntatem incolenda, vel ad effodienda metalla, vel ad onera publica, vel ad *ministrandum curiis*, cum antea consiliarii non fuissent, condemnati essent.

§. 456. V. *Milites*, quoniam publico munere detinentur ex designatione Prinicipis, sine Principis consensu, et post exacta militiæ officia, aut honestam missionem ordinandos non esse constat. arg. can. 3. dist. 51. et can. 1. dist. 54. Qua in re S. Gregorius M. morem gessit Mauritio imp. can. un. dist. 53. Militia quidem suapte natura irregularem non facit, uti manifeste apparet ex can. 15. dist. 63. Atcan. Apost. 82. Episcopus, Presbyter et Diaconus, qui utrumque officium, et Ecclesiasticum et militare, una retinere voluerit, deponi jubetur. Fieri etiam potest, ut miles irregularitatem ex defectu lenitatis contraxerit (de quo agetur L. V. tit. de homicid.), can. 1. dist. 51. qui *sæva præcepta sunt executi* (*c*).

(*c*) Conf. Benedicti XIV. Tom. II. Institutio 101.

§. 457. VI. *Conjugati* defectu libertatis irregulares habentur, nisi uxor in ordinationem mariti consetiat, imo, ut nunc est, votum continentiæ emittat, aut religionem ingrediatur, c. 1. et tot. tit de conversione conjugat. can. 6. dist. 77.—C. fin. de temp. ordinat in 6. prohibetur Episcopus conjugato clericalem Tonsuram conferre, *nisi volenti religionem intrare*, *aut ad sacros Ordines promoveri*. Qui ante contractum matrimonium Tonsuram, vel Ordines minores receperunt, si 1. cum unicis, et virginibus contraxerunt: et 2. clericali habitu et Tonsura utantur: et 3 alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant vel ministrent; gaudent privilegio clericali. c. un. de Clericis conjug. in 6. Trid. Sess. XXIII. c. 6. de ref. In Germania tales Clerici conjugati, non sunt.

§. 458. VII. *Sponsi*, quamdiu reclamant sponsæ, sine istarum injuria ordinari non possunt, nec solent. Possunt ii, altera invita parte, religionem ingredi, ibique profiteri c. 2. et 7. de convers. conjug. quia validis etiam sponsalibus ex dispositione juris inest conditio: *Nisi religionem ingrediar*; sed hoc de Ordinibus dispositum non est; nec valet votum post sponsalia emissum, suscipiendi Ordines, etiam invita sponsa.

§. 459. VIII. *Religiosi*, perinde ut de servis dicitur, non censentur habere proprium velle, et nolle; hinc sine licentia prælati ordinari non possunt. c. 5. de temp. ordinat.

§. 460. IX. *Filius familias*, etsi decens sit, ut patris consensum ad Ordines requirat, tamen sine eo consensu simpliciter ordinari potest; quia ad spiritualia potestas patria non extenditur. So-

X 2

Ius tamen Clericatus, excepta dignitate Episcopali, a patria potestate non liberat. l. Sacrosanctæ 34. et Auth. seq. C. de Episc. et Cler. Hinc bona *ante Clericatum* acquisita, si castrensia aut quasi castrensia non sint, manent sub jure et administratione patris: acquisita post Clericatum ex speciali privilegio Clericis indulto censentur in numero quasi castrensium cit. l. Sacrosanctæ et Auth. Presbyteros. eod.

TITULUS XIX.

DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA ORDINADIS. VEL NON.

ARGUMENTUM.

I. Ordinari non debent, qui periclitantur de fama; II. aut infamia laborant.

§. 461. Ad statum externum et fortunæ bona etiam refertur is defectus libertatis vel liberationis, quem parit *obligatio ad ratiocinia*, sive ad rationes reddendas de administratione bonorum publicorum, vel publica auctoritate commissorum; quod usuvenit apud tutores pupillorum, curatores minorum, et similium. can. 2. dist. 51. can.. 3. dist. 54. can. 1. seq. XXI. q. 3. c. un. h. t. Exceptio videtur statuenda in iis, quos recenset cit. can. 1. XXI. q. 3. ibi: *Nisi forte qui legibus ad minorum ætatum tutelas, sive procurationes inexcusabiles attrahantur: aut cui ipsius civitatis Episcopus Ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula: vel orphanorum aut viduarum, quæ indefensæ sunt, aut earum personarum, quæ maxime Ecclesiastico indigent adminiculo propter timorem Dei.* Ratio autem de obligatis ad ratiocinia non ordinandis est, ne forte, si administratorum fides suspecta appareat, infamia redundet in Cle-

ricorum Ordinem, aut Clericus, qui reddere cogitur rationes, ad fora publica trahatur, culpæ, vel doli, ubi res postulat, pœnas daturus.

§. 462. Ad hunc locum de statu externo et fortunæ bonis referenda est *infamia*, quæ pariter irregularitatem inducit (§. 414.) et can. 5. dist. 51. Non quævis arrosio famæ pro infamia habenda est; sed I. quæ vere dicitur *infamia facti*, seu jactura existimationis orta ex delicto gravi notorio, cui vilipensio et detestatio proborum annexa est; ceu ex homicidio, perjurio in judicio, sodomia, simonia, aliove delicto notorio, quod meretur degradationem. arg. c. *ex tenore.* 4. de temp. ordinat. II. *Infamia juris* orta ex delicto, cui jura infamiam annectunt, judicialiter declarato; uti fit in crimine læsæ majestatis, proditionis, adulterii, lenocinii, usuræ, duelli etc. Absque sententia condemnatoria rei, vel declaratoria criminis, infamia facti incurri potest, non autem infamia juris (*a*).

(*a*) Digestorum libri III. Titulus 2. inscribitur: De his, qui notantur infamia. In Codice de iisdem agitur l.2. tit.12. et l. 10. tit. 57. Regula 87. juris nostri in 6. generatim ait: Infamibus portæ non poteant dignitatum.

TITULUS XX.

DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS, VEL NON.

ARGUMENTUM.

I. Irregularitatem inducit defectus quorundam naturalium bonorum animi, et corporis. II. Distingui tamen oportet inter defectus antecedentes, et consequentes §. 467.

§. 463. Præter defectus bonorum fortunæ atque externi status, de quibus actum est titulis præ-

cedentibus tribus, ab Ordinibus arcent defectus quidam *naturalium bonorum animi vel corporis*; qui apte congeruntur uno hoc loco. Ac I. naturalibus animi bonis, ad statum clericalem necessariis, carent, qui sanæ mentis impotes sunt, aut aliquando fiunt, ceu lunatici, dæmoniaci, furiosi. can. 2. seqq. dist. 33. II. Illiterati, qui scientia carent ad Ordines requisita. can. 1. dist. 36. c. 10. §. 4. de renunt. c. fin. de ætat. et qual. Præf.

§. 464. *Bona naturalia corporis* sunt I. ejus *integritas*, cui opponitur mutilatio et amissio membri, non cujusvis partis. Casus occurrunt c. 1. h. t. de amissa parte digiti. c. 2. de clerico ægrotante. de abscissione duorum digitorum cum medietate palmæ. c. 6. h. t. de eo, qui altera manu caret. c. 7. de eo, qui caret ungula pollicis. can. 13. dist. 55. irregularis censetur, qui oculum, etsi invitus, amisit. Spectari in his debet *primo*, utrum deficiat pars corporis ad usum Ordinis suscepti vel suscipiendi necessaria, ceu digitus ad hostiam frangendam. *Secundo* utrum, etsi talis pars non deficiat, ex defectu membri vel partis non oriatur deformitas, de qua mox dicam *(a)*.

(a) Siquis ipse sibi vim inferat, abscindendo partem corporis, etsi defectus sit occultus, nec deformitatem creet, nec impediat a ministeriis, irregularis fit ex defectu lenitatis; ac talis sui ipsius homicida dicitur can. 4. 5. et 6. dist. 55. At ib. can. 7. 8. 9. admittuntur ad Ordines, qui a medicis, barbaris, vel dominis sic abscissi sunt; quod idem indicatur c. 3. 4. 5, h. t. Excepto igitur casu propriæ abscissionis, videtur occultum vitium, quod neque usum sacrorum officiorum impedit, neque horrorem et aversionem ingenerat, non reddere quemquam irregularem. Arg. c. 3. h. t.

§. 465. II. *Non vitiata corporis structura*, cui opponitur deformitas, quæ horrorem, vel

risum ciet; quod fit de pygmæis, valde gibbosis, enormiter claudicantibus, mutilatis in auribus, oculos nimis distortos habentibus; casus extant c. 2. h. t. de macula in oculo. c. 3. et 4. de Cleric. ægrot. circa leprosos *propter scandalum et abominationem populi.*

§. 466. III. *Valetudo*, cui opponitur debilitas membrorum: hinc excluduntur paralytici, et morbo caduco laborantes. can. 1. et 2. VII. q. 2. Huc referri possunt ii qui prorsus abstemii sunt a potu vini; ac propterea ordinari non possunt. Gloss. in can. 38. v. *nec esse* II. q. 7. ad defectus naturales sine dubio pertinet ætatis defectus ad Ordines requisitæ.

§. 467. In defectibus hisce, qui lapsu temporis, curatione, industria ægre tolluntur; distingui oportet inter eos, qui *antecedunt* Ordines, et qui *superveniunt.* Antecedentes excludunt etiam a Tonsura, et Ordinibus minoribus, qui hac præsertim ætate non aliter spectantur, nisi tamquam via et præparatio ad Ordines majores. can 1. dist. 39. et can. 59. dist. 50. In defectu superveniente considerari debet, utrum et quatenus Clericum reddat impotentem ad obeunda sacra munera. c. 10. §. 3. de renunt. Idcirco irregularitas superveniens hoc præsertim in genere alia est *totalis*, alia *partialis.* c. 2. de Cleric. ægrot. Ratio fundamentalis canonum huc pertinentium est sanctitas sacri ministerii, quæ omnem decorem poscit, atque ad populum ædificandum, non turbandum aut avertendum informanda est. SS. Canones ad præcepta etiam legalia in hac causa provocant. Levit. XX. 17. seq. et ibid. XXII. 19. seq. Si de magnitudine vel levitate defectus disceptatur, ea est quæstio *facti* potius, quam *juris*, et ab Episcopo decidi debet. c. 2. h. t. can. 2. VII. q. 2.

TITULUS XXI.

DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

ARGUMENTUM.

I. Defectu quodam bonorum supernaturalium ab Ordinibus arceantur bigami. §. 468. *II. Clinici, et Neophyti.* §. 472.

§. 468. Postquam matrimonium Christianorum ad significandam conjunctionem Christi cum Ecclesia, et dignitatem Sacramenti elevatum est (Ephes. V. 32. Trid. Sess. XXIV. can. 1. de Sacr. Matr.); hæc significatio Sacramenti in maritali conjunctione maris et fœminæ tunc maxime, proprieque habetur, si sit uxor *unica unici et unus unius.* c. 5. h. t. Maritos plurium, aut viduarum, seu ab aliis cognitarum ob defectum Sacramenti canones excludunt ab Ordinibus præeunte Apostolo I. Timoth. III. 2. I. Tit. 6. Spectatur autem in hoc genere non tam valor matrimoniorum, quam affectus maritalis, seu *affectus intentionis cum opere subsecuto.* c. 4. h. t.

§. 469. Ex his deducitur irregularitas I. *ex bigamia vera*; siquis cum pluribus successive consummat matrimonium; etsi id infidelis ante Baptismum fecisset, qua de re SS. Augustinus et Hieronimus disceptarunt. can. 1. et 2. dist. 26. prævaluit sententia S. Augustini, id affirmantis, eaque ab Innocentio I. probata fuit. can. 3. ead.

§. 470. II. Irregularitas. ex *bigamia interpretativa*, quæ ex interpretatione, et dispositione juris provenit; siquis ducit viduam ab alio cognitam, aut consummat matrimonium cum ea, quæ

ab alia corrupta est. c. 3. et 5. h. t. can. 9. seq. dist. 34. Id non videtur extendendum ad eam, quæ ab alio vi oppressa est. Arg. can. 1. seqq. XXXII. q. 5. Speciale est in utroque hoc genere irregularitatis, quod ea affecti nudentur omni privilegio clericali, adstringantur foro seculari, et sub anathemate prohibeantur deferre Tonsuram, vel habitum clericalem. c. un. h. t. in 6.

§. 471. III. Irregularitas ex *bigamia similitudinaria*, siqui post solemne castitatis votum, aut sacros Ordines matrimonium contrahere attentant. c. 4. et fin. h. t. et arg. can. 24. XXVII. q. 1. Hi autem *post longam pœnitentiam, et vitam laudabilem continentes, officio suo restitui poterunt, et ex indulgentia sui Episcopi ejus executionem habere* c. 4. de Clericis conjug. (*a*).

(*a*) Qui plures simul habere uxores attentat contra jus divinum, et cum iis matrimonium consumat, sine dubio bigamus fit. Ceterum bigamia differt a polygamia, ac multo etiam magis a concubinatu, et commercio meretricio; id enim ex causa infamiæ, non bigamiæ irregularem efficere potest. c. 6. h.t. Nec irregularis fit, qui quas quidem ducit uxores, sed cum una tantum carnaliter conjungitur: aut ducit viduam, nec a priore marito, nec ab alio cognitam.

§. 472. Ex defectu quodam bonorum spiritualium præter bigamos censentur etiam irregulares, I. *Clinici*, qui, cum ægroti lecto decumbebant, baptizati sunt. can. un. dist. 57. ubi de tali dicitur: *Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est.* II. *Neophyti*, seu recens baptizati I. Timoth. III. 6. et can. 1. dist. 48. ne nimirum in superbiam incidant, et laqueum diaboli. Hoc exemplo ad majora Ecclesiæ officia non admittuntur, qui ex laicis in Clerum recenter admissi sunt.

can. 2. dist. 48. can. 1. seq. dist. 61. IV. *Defectu lenitatis laborantes*; de quo agitur ad tit. de homicidio.

TITULUS XXII.

DE CLERICIS PEREGRINIS.

ARGUMENTUM.

I. De literis Canonicis, seu formatis, testimonialibus etc. §. 473. Hodierna disciplina circa clericos peregrinos.

§. 473. Uti irregularitas superveniens ab usu quodam Ordinum jam susceptorum arcet; sic clerici vagi, ignoti, peregre advenientes, de quorum Ordinatione, aut facultate ministrandi vel celebrandi non satis constat, non sinuntur exercere Ordines, quos suscepisse se affirmant, nec ad ulteriores promoventur. Antiquissimi usus sunt literæ *formatæ*, *communicatoriæ*, seu *pacificæ*, quæ olim non clericis tantum, sed aliis quoque fidelibus alio discessuris in signum catholicæ communionis dabantur. *Formatæ* dictæ sunt hæ epistolæ ex certa forma, qua exaratæ erant; ex hodierno usu formatæ dicuntur, quæ testimonium acceptorum Ordinum continent: *testimoniales* censentur, quatenus etiam hoc addunt, ordinatum nullo Canonico impedimento Ordines exercendi affici: *commendatitiæ*, quatenus significant, quo loco officiove sit, qui eas exhibet, quamque omnibus, ad quos pervenerit, sit commendandus: *dimissoriæ* sunt, quas Episcopus suis subditis dat, ut ab alieno Episcopo ordinentur, vel etiam, ut liber a beneficio, quod obtinebat, alibi intitulari, ac servire possit (*a*).

(*a*) Concil. Laodicenum Seculi IV. can. 41. ait: Non oportet ministrum, vel etiam laicum sine Canonicis li-

teris, id est, formata, aliquo proficisci. Concil. Chalcedonense Can. 11. distinguit inter literas pacificas, et commendatitias; *eo quod Episcopales commendatitiæ honestis præstari soleant personis.*

§. 474. Olim clerici transmarini, ceu ex Africa venientes, et in remotis regionibus ordinati, in aliis occidentis partibus ministrare non permittebantur, nisi Ordinationem suam, etiam quoad inferiores Ordines per sigilla quinque Episcoporum probassent; ac tum etiam de eorum vita et moribus, et num gradatim accepissent Ordines, inquisitio facta est. c. 1. h. t. can. 2. et 3. dist. 98. Nunc observatur dispositio Concil. Trid. Sess. XXII. in Decret. de observand. in Cel. Missæ: *Ut irreverentia evitetur, singuli in suis diœcesibus interdicant, ne qui vago, et ignoto sacerdoti Missas celebrare liceat*; et Sess. XXIII. c. 16. de ref. *Nullus clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii literis ab ullo Episcopo ad divina celebranda, et Sacramenta administranda admittatur conf. can.* 7. *dist.* 71.

§. 475. Hæ Ordinarii literæ commendatitiæ non debent pro *forma* probatoria haberi; quasi earum vis aliunde suppleri non posset. Nam. c. 3. h. t. sic habet: *Respondemus, quod nisi legitime tibi constiterit sive per literas, sive per testes, de illorum Ordinatione canonica, qui penitus sunt ignoti, non debes ipsos permittere in tuis plebibus celebrare; sed si forsan eorum aliqui secreto ex devotione celebrare voluerint, poteris sustinere.* Solum tamen juramentum clerici de sua Ordinatione non sufficit. c. 2. h. t.

TITULUS XXIII.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

TITULUS XIV.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

TITULUS XXV.

DE OFFICIO PRIMICERII.

TITULUS XXVI.

DE OFFICIO SACRISTÆ.

TITULUS XXVII.

DE OFFICIO CUSTODIS.

TITULUS XXVIII.

DE OFFICIO VICARII.

ARGUMENTUM.

I. Potestas jurisdictionis Episcoporum: adjutores eorundem in ea exercenda. §.476. *II. Archidiaconus.* §. 479. *III. Archipresbyter.* §. 480. *IV. Primicerius* §. 481. *V. Sacrista et Custos.* §.482. *VI. Vicarii Episcoporum.* §. 484'

476. Post Hierarchiam Ordinis, de qua actum est titulis præcedentibus, sequitur deinceps *Hierarchia Jurisdictionis.* I. Vox *jurisdictio* non sensu stricto secundum jus civile Romanum hic sumitur, sed pro potestate regendi, præcipiendi, visitandi seu inspiciendi, causas cognoscendi, reos coercendi etc. II. Hi actus distingui debent ab actibus Ordinis, qui ad Sacrificium, ad administranda Sacra-

menta, ad consecrationem aut benedictionem personarum, ac rerum pertinent. Non modica inter potestatem Ordinis et jurisdictionis est differentia. Potestas Ordinis in omnibus eodem Ordine insignitis æqualis est: non item potestas jurisdictionis. Potestas, certo Ordini annexa, regulariter mandari non potest illo Ordine non insignitis: at potestas jurisdictionis potest mandari, seu delegari: potestas Ordinis acquiri non potest vi consuetudinis, præscriptionis, statuti, conventionis; aliter est de potestate jurisdictionis: in Capitula cathedralia Sede vacante transit potestas jurisdictionis, non item potestas Ordinis. III. Hierarchia jurisdictionis spectatur *primo* in diœcesibus, in quibus omnes regulariter Episcopo subsunt, etiam ii, qui vel ejus ordinatione, vel dispositione juris partem regiminis Episcopalis sustinent. *Secundo* in provinciis, regnis, districtibus Patriarchalibus; quatenus Episcopi Metropolitis, hi Primatibus vel Patriarchis subjecti sunt certis casibus. *Tertio* in Universa Ecclesia, in qua omnes inferiores pastores cum gregibus immediate subjacent uni Summo Vicario Christi, ac Successori Sancti Petri, Romano Pontifici.

§. 477. Ut recta unitatis cum uno Capite, ac Vicario Christi conservandæ, et regiminis Ecclesiastici per omnem orbem diffusi ratio constaret, necessaria fuit, aucto fidelium numero, divisio diœcesium, provinciarum, regnorum aut majorum etiam districtuum. Oves singularum diœcesium Episcopo diœcesano et pascendæ et regendæ commissæ sunt. At dignitas Episcopalis non patiebatur, ut in locis ignobilibus et pagis collocarentur Episcopi: nec in una civitate, nisi unus esse poterat: imo enormis Episcoporum numerus publico Ecclesiæ regimini et synodorum

congregationi maximo obstaculo futurus erat; hinc ne pascendis et regendis ovibus pastores deessent, divinitus provisum est per institutum clerum inferiorem, qui a suo Episcopo penderet tum in pastorali cura, tum in parte regiminis sibi commissi exercenda. Hæc primo peragebantur jussu, missuque Episcopi: tractu autem temporis in perpetuos titulos, et irrevocabilia beneficia, dignitates, officia, personatus evaserunt, quibus jus commune assistit.

§. 478. Potestas publica et rectoria Episcopatui a Deo concessa penes Episcopum est; at habet tum ex dispositione canonum, tum sua ordinatione adjutores regiminis. His tribuitur dignitas, aut personatus, aut officium; *dignitas* sita est in quadam præeminentia cum jurisdictione in foro externo, ceu in Archidiaconis et Decanis capitularibus. *Officii* nomine intelligitur munus vel administratio sine præeminentia et jurisdictione, ceu in pœnitentiario, Theologo Ecclesiæ cathedralis. *Personatus* denotant prærogativam sine jurisdictione, et administratione; qualem obtinent Seniores et Jubilæi. Hæc autem vel referuntur ad Ecclesiam cathedralem, aut collegiatam, ejusque clerum tantum; uti fit in Decano Capituli, in Custode, vel Sacrista, in Cellario: vel ad totam diœcesin, ejusque certum districtum, ceu in Archidiaconis, Decanis ruralibus, Vicariis generalibus, aut foraneis, in Officialibus. Varia autem dignitatum atque Officiorum distributio est, ac totum prope ad particulares diœcesium consuetudines et institutiones devolvitur, approbante easdem ipso jure communi. c. fin. in parte decis. de off. archidiac. c. 6. de constit. et c. 6. de consuet. ubi Pontifex præcipit, ut in attribuendis

novæ dignitati officiis servetur consuetudo vicinarum civitatum. Quemadmodum vero invasio alieni juris per se prohibita, ac turpis est ob ignorantiæ, aut temeritatis, atque ambitionis notam; ita quivis, qui dignitate, aut officio potitur, limites ejusdem dilingenter explorare, ac nosse debet. Dein valde odiosum est in Jure sacro, si unus occupat officia plurium. can. *Singula*. 1. dist. 89. (*a*).

(*a*) Si verba canonis authentica non sint, at mens et sententia congruit cum iis, quæ a Paulo Diacono l. 2. c. 54. de S. Gregorio M. scripta sunt. Accedit in eandem sententiam auctoritas S. Augustini conc. 2. in psalmi 32. verba: Qui finxit singulatim corda eorum. prope fin.

§. 479 *Archidiaconi* (nam præmissis generalibus principiis, de his primo agendum est ex jure Decretalium) considerantur I. ut Principes diaconorum; et sic imperant Subdiaconis et Diaconis c. 7. §. 1. h. t. II. Ut *Vicarii Episcopi in omnibus*. c. 1. h. t. per ipsos enim *cura pastoralis solicitudinis debet relevari*. c. 7. hinc dicuntur *oculi Episcopi* can. 6. et 11. dist. 93. Ad ipsos jure Decretalium pertinet visitatio diœceseos; quæ fieri debet de tertio in tertium annum. c. 1. Omnem curam habent clericorum tam in urbe, quam per parœcias habitantium; ac delinquentium rationem coram Deo reddere tenentur. cap. 1. et c. 7. §. 3. Examinant promovendos ad Ordines et ad beneficia c. 7. §. 1. et 5. Invigilant de honore et restauratione Ecclesiarum, et custodia vasorum c. 3. Censentur habere majorem dignitatem post Episcopum c. 7. §. 3. ac sunt vicarii, non ad nutum amovibiles, sed *dati a jure*, qui jurisdictionem habent dignitati suæ annexam, et inferiorem quidem, at tamen distinctam a jurisdictione Episcopi, ita, ut ab ipsis ad Episcopum appel-

letur c. 3. §. 1. de appellat. in 6. ac Episcopus non possit obsequia ipsis ab Eccles.is debita imminuere c. 2. de excess. Præl. (*b*). Eodem tamen jure communi limitatur ipsorum potestas, 1. de promovendis ad Ecclesia parochiales cura examinis non jam pertinet ad solum Archidiaconum, si eæ conferuntur per concursum. Trid. Sess. XXIV. c. 18. de ref. 2. Archidiaconi non possunt dare dimissorias c. 8. h. t. nec institutionem authorizabilem. c. 4. sed corporalem tantum c. 7. §. 1. etiam qnoad abbates et abbatissas c. 9. 3. De visitatione Archidiaconorum memorabilis est dispositio Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 12. de ref. v. *Archidiaconi vero* 4 Per se non habent jus visitandi regulares et corrigendi eorum excessus. c. ult. h. t. 5. Non habent jus subjectos ligandi censuris. c. 5. h. t. Ex quo explicari debet c. 7. de præb. et c. 3. de pænis. 6. Causas matrimoniales et criminales Concilium Trid. reservavit Episcopis Sess. XXIV. c. 20. de ref. ac specialiter disposuit de causa concubinatus Sess. XXV. c. 12. de ref. Posteriore ævo Episcopi ex variis causis curam postoralem ad se ipsos, et Vicarios suos amovibiles revocarunt; proinde valde imminuta, aut certo districtu diœceseos restricta, aut penitus extincta auctoritate Archidiaconorum.

(*b*) Conf.can.1. §.10. et 11. dist.25. et can.20 dist.63.

§. 480. *Archipresbyteri*, quasi primi Presbyterorum sunt, quibus imperant in iis, quæ sunt officii presbyteralis circa cantandas Missas, dandas benedictiones, administranda Sacramenta c.1. et seqq. de offic. Archipresb. Vocantur etiam *Decani*.c. 7. §. 2. de off. Archidiac. In his alius dicitur Decanus *civitatensis*, qualis in Germania locis pluribus est Decanus Ecclesiæ cathedralis,

qui majore etiam, quam veteres Archypresbiteri, auctoritate splendet. Alii sunt *rurales* per minores diœceseos regiunculas dispositi, qui jurisdictione vera et ordinaria non pollent; ab Episcopo tamen necessario per plebes, sive certos districtus collocandi sunt (c.fin.h.t.), ab adscriptis sibi Presbyteris jure communi eligendi, vel amovendi. c. 7. §. 6. de off. Archidiac.

§. 481. *Primicerius* dicitur, qui in aliquo ordine primum locum obtinet, e. g. inter notarios, equites, mensores (*c*), vel uti hoc loco, inter Psallentes in choro, vel Clericos in Schola. c. un. h. t. et can. 1. §. 13. dist. 25. Ejus officium hodie videtur competere illis, qui *Scholastici* vel *Cantores* nominantur, maxime in Ecclesiis cathedralibus.

(*c*) Vicat in vocabulario Juris hoc verbo.C.8. de const. Primiceriatus primo dicitur personatus, dein dignitas, postea officium.

§. 482. Ad *Sacristæ* curam pertinet custodia sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius thesauri Ecclesiastici, nec non, quæ ad luminaria pertinent sive in cera, sive in Oleo. c. un. h. t. Unde etiam *Cimeliarchæ*, et *Thesaurii* nomen habet, ac dignitatem obtinere censetur jure Decretalium; ob quam causam eidem cognitio causarum et alia negotia a Summis Pontificibus delegata fuerunt c. 32. de offic. deleg. c. 11. de for. comp. c. 18. de convers. conjug.

§. 483. *Custos* jure Decretalium est Subordinatus Sacristæ, et deputatus ad custodiendas res Ecclesiasticas levioris momenti, ut sunt li-

teamina etc. ad pulsanda tintinnabula, accendendas lampades. Ad cultum divinum in Ecclesiis rite peragendum proxime invigilabant Archidiaconus, Archipresbyter et Custos; unde c. 2. de off. Cust. dicitur: *In his tribus columnis consistere debet alma mater Ecclesia. — Hi tres simul juncti uno animo provide peragant, et perfecte; et non sit invidia, neque zelus inter illos* (*d*).

(d) Ex consuetudine Ecclesiarum Germaniae Custodi, qui in Ecclesiis cathedralibus summus Custos dicitur, incumbit suprema cura custodiendi pretiosa vasa, vestimenta, et reliquum thesaurum Ecclesiae; ei tamen subordinati sunt Clerici alii sub-custodes, et laici, quos aedituos, aut sacristas dicimus.

§. 484. *Vicariorum* varia occurrunt genera in Jure; plura etiam consuetudine fuerunt introducta. Gregorius IX. tit. de officio Vicarii agit de Vicariis *in divinis*, seu Vicariis Parochorum temporalibus et maxime perpetuis; de quibus ad titulum de præb. quando unio earum Vicariarum cum aliis dignitatibus, cum collegiis, capitulis, monasteriis explicatur, tractari solet. Bonifacius VIII. demum lib. 6 Decret. titulo *de officio Vicarii* eum intelligit Vicarium, quem *generalem*, aut *Vicarium Episcopi in spiritualibus* hodie nuncupamus. Ex quo inferunt, hanc dignitatem, quæ tempore Gregorii IX. penes Archidiaconos erat, circa medium Sæculi XIII. et postea, imminuta vel extincta istorum potestate, ad Vicarios ab Episcopo constitutos transiisse. Occasionem forte præbuit Concilium Lateranense IV. ante Gregorium IX. habitum, sed quoad certa capita de constituendis ab Episcopo Vicariis paulatim in usum frequentiorem deductum. conf. ex eo Concilio c. quoniam 14. et quod mox sequitur, c. 15. de officio Jud. ord. (*e*).

(e) Thomassin. P. I. lib. II. c. 8.

§. 485. Episcopus Vicarios habere potest ex causis pluribus. I. In *temporalibus* circa regimen status politici. II. In *Pontificalibus*, qui nominantur *Suffraganei Episcoporum*, per quos is in Pontificalibus peragendis, ceu in collatione Ordinum, administrando Sacramento Confirmationis, in benedictione Abbatum, templorum consecratione etc. sublevetur. Hi ordinari hodie solent ad titulum Ecclesiæ alicujus ab infidelibus occupatæ, vel a schismaticis usurpatæ; qui mos ex eo tempore invaluit, ex quo Latini varias Orientis provincias infidelibus eripuerunt. Tum enim ex Latinis constituti sunt Patriarchæ et Episcopi, ubi Ecclesiæ, aut præsules non habuerunt omnino, aut ingens Latinorum numerus novam quasi Ecclesiam constituebat, quæ regi non poterat per Episcopum Græcum, semper in ritu et disciplina, sæpe etiam in fide et doctrina dissentientem. Latinis inde pulsis, spe illas terras recuperandi, obeuntium Episcoporum successores nominabantur, majore certe jure, quam quo Græci idem faciebant quoad Patriarchas vel Episcopos urbium ab infidelibus occupatarum. Hinc factum, ut Patriarchatuum et Episcopatuum titulum sæpe gererent duo, Latinus unus, alter Græcus (*f*). Id cum repugnaret Canonibus, remedium paravit Concilium Florentinum; sed Græci promissis non steterunt. Multi etiam Regulares monasticæ vitæ pertæsi Episcopatum in partibus infidelium quærebant, vel occupabant; contra quos providit Concilium Viennense. Clem. 5. de elect. et Tridentinum Sess. XIV. c. 2. de ref. Introductum ergo est, ut nullus in Episcopum titularem ordinaretur, nisi auctoritate Romani Pontificis: qui sic ordinare non solet, nisi illos, qui alium quendam Episcopatum, vel saltem aliquam administrationem obtinent, ex cujus reditibus

digne sustentari queant (*g*). *III. In Spiritualibus*; de quibus deinceps agendum est.

(*f*) Wilhelmus Tyrius in Historia belli sacri passim. De Ordinatione Latinorum in partibus Orientis agit Paschalis II. in ep. 18. 19. 20. 28. 29, Concil. edit. Mansi T. XX.

(*g*) Originem Episcoporum titularium Thomassinus P.I. l. 1. c.28. derivat a Chorepiscopis, de quibus mentionem faciunt antiquissimi canones synodorum Ancyranæ, Antiochenæ, Neocæsariensis, quæ habitæ sunt seculo IV. quo Chorepiscopi jam invaluerant, ducto nomine a græca voce, quae *vicum* significat; eo quod illi ruri et in vicis pastoralem curam Episcoporum arbitrio, ac nomine obirent. Per se ac lege ordinaria eos fuisse simplices Presbyteros constat; aliquos tamen charactere Episcopali fuisse insignitos, vix dubitari potest; de quo Eruditi fuse disputant. Ob potestatis abusum saepe coerciti, demum penitus abrogati sunt. In Capitularibus ab Ansegiso collectis lib. 6. cap. 119. sic habetur: „ Placuit, ne Chorepiscopi a quibusdam „ fiant; quoniam hactenus a nescientibus sanctorum „ Patrum, et maxime Apostolorum decreta, suisque „ quietibus et delectationibus inservientibus facti sunt. „ Idcirco et olim persaepe, et nostro a sancta Aposto- „ lica Sede tempore sunt prohibiti, et ne deinceps a „ quoquam tam ordinante, quam ordinari cupiente ta- „ lis præsumtio assumatur, a cunctis nostri regni Epi- „ scopis est in Synodo canonice prohibitum. “

§. 486. *Vicarii Episcoporum in spiritualibus* primis jam Ecclesiæ seculis reperiuntur. Certe Gregorius Nazianzenus patri suo Gregorio in Nazianzeno, Basilius Eusebio in Cæsariensi, Chrysostomus Flaviano in Antiocheno, Simplicianus Ambrosio in Mediolanensi, Augustinus Valerio in Hipponensi Episcopatu operam *vicariam* præstitit. Natura hujus dignitatis est hæc: I. *Vicariatus* generalis non est beneficium, sed munus, cui adjunctus est honor cum jurisdictione. II.

Jurisdictio ista exercetur in eodem cum Episcopo tribunali, ita ut non detur appellatio a Vicario generali ad Episcopum, ne ab eodem ad eundem appelletur. c. 2. de consuet. in 6. et c. 3. pr. de appellat. in 6. III. Vicarius ab Episcopo eligitur, et omnem ab eo accipit jurisdictionem: potest Episcopus unum eligere, vel plures in solidum, vel pro certo districtu, aut ad certas causas. Vicarii quidem et Officialis nomina sine discrimine adhibentur a S. Concilio Tridentino (Sess. XXIV. c. 16. de ref.), et ex stilo Romanæ Curiæ; passim tamen in his partibus fit, ut *Officialis* dicatur, qui causas matrimoniales et decimales mandato Episcopi cognoscit: at *Vicarius generalis*, qui alias jurisdictionis Episcopalis partes obit: *Vicarius* autem *Foraneus*, cujus jurisdictio ad certum districtum limitatur. IV. Uti Episcopus suo arbitrio eligit Vicarios; ita electos suo arbitrio removet, aut nullum omnino eligit; si ipse fungi munere sine ope aliena potest. V. Jurisdictio Vicarii est *generalis*, id est, Vicarius vi officii, aut mandati generalis, per *commissionem officii generaliter sibi factam* (c. 2. h. t. in 6.) potest expedire omnia, quæ potest Episcopus, ut *Episcopus* et *quoad Jurisdictionem*; quo non obstante excipiuntur ea, quæ speciale mandatum requirunt (uti mox dicam), *cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus.* c. fin. h. t. in 6. V. Exspirat jurisdictio Vicarii tum ejus morte, spontanea dimissione, revocatione ab Episcopo facta, eique intimata: tum cessante munere Episcopali per obitum Episcopi, aliave ratione, ita, ut re etiam non integra in negotiis jam cœptis jurisdictio Vicarii cesset. Si Episcopus est excommunicatus, suspensus vel interdictus, et sic jurisdictione carens; impeditur etiam

exercitium Jurisdictionis in Vicario; quamvis eadem polleat habitualiter, ut Episcopo Jurisdictionem recuperante non indigeat nova concessione officii (*h*).

(*h*) His probe expensis non videtur usum habere quæstio de Jurisdictione Vicarii generalis, ordinaria, an delegata debeat appellari. Dicunt: Delegata non est; quia nunquam delegata vocatur in Jure: quia Vicarius generalis potest causas quasdam alteri delegare; id quod delegatus per se non potest: quia, posteaquam constitutus est, jure suo, et vi officii a jure approbati exercet ea, quae sunt Jurisdictionis Episcopalis: imo addant per me etiam hoc, quod sit eadem Vicarii Jurisdictio, ac Episcopi; quae certe ordinaria est, non delegata. Participat tamen Vicarii Jurisdictio de delegata in his, quia tota pendet a nutu et arbitrio Episcopi, qui suo libitu constituit, et removet, et majore vel minore potestate donat Vicarium: quia Episcopo mortuo vel Sede moto omnem Vicarius amittit Jurisdictionem.

§. 487. A generali Vicariorum istiusmodi potestate eximuntur ea, quæ Episcopo non vi Jurisdictionis, sed Ordinis Episcopalis competunt: aut non jurisdictionis ordinariæ, sed specialiter concessæ tanquam Delegato Sedis Apostolicæ aut aliunde devolutæ: quæ ob rei gravitatem arbitrio viri prudentis reservantur ipsi Episcopo. Talia sunt, causas criminales graviores cognoscere, visitare diœcesin, pensionibus onerare Clericos, alienare res Ecclesiæ, ultimas voluntates exequi, procedere contra Canonicos (*i*). Habet potestas Vicarii analogiam cum administratore bonorum alienorum; qui ad res graviores mandato speciali eget, et bona Domini administrare, non alienare, statum priorem conservare, non immutare potest. Hinc ad Vicarium generalem non pertinet concessio dimissoriarum, actus, liberalis gratiæ, dispensationes in impedimentis matrimonii, etiam cum Epi-

scopus ex concessione Pontificia dispensare potest, collatio beneficiorum ad liberam Episcopi dispositionem pertinentium. c. fin. h. t. in 6. Et quia statum Diœceseos immutare non potest, ad Vicarium generalem non pertinet beneficia erigere in vicarias perpetuas, eadem unire, dividere, supprimere, juri patronatus subjicere, transferre, novas parochias erigere. Præterea speciali deputatione opus habet Vicarius, ut dispenset in irregularitatibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, cum Episcopus sic dispensare, aut a casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis absolvere potest per Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 6. de ref. quando auctoritatem impertitur exemplaribus, ut eandem in foro vim habeant, ac Archetypa. c. fin. de fide instrument.

(*i*) Hisce negotiis gravioribus annumerari confectionem processus in causa Beatificationis, vel Canonizationis, docet Benedictus XIV. de Servorum Dei Beatif. lib. 2. c. 2. n. 9.

§. 488. Ex his facile intelligitur, cur Jus nostrum ad munus Vicarii Episcopalis requirat 1. Clericum, can. 22. XVI. q. 7. 2. Qui jam vigesimum quintum ætatis annum attigerit, et scientia ac moribus commendandus sit. arg. c. 7. §. 2. de Elect. nempe in Theologia aut Jure Canonico doctorem, vel Licentiatum, aut alias idoneum. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 16. de ref.

TITULUS XXIX.

DE OFFICIO, ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

ARGUMENTUM.

I. Variæ delegationum species §. 489. *II. Quis possit delegare, quis delegari, in qua causa* §. 490. *seq. III. Usus Jurisdictionis delegatæ* §. 493. *IV. Executio sententiæ a Delegato latæ* §. 494. *Explicatur c.* 28. *h. t. V. Quomodo exspiret officium et potestas Delegati.* §. 498.

§. 489. *Judex delegatus* dicitur, qui non ex proprio officio, sed ex commissione vel ipsius juris, vel alterius hominis, propriam et ordinariam Jurisdictionem habentis, immediate vel mediate facta, adeoque alterius vice et auctoritate Jurisdictionem exercet. Sunt ergo alii *delegati a Jure*, ceu Episcopi in quibusdam casibus Apostolicæ Sedi alias reservatis, et omnes Sacerdotes ad absolvendos pœnitentes in articulo mortis; alii *delegati ab homine*, et quidem vel *a Supremo Principe*, qui Superiorem in suo potestatis genere non recognoscit, vel ab inferiore Judice aut Magistratu ordinario. Sunt delegati *ratione dignitatis*, quam obtinent, vel *ratione personæ* expresso ejus nomine: *delegati primo* et immediate a Supremo Principe, aut Judice ordinario: vel delegati a delegato, qui dicuntur *subdelegati.* Sunt denique *delegati ad universitatem causarum*, saltem in certo genere e. g. matrimonii, decimarum, sine restrictione ad certas personas: vel delegati ad causas particulares *certarum* personarum (*a*).

(*a*) Hic titulus multum usum habet in doctrina de Commissariis, quorum opera frequentissime adhibetur hodierno stilo; pertinet eodem, ratione quadam titulus 21. li-

bri l. Digest. de officio ejus, cui mandata est jurisdictio. Leyserus Specimine XXVII. §. 1. ait: Nec ipsi dissimulamus, maximam doctrinae de Commissariis partem ex consuetudine, et Jure Canonico, in primis ex h. t. desumendam esse. Habet autem hic titulus in Jure sacro universe capitula omnino sexaginta; et in his non pauca valde longa. Unde praecipui doctrinae huc pertinentis articuli potius indicandi, quam ex Corpore Juris multis verbis exscribendi sunt.

§. 490. *Delegare potest*, qui habet jurisdictionem ordinariam: delegatus autem regulariter subdelegare non potest, nisi sit delegatus a Summo Principe, vel ad universitatem causarum. Exceptiones de facultate subdelegandi continentur c. 3. 27. 34. c. ult. §. is autem. addita Clem. un. h. t. Delegatus Summi Principis, si subdelegare potest et vult, recipere recusantem etiam compellere potest, ut recipiat. c. 28. non potest autem subdelegato iterum dare potestatem subdelegandi. arg. c. 27. §. 4. h. t.

§. 491. *Delegari* a Summo Pontifice solent Constituti in dignitate, vel personatu, aut Canonici cathedrales. c. 11. Pr. de Rescript. in 6. Ceterum delegati esse possunt omnes, qui natura, legibus vel moribus non prohibentur, modo sint periti jurium. c. 4. §. 1. et non minores XX. annis, nisi a Principe dati essent ex certa scientia; vel ab alio inferiore cum consensu partium, expletis saltem annis XVIII. c. 41. Delegari possunt unus vel plures judices simpliciter, aut sub variis clausulis, aut in solidum. c. 16. 21. 23. 30. X. et c. 8. in 6.

§. 492. *Causae omnes* delegari possunt, quae ad ordinariam delegantis jurisdictionem pertinent, imo etiam actus Ordinis, modo delegatus

habeat Ordinem requisitum. Etsi judex delegatus vi definitionis sit, qui aliquam jurisdictionem exerceat; tamen etiam *nudum Ministerium* vel *executio* delegari dicitur: sed tales delegati potius *auditores*: vel *executores* appellantur. Delegatus Papæ potest principium, medium et finem totius causæ conjunctim vel divisim subdelegare. c. 27. c. 28. §. 1. Celebris est ex Jure Romano quæstio, an causæ pertinentes ad merum imperium, cujusmodi est jus gladii, sive potestas puniendi facinorosos pœna mortis, mutilationis vel perpetui carceris, delegari possit; qua in re principia juris publici Romani ad statum hodiernum applicari non possunt: unde tales delegationes sine dubio fieri possunt, et solent.

§. 493. *Pro usu jurisdictionis delegatæ* inprimis necesse est, ut delegatus literas delegationis suæ in forma authentica exhibeat. c. 31. *Potestas* et *officium* judicis delegati (quibus verbis, velut synonimis, hic titulus inscribitur) non penitus nihil differunt. Nam primo *potestas* sumi potest velut pro habitu, et actu primo; *Officium* pro actu secundo, sive exercitio. Dein potestas denotat, quid *possit* quis facere vi juris sibi competentis: officium, quid *debeat*, aut teneatur facere. Potestas judicis delegati generatim pendet *ex auctoritate et potestate delegantis*, cujus is vices gerit. c. 11. et 33. et ex *mandato*, *ejusque forma*. Hinc delegatus potestatem suam ultra fines mandati extendere non potest, etiam consentientibus partibus, nisi aliqua restrictio mere in favorem partium sit adjecta e. g. de tempore et loco, quo causa definiri debet; censentur tamen in mandato etiam contineri ea, quæ necessaria sunt, ut causa delegata expediri queat. c. 1. et c. 5. h. t. addita moderatione c. 2. in 6. Ad observandam for-

mam mandato præscriptam etiam subdelegatus tenetur; alias nihil agit. c. 37. ad *Officium delegati* pertinere censentur ea, quæ ad delegationem rite obeundam jure communi præscribuntur, ut agat vel omittat. Sic contra reum absentem sine contumacia, judicare non potest, etsi prior possessio et dejectio probata sit. c. 10. Et quamvis certa eidem præscripta sit procedendi vel judicandi forma, tenetur tamen admittere exceptiones probabiles. c. 13. Rescriptum Principis nunquam ita interpretari debet, ut alteri præjudicium inferatur, nisi hoc ipsum expressum sit. c. 15. Executionem sententiæ a se latæ differre debet propter appellationem ejus, cujus interest, ne detur executioni, nisi malitiose, et solum differendæ executionis causa interposita fuerit appellatio. c. 15. Quomodo in causa excommunicationis procedere debeat, exponitur c. 21. §. 2. et 3. et c. 36.

§. 494. *Executio sententiæ* Delegato Papæ vel Principis non minus competit, quam cognitio et decisio causæ absolute eidem commissæ; quia commissio simpliciter facta, super toto negotio facta intelligitur: resistentes executioni Ecclesiastica censura coercere potest. c. 7. et 26. h. t. Solet autem Delegatus Papæ executionem sententiæ a se latæ frequenter committere Ordinario loci; a quo id melius fieri potest, utpote Officialibus instructo; quales ipsi judici delegato plerumque præsto non sunt. Si autem Delegatus Ordinarium loci, non ut merum ministrum executionis, sed suum Subdelegatum constituerit, censetur ipse functus officio, ut causam reassumere non possit, saltem si res non sit integra, et Subdelegatus negotium exequi cœperit. c. 9.

§. 495. Difficultatem propter varias consecutiones facessere hoc titulo videtur *c. pastorales.* 28. §. quia vero. 3. ubi Ordinarius jubetur exequi sententiam a Delegato pronuntiatam, etsi eandem injustam esse sciat, e. g. si ea juri quidem communi conformis, sed approbatæ, certæque loci consuetudini sit contraria. Quid enim? ipsi executori injustæ sententiæ, nonne imputabitur injustitia in foro Dei? Verba Capituli sunt hæc: *Quia vero sæpe contingit, quod executio sententiæ Ordinario demandatur; quæsivisti, an si ipsam injustam esse cognoverit, debeat eam executioni mandare? an sit ei potius subsistendum? Attendentes itaque, quod non cognitio, sed executio tantum demandatur eidem: respondemus, quod, cum Ordinarius teneatur obsequi Delegato, etsi sciat sententiam illam injustam, exequi nihilominus tenetur eandem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat.* Dubium duntaxat pro casu locum habet, quando ei, cui executio mandata est, de injustitia sententiæ *certo* constat; quamdiu enim ea extra prudens dubium posita non est; præsumtio stat pro judice et pro justitia sententiæ.

§. 496. De hypotesi autem injustitiæ ab executore certo cognitæ, quia jura juribus conjungenda, atque inter se concilianda sunt, respondeo: Sententia, cujus injustitia certo cognita est, executioni dari potest, si *copulative* concurrant hæ conditiones: I. Si agatur de causa civili, certe non criminali majore; neque actus executionis in se malus, et lege naturali vel divina prohibitus est. arg. c. 13. de restit spoliat. et c. 44. de sent. excom. II. Si sententia non sit *notorie* injusta secundum acta aut formam processus, vel penitus irrita, ceu lata contra jus manifestum, aut nullo juris ordine observato, c. 10. de V. S. 5. et c. 54. v.

si vero notorium. de appellat. quo pertinet, si sententiam ex falsis instrumentis, aut interveniente fraude latam constat. c. 2. de crimine falsi c. 5. de sent. et re jud. III. Si *mera* executio sententiæ sine ulla cognitione causæ demandata est; nam de *executore mixto* aliter sèntiendum est. IV. Si, qui injustitiam sententiæ novit, ab onere executionis nullo modo liberare se potest. Potest enim apud Delegatum instare, ut sententia suspendatur, donec rei veritas Apostolicæ Sedi innotescat. c. 8. h. t. V. si sententia transiit in rem judicatam; aliter enim non fit executio secundum jura. Eo autem facto executori imputari non potest injustitia: uti enim in foro externo firmitas tribuitur rei judicatæ, etsi de jure partium litigantium postea certo constet; sic pro foro externo executio sententiæ facienda est. VI. si denique ex sententiæ executione graviora mala imminere videantur, executor, tanquam de re impoasibili sibi demandata, excusationem habebit ex c. 5. de rescriptis.

§. 497. De appellationibus et recusationibus generatim agitur L. II. Decretal. Specialia sunt, I. A delegato appellatur ad Superiorem delegantis: si hic Superiorem non habeat, ad ipsum delegantem (*b*). II. A subdelegato Papæ, qui non totam causam delegavit, non ad Papam, sed ejus Delegatum, nempe Subdelegantem appellatur, nisi hic sit impeditus. c. 18. III. Si medium tantum causæ, e. g, depositiones testium, alicui committatur, ut mero auditori sine jurisdictione, a tali non appellatur, nisi fines mandati excesserit, aut merito suspectus sit. IV. Nemo præter Principem Supremum causam committit, remoto appellationis remedio: exceptio est in c. 28.

(*b*) Zech de Judiciis Eccl. Sect. I. tit. III. §. 59. Singularem ea de re dissertationem edidit Samuel Stryckius Vol. 5. diss. I. C. IV. n. 59. et seq.

§. 498. Exspirat jurisdictio Delegati I. lapsu temporis, nisi communi partium consensu terminus prorogetur. c. 4. II. Morte Delegantis, et omni eo modo, quo Delegans amittit suam jurisdictionem, si res adhuc sit integra; secus, si Delegatus jam uti cœpit jurisdictione, ea perpetuatur. c. 19. et 20. Hæc tamen limitatio passim non observatur. Estque hoc notabile discrimen inter judicem Delegatum, et Ordinarium; hic enim, non item ille, suam jurisdictionem etiam post mortem ejus, a quo ipsi delatum est officium cum jurisdictione, eandem retinet, excepto Vicario, qui eandem cum Principali jurisdictionem tenet (c). III. Morte ipsius Delegati; si delegatio facta fuit *personæ* sub proprio ejus nomine, non vero *dignitati*; hoc enim casu transit ad successorem in eadem dignitate. c. 14. h. t. IV. Si Delegatus officio suo functus est, id est, si sententiam per se, vel per alium, tamquam ministrum, executus est, aut alteri exequendam delegavit. c. 9.

(c) Gratia jam facta morte concedentis, vel delegati executoris non exspirat. c. 9. h. t. in. 6.

TITULUS XXX.

DE OFFICIO LEGATI.

ARGUMENTUM.

I. Legatorum Apostolicæ Sedis triplex genus §. 495. *II. Mittuntur ex variis causis: gaudent charactere repræsentatitio: honore et potestate eminent legati a latere.* §. 500 *III. Quomodo exspiret potestas legati.* §. 505. *IV. Jus Pontificium mittendi legatos.* §. 506.

§. 499. *Legati*, seu *Nuntii Apostolici* sunt triplicis generis ex jure Decretalium: cui præsens consuetudo inhæret. Sunt enim I. *Legati a late-*

re, qui sumuntur e collegio Cardinalium, tanquam lateri Pontificis assistentium, indeque missorum. Formula loquendi valde antiqua est can. 11. et can. 36. II. q. 6. De his ait Pontifex.c.1. in 6. *Sicut honoris prærogativa lætantur*; *sic eos auctoritate fungi volumus ampliori.* II. *Legati Missi.* III. *Legati Nati*, *qui Ecclesiarum suarum prætextu legationis sibi vendicant dignitatem.* c. 9. (*a*). Atque hi conveniunt cum iis, qui olim dicti sunt Vicarii Apostolici, de quibus, uti et universo Legatorum Apostolicorum jure summa eruditione, pari gravitate et æquitate agitur in Responsione SS. D. N. Pii P. VI. ad Metropolitanos Germaniæ super Nuntiaturis Apostolicis. Horum Legatorum, qui Nati dicuntur, debuit imminui auctoritas; tum quia ipsorum delectum Summi Pontifices non habeant in sua potestate, nec eligere poterant industriam personæ; tum quia, ut Petrus de Marca L. VI. Conc. c. 29. n. 6. ait: *Metropolitani ferre nolebant*, *uni ex suo corpore conferri jus perpetuæ præsidentiæ*; quod in Drogone et Ansesigo patefactum est, quorum proin fata male ad legatos missos applicantur. Hinc SS. D. N. Pius P. VI. in cit. Resp. C. VIII. Sect. V. n. 132. ait: „ Impotens æmulandi studium, quod Metropolitanos „ invaserat, in causa fuit, cur Pontifices, volentes injuncto sibi Apostolatus munere perfungi, „ nolentesque amplius *Indigenis* uti, quibus suas, „ ut antea, vices committerent, ac demandarent, id ceperunt Consilii a Seculo XV. „ ad hanc usque nostram ætatem, ut *e proprio latere* in Germaniam, in Galliam, in Hispaniam, in Lusitaniam et in alia etiam regna „ *advenas Nuntios* mitterent, *nulli parti* addictos, *Ecclesiastica* dignitate ornatos, Principibus caros; utque apud catholicas aulas, et „ in urbibus Principibus *Ordinarias Nuntiaturas*

„ instituerent. " Triplex hoc Legatorum genus aperte indicatur c. 9. X. c. 1. in 6.

(*c*) In Recessu Imp.a. 1532. subscribens Albertus Archiepiscopus Moguntinus et Magdeburgensis se vocat legatum natum. idem prædicatum suis titulis adjicit Elector Coloniensis. Salisburgensis idem elogium sibi tribuit a variis Pontificibus concessum. Hæc de Legatis natis in Germania. In Gallia eo titulo fruuntur Remensis, Bituricensis et Lugdunensis, in Hispania Toletanus, in Italia Pisanus, in Anglia Cantuariensis et Eboracensis, in Hungaria Strigoniensis etc.

§. 500. Ex primo et secundo Legatorum genere (de tertio enim nihil restat dicendum) alii mittuntur cum jurisdictione solum *temporali* ad gubernandas provincias, vel civitates status Ecclesiastici, quales sunt Legatus Avenionensis, Bononiensis, Ferrariensis etc. alii habent jurisdictionem *spiritualem*, vel *restrictam* ad certas causas, aut negotia; vel *ordinariam*, quando iis in certis provinciis committitur legationis officium; atque in his aliqui dicuntur *extraordinarii*, et non stabiles; alii *stabiles*; quales in Germania sunt Viennæ; Coloniæ, Monachii, Lucernæ. Ab his distinguendi sunt ii, qui *Vicarii Apostolici* speciali ratione vocantur; etsi Legati quoque vices gerant Apostolicæ Sedis, ut mox dicam.

§. 501. Commune est omnium Legatorum, quod charactere repræsentatitio gaudeant; ac Legati quidem et Nuntii Apostolici vices Papæ gerunt. c. 1. in fin. ac si ea, quam divinæ fidei vis et catholicæ unitatis studium poscit, reverentia erga Vicarium Christi et Successorem S. Petri vigeret in scriptoribus ætatis nostræ, ingentibus turbis, ac bonorum offensionibus fuisset præcautum. Quidquid sit, ut ea memorem, quæ Legatorum

communia sunt, ex præscripto juris nemini, quamquam dignitate fulgeat, credendum est, si dicat, se cum mandatis Principis venire, nisi probaverit. l. 1. C. de mandatis Princip. Cardinalibus quidem legatis, si legatos se esse, literis ostenderint (*b*), fides habetur quoad mandata, etsi hæc scripto non exhibeant. arg. c. fin. dist. 97. Imo aliis etiam legatis quoad ea, quæ communi legationis officio continentur, adhibetur fides, non item quoad specialia, et quæ aliis præjudicant.

(*b*) Boerius de Potestate Legati a latere. n.28.

§. 502. *Honoris prærogativa* eminent Legati a Latere. c. 1. atque in eorum præsentia suspenditur officium minorum legatorum quoad exercitium potestatis c. 8. iis præsentibus, si insigniis Apostolicæ dignitatis utantur, Archiepiscopis ac Patriarchis crux non præfertur. c. 23. de Privileg. Unde nec Episcopus, præsente Legato a latere, populo benedicit, nec vestes defert, scilicet mozzetam, quæ ordinariam ipsius jurisdictionem significat.

§. 503. Legati a Latere ampliori etiam auctoritate funguntur. c. 1. in 6. Generatim omnium Legatorum jurisdictio *Ordinaria* dicitur c. 2. in 6. et in provincias mittuntur, ut *ibidem evellant et dissipent, ædificent, et plantent, ad instar Proconsulum, ceterorumque Præsidum, quibus olim Romani certas provincias moderandas commiserant.* cit. c. 2. in 6. Exemplum magno Germaniæ commodo præbuit celebris legatio Laurentii Campegii, qui an. 1524. per Germaniam, itemque Bohemiæ, Poloniæ et Hungariæ regna et alia loca, per quæ ipsum transire contingeret, legationis officium obire jussus est; cujus statuta per univer-

sam provinciam Moguntinam recepta sunt. Difficile est de potestate Legatorum in specie dissere; quia multa in desuetudinem abierunt; ut auctores ex jure communi vix certi quidquam statui posse censeant (*c*). Ipso tamen communi etiam jure Potestas illorum restricta est: I. ex speciali delegatione cujusdam causæ a Papa facta; quia mandatum speciale derogat generali. c. 2. II. Relatione causæ a Legato ad Papam missa, ille judex esse cessat. c. 5. III. generali mandato vel delegatione non continentur ea, quæ specialem mentionem poscunt, ceu dividere, aut unire Episcopatus, transferre, vel deponere Episcopos etc. c. 3. et 4; nam hæc, aliaque istius generis *in signum privilegii singularis sunt tantum Summo Pontifici reservata* c. 4. IV. Legatorum potestas adstricta est ad provinciam legationis: si tamen hæc complectitur loca plura; in quovis jurisdictionem exercere possunt.

(*c*) Zech. de Hierarch. Tit. XXV. §. 286. cum citatis ibid.

§. 504. Specialia de potestate Legatorum sunt, I. Legati a latere a die egressus sui ex Urbe usque ad diem reditus in Urbem absolvere possunt quoscunque Clericorum percussores, ex quacunque provincia fuerint: c. 4. Legati vero missi qui non sunt a latere, provinciales tantum, non item extraneos ob excommunicationem alibi contractam absolvunt, ac dum ipsi sunt in provincia. c. 9. II. Legatus a latere licentiam dare potest Abbati in Episcopum electo, ut monasterium suum deserat, atque ad Ecclesiam transeat: idem *in provincia sibi decreta Archiepiscoporum, Episcoporum, et exemtorum electiones potest ex officio confirmare* (de jure communi); *alii autem Legati hoc ne-*

queunt, c. 36. de elect. in 6. III. Legatus a latere (non item alius, quantumcunque plenam legationem obtineat) cum Ordinario concurrit in conferendis beneficiis, atque etiam reservandis. c. 1. in 6. et c. 31. de præb. eod. Hæc facultas jure communi magnopere limitata jam est, uti patet ex c. 3. 4. et 5. in 6. c. 2. de præb. eod. In Germania autem ea uti non solent; ne vis inferatur Concordatis, quibus nec Pontifex derogare solet. IV. In causis contentiosis Episcopi judicant in *prima* instantia, non legati sive a latere, sive alii, nec isti procedunt contra Clericos, nisi Episcopo prius requisito, eoque negligente. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 20. de ref. De secunda instantia nil decretum est in Trid., sed tantum præcipitur, ut Legati ac Nuntii Apostolici perinde ac Patriarchæ, Primates, ac Metropolitani in appellationibus, quæ ab Episcopi judicio fiunt, recipiendis, servent formam ac tenorem præscriptum ab Innocentio IV. in c. Romana Ecclesia. 3. de appell. in 6. quæ res satis indicat, ab Episcopo æque ad Nuntios, ac Metropolitas appellari posse. Trid. Sess. XXII. c. 7. de ref. V. Statuta quorumcunque Legatorum, ordinaria jurisdictione præditorum, etiam durant post finitam legationem. c. fin.

§. 505. Potestas Legati per mortem Pontificis non exspirat. c. 2. in 6; sed I. finito tempore constituto arg. c. 4. de offic. Deleg. II. morte legati. III. Revocatione Papæ. IV. Egressu ex provincia legationis. c. fin. si nempe fit animo non redeundi, et concessu Papæ.

§. 506. De jure Summi Pontificis mittendi Legatos ac Nuntios in provincias, et ordinaria præsertim jurisdictione, seu facultatibus instructos ac stabiles statuendum: *Jus Pontificium mittendi*

Nuntios, eosque stabiles et facultatibus instructos ab eo, qui Primatum SS. Pontificum ex verbo divino scripto, traditoque profitetur, in dubium vocari nequit. Prob. D. Petro ejusque Successoribus cura et potestas universi regendi gregis a Deo commissa est. Cum hac potestate rectoria ex natura rei, tanquam medium necessarium ad finem, conjungitur jus mittendi viros idoneos, qui statum gregis proxime inspiciant, ad Summum Pastorem fideliter de eo referant, hæreses, schismata, scandala cohibeant, quæque sunt alia istius generis ad officium Summi Pastoris pertinentia. Perpetuus usus hujus juris, qui traditionem manifestat, ostenditur inde a Sæculo IV., ex quo pax ac libertas Ecclesiæ data est, usque ad Seculum XV. nostraque tempora. Adde formulam juramenti Episcoporum §. 333. et Extrav. un. de consult. int. com. in qua respondens Pontificio huic juri obligatio declaratur: consuetudo non recipiendi Apostolicos Legatos dicitur irrita: qui eos impediunt, excommunicationi, ac terræ ipsorum interdicto subjacent.

§. 507. *Objiciunt I.* cit. Extravagans, quæ incipit: *Ad regna*; uti etiam juramentum Episcoporum tantum pertinet ad Legatos *extraordinarios*, quos Pontifex *necesse habet interdum ex debito impositæ servitutis ad diversas mundi partes, prout necessitates emserserint, destinare*; uti ibidem dicitur. R. 1. Ea constitutio data est tempore, quo in Germania, in Gallia, et aliis locis *stabiles* aderant legationes Primatibus concessæ; quibus non satisfacientibus aliquando, necesse præterea fuit, extraordinarios legatos mittere. Ex verbis autem ipsius constitutionis ac mente Pontificis; sine discrimine mandatur Principibus, Nuntios recipere, quos ad quascunque partes pro causis

quibuslibet Sedes ipsa Apostolica miserit. Dein si Episcopi vi juramenti Legatos tantum transeuntes honorifice tractare et adjuvare debent; cur non item, si in diœcesibus commorantur, et populorum commodis inserviunt? ℟. 2. Extra Ordinem legatos in provincias mitti posse non negant, etiam jurisdictione instructos, Pontificio exercenda nomine; neque negare possunt omnino, nisi Pontificiam auctoritatem aperte velint tollere: quæro nunc igitur, quoties mittere istiusmodi Legatos liceat? quamdiu missis commorari in provinciis concedant adversarii? quid? si necessitas videatur poscere, ut sæpius mittentur intra Spatium temporis minime longi, utque morentur diutius; id quod usuvenisse novimus tempore Concilii Basileensis, ac posteriore dein, nempe Lutheri ætate? cujus arbitrio et necessitas illa mittendi, et mora in provinciis definienda erit? quantum juris dabunt Principi accersenti ad se Apostolicum Nuntium, et apud se retinenti? si semestri, si anno integro, si triennio retinere licet; cur non item stabiliter ac perpetuo? qua ratione, qua lege, qua juris auctoritate id vetabunt? At, inquiunt, obesse poterunt Legati stabiles auctoritati Episcoporum? Atqui poterunt etiam obesse, si extra ordinem, poscente necessitate, mittantur: si bimestri, si paucis commorentur diebus (*d*).

(*d*) In hunc modum disserit Auctor Expostulationis contra Auctorem libri: Solida Analysis controversiarum de Dispensationibus et Nuntiaturis. C. III. de Nuntiis Apostolicis.

§. 508. *Objiciunt* II. Episcopi *immediate* præsunt suis Diœcesibus: Papa mediate; supplere is potest defectum, si Episcopus suo desit officio. ℟. Papam *mediate* tantum præesse gregi Dominico, nec posse, nisi supplere defectum pastorum

inferiorum, apertissimus error est ex damnatis haustus auctoribus, nempe Marco Ant. de Dominis, Richerio, Febronio, Eubelio: error est, manifeste repugnans verbis et sententiis Christi Primatum instituentis in potestate S. Petro concessa: error repugnans traditioni et usui perpetuo: repugnans Concilio Oecumenico Lateranensi IV. ex cujus effato *Ecclesia Romana, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra. c.* 23. de privil. Si Papa immediatam et ordinariam potestatem in pastores subordinatos habet; eandem necesse est, ut habeat in subditos horum pastorum; quia Universorum Christi fidelium æque pater est, et Doctor: nihil enim in verbis Christi distinguitur, nihil excipitur. *Petro imperatum est*, inquit Bossuetus Serm. de unitate, *ut cuncta gubernaret, et pasceret omnes agnos et oves, filios et matres; et ipsos quoque pastores; pastores, inquam, si populi respiciantur: oves, si Petro comparentur.* Pasce agnos, inquit Christus, pasce oves: quidquid solveris: quidquid ligaveris: Tibi dabo claves regni cælorum. Quæro, quid Episcopi prius, quid immediatius, quid propius acceperint? Si officii Episcopalis est, ut proxime invigilent portioni gregis, eamque pascant; quid hoc potestati supremæ, universali, et ordinariæ Pontificum derogat, vel officit? nonne idem de parochorum officio dici potest? num potestas Episcoporum propterea non ordinaria, non immediata, ac cum potestate inferiorum concurrens censeri potest? *Officium* ad exercitium curæ pastoralis propius refertur: *potestas* ad habitum, ad originem, ad imperium sacrum.

§. 509. Objiciunt. III. Papa *solicitudinem* habet, universi gregis, ut inquit S. Leo; sed inde inferri non

potest, eidem competere regimen universi gregis.
℟. Verbum scriptum et traditum, ex quo impositam S. Petro ejusque Successoribus solicitudinem universi gregis inferunt, æque probat eorundem supremam et universalem atque immediatam potestatem universi regendi gregis; ejusmodi potestas esse non potest absque solicitudine universi; at solicitudo et cura alicui demandata intelligi potest absque potestate vera et rectoria; si nempe is, cui solicitudo demandata est, Superiorem habet, ad quem casus emergentes referat; uti fit in Archipresbyteris et Decanis ruralibus. Romanorum autem Pontificum est, non ad alios, tanquam Superiores, mittere relationes de ecclesiarum necessitatibus, sed relationes de iisdem ex universo orbe recipere.

§. 510. *Objiciunt* IV. Per Canones vetitum est *extraneo* Episcopo in negotia aliorum diœcesium se ingerere: Pontificalia ibidem exercere. Trid. Sess. VI. c. 5. de ref. Ipsa etiam Tridentina Synodus cognitionem causarum reservavit Episcopis. Sess. XXIV. c. 20. de ref. Respondet SS. D. N. Pius VI. in amplissima Resp. ad Metropolit. c. VII. n. 49. „ Non nisi per summam injuriam dici *ex-* „ *traneus* potest is, quem Apostolica Sedes dele- „ gavit, quique ejus vices obit, utpote quæ su- „ pra omnes Episcoporum catholicorum diœce- „ ses habet jus *ordinariæ* potestastis. “ Et ib. „ c. IX. §. 24. „ Constitutio Tridentini clara est „ quoad *Episcopos omnes*, ita, ut nequeat *alter* „ Pontificialia in *alterius* diœcesi exercere, nisi „ impetrata prius ab Ordinario venia. Sed con- „ stitutio hujusmodi ad solos *coercita* Episcopos, „ nil commune habet cum *Pontifice*, et *Pontifi-* „ *ciis Legatis*, qui illius vices funguntur. Ad Pon- „ tificem enim quod attinet, nulla diœcesis est

,, *aliena.* Sicut autem liceret Pontifici, quocunque locorum accederet, sine venia Ordinarii ,, pro libitu Pontificalia exercere; ita eodem jure ,, decorari possunt Apostolici Nuntii, non ut meri *Episcopi*, aut *Archiepiscopi*, sed tanquam ,, *Apostolicæ Sedis Delegati.* ,, Ceterum Apostolicum Nuntium appellare *extraneum* ne Febronius quidem ausus fuisset. Ait enim in opere de statu Ecclesiæ C. II. §. 10. *Papæ — incumbit cura, inspectio, et quædam superintendentia in omnes Ecclesias, adeo ut is nullibi quoad hoc potest haberi pro* EXTRANEO. Synodi Trid. Decretum agit de causis contentiosis, et quidem quoad primam *tantum* instantiam (§. 504. n. IV.), idemque, ut Decreta omnia Synodorum, vim habet a Pontificia confirmatione. Imo ipsa Synodus excipit non causas majores tantum, *quæ juxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandæ*, verum etiam illas, *quas ex urgenti, rationabilique causa judicaverit Summus Romanus Pontifex per speciale rescriptum Signaturae Sanctitatis Suae, propria manu subscribendum, committere, aut avocare*; id quod ordinariam atque immediatam RR. Pontificum Potestatem aperte indicat. Denique si ad evitandas litigantium fraudes isthuc in causis contentiosis constituendum judicavit et Pontifex, et Synodus, non id continuo ad Jurisdictionem voluntariam, aliaque istius generis extendi potest, quasi nemini liceret, mox ad Pontificem, ejusve Legatum petendæ gratiæ causa accedere. Unde merito animadvertit auctor Expostulationis diss. cit. pag. 115. Non est hæc solius Papæ, vel Episcoporum, sed *ovium* causa, quæ quidem separari se a Summo Pastore minime patientur; quippe, quæ norunt, non aliam ob causam magis inferiores Præsules a Christo institutos fuisse, quam ut ad Pastorem universi gregis

ab iisdem adducantur; neque accessum sibi ad Patrem et Doctorem communem intercludi sinent, aut a gratiis ejus recipiendis prohiberi (*e*).

(*e*) Quæ ab hostibus Apostolicæ Sedis contra Legatorum quorundam labes vitiaque ex antiqua memoria, ac sæpe impuris fontibus ad invidiam ejus sanctæ Sedis congeruntur, nec responsum mereri arbitror. Nimis enim depravati et malitiosi animi indicium est, silentio praeteritis tot insignibus emolumentis, quae ab eorundem legatorum indefessa opera, summa virtute ac sapientia in regna ac provincias collata sunt, pauculorum culpas, errataque lectoribus obtrudere.

TITULUS XXXI.

DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII

ARGUMENTUM.

I. Quis hic censeatur Ordinarius, et a quo officia Ordinariorum instituantur. §. 511. *II. Potestas ordinaria Papæ, cujus lateri assistunt Cardinales* §. 512. *III. Et Potestas ordinaria Episcoporum; utraque ex divina institutione* §. 516. *IV. Gradus medii sunt juris humani.* §. 526. *V. Potestas quasiepiscopalis* §. 529.

§. 511. In Rubrica hujus tituti vox *Judicis Ordinarii* latius sumitur de officio ejus, qui vi muneris sui, suoque nomine et jure, non vice alterius, ut delegati faciunt, præest in Ecclesia, et potestatem ordinariam exercet. Hinc in Sexto libro titulus simpliciter inscribitur *de officio Ordinarii*; id est, Papæ, cujus lateri assistunt Cardinales: de officio Patriarcharum, Archiepiscoporum, id est, Primatum, et Metropolitanorum, Episcoporum, aliorumque potestate quasiepiscopali præditorum; qui omnes nomine *Ordinarii* veniunt, ac speciales titulus in Jure non habent. De his nota: I. Agitur de potestate eorum in cau-

sis, quas norunt ut homines et Judices, non ut Deus, nempe ex sigillo Sacramentali. c. 2. h. t. II. Considerantur ut personæ singulares, vel tanquam morales, quales sunt Synodi et Capitula. III. Officium Ordinarii instituitur vel a supremo Principe, vel lege publica et canone vel consuetudine; inferiorum non est, contra jus creare novam formam Ordinariorum. Id quod commune est utriusque status tum Ecclesiastici, tum politici; quo pertinet Extrav. unic. Joannis XXII. de M. et O. In Ecclesiastico statu, in quo per canones, concordata, et longævam consuetudinem officia Ordinariorum constituta sunt, mutatio sine aliorum injuria a pastoribus subordinatis fieri non potest.

§. 512. Christus instituendo pastores, et rectores Ecclesiæ orsus est a Petro, tanquam fundamento, Capite, supremo Pastore, quem singulari ratione suum Vicarium nominavit cum potestate suprema, universali, ordinaria, ac plena. Potestas Successorum Petri, seu RR. Pontificum vere, proprioque sensu potestas est, nempe fundata in Primatu non meri ordinis, honoris, directorii, sed Primatu auctoritatis, ac Jurisdictionis, conjunctæ cum vi obligandi pro utroque foro, ac pœnis appositis cogendi; eaque dicitur *suprema*, quia supra omnes Ecclesiæ potestates ita eminet, ut nulli illarum subjiciatur; quod de quavis Ecclesia particulari etiam integræ nationis ita certum est, ut a nemine catholicorum in dubium vocari possit. Opinionem de Conciliis œcumenicis Papa superioribus etiam extra casum schismatis vel hæresis seculo XV. rebus maxime perturbatis ortam Scriptores quidam nostræ ætatis sibi et aliis persuadere tanto ardore nituntur, ut in-

cidere videantur in propositionem 29. ab Alexandro VIII. an. 1690. damnatam (*a*).

(*a*) Confer. ex J.E.P. §. CCCLVIII. pag. 725. et dicta in Isagoge. §. CXVIII.

§. 513. Eadem potestas Romanorum Pontificum dicitur *Universalis* et *Ordinaria* relate ad omnes diœceses, personas, causas, relate ad oves et pastores subordinatos, nulla ut exemtio a potestate et Jurisdictione Papæ habeat locum, ac ut nullibi tanquam Episcopus *exterus* spectari possit (§. 510.). Dicitur denique *plena*, quæ continet omne genus potestatis, quæ a Christo in Ecclesiam collata est; nec tamen est potestas *sola*, neque excludit divinam institutionem potestatis Episcopalis; ac præterea limites habet ex ipsa natura Primatus Ecclesiastici, ex generali moderationis lege a Christo præscripta, et denique ex fine; quia in ædificationem, non destructionem instituta est (*b*).

(*b*) J.E.P. §. CCCLIX. pag. 729. Confer. dicta §. 370. de supplenda negligentia Prælatorum. Sine dubio supplet supremus Pastor inferiorum defectus; sed ex officio, et plenitudine potestatis supplet, non ex canonum dispositione; quam enim novæ spiritualis potestatis particulam per Canones accipere potuit is, qui a Christo accepit plenitudinem potestatis? Ob quam ipsam caussam non maligna tantum, atque ad deprimendam Vicariorum Christi potestatem excogitata, sed per se ipsam absurda est distinctio inter jura Papæ primigenia, et adventitia, essentialia et accidentalia. Exercitium potestatis e.g. circa reservanda peccata recens esse potest, aut accidentale dici; sed jus reservandi, cum, teste Concilio Tridentino, in suprema RR. Pontificum potestate fundetur, omnino primigenium est, et essentiale; nisi etiam inter jura Generalium Conciliorum alia primogenia et essentialia, alia vero adventitia et accidentalia velis dicere; eoquod a posterioribus Synodis constituta quædam, et decreta fuerint, de quibus nullum in antiquioribus extat vestigium. Conf. de hac re Isagogen. . CXCVII.

§. 514. *Veniamus ad Collaterales, et Coadjutores tuos*, inquit S. Bernardus ad Eugenium P. III. (*c*). *Hi seduli tibi, hi intimi sunt; quam ob rem, si boni sunt, tibi potissimum sunt: si mali, æque plus tibi.* Nomen ductum videtur a *cardinibus*, nempe titulis perpetuis, quibus aliquis Clericus fuerat addictus. Frequenter ea voce usus est S. Gregorius M. quando Clericus ad certum gradum, servitiumque ordinatus ad aliam Ecclesiam, cui eodem deserviret gradu, canonice translatus est, in hac Ecclesia dicebatur *cardinari.* can. 5. dist. 71. et ibi correctores Romani. Sed origo ac dignitas Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium altius repetenda est. Habebant antiquissimis temporibus singuli Episcopi suum *Senatum*, sive *Presbyterium*, ex Presbyteris et Diaconis compositum, cujus consilio et opera in regimine Ecclesiæ adjuvarentur; quod palam fit ex epistolis authenticis S. Ignatii Martyris. Uti Ecclesia Romana præ aliis Ecclesiis particularibus, ita ejusdem Senatus præ aliis Presbyteriis, dignitate, et juvando regimine universæ Ecclesiæ semper eminuit; cum ii Presbyteri et Diaconi essent *nobilissimæ partes, et præcipua membra* Romanæ Ecclesiæ, ut inquit Sixtus V. in Const. *Postquam verus.* S. Cornelius ad Cyprianum scribit: *Omni igitur actu ad me perlato placuit contrahi Presbyterium* (*d*). Cum post mortem S. Fabiani Papæ circa an. 250 Sedes Apostolica integro anno vacaret, Presbyteri et Diaconi, reipsa Cardinales Ecclesiæ Romanæ, gravissimas ad S. Cyprianum et Clerum Carthaginensem dederunt literas, quæ, ut S. Cornelius postmodum creatus Papa testatur, *per totum mundum missae sunt, et in notitiam Ecclesiis omnibus et fratribus perlatae sunt* (*e*). Addit Constantius de his literis: Et sapientiam quidem spirant primo Ecclesiæ Clero dignam. *Is nem-*

pe (Clerus Romanus) *nimio potestatis suae studio minime percitus*, *Episcopos vicinos ac remotos*, *qui Romae aderant*, *secum vocare*, *eorumque consilio uti non dedignatur.* (*f*). Initio ergo Romæ non alii erant, quam Presbyteri et Diaconi Cardinales; his accesserunt postea Episcopi viciniores, Lateranensi Basilicæ adscripti: qui tamen suo non desunt muneri Episcopali. Numerus Cardinalium olim incertus erat, ac varius; nunc ex cit. constit. Sixti V. septuaginta esse debent exemplo 70. Seniorum, quos Moyses assumsit. In hoc numero sunt, *Episcopi Cardinales sex*; quorum Ecclesiæ sunt 1. Ostiensis et Veliterna inter se unitæ. 2. Portuensis, et S. Ruffinæ, seu Silvæ candidæ, itidem unitæ. 3. Albanensis. 4. Sabinensis. 5. Tusculana. 6. Prænestina. Dein *Presbyteri Cardinales quinquaginta* : *et Diaconi Cardinales quatuordecim.*

(*c*) De Consideratione lib. IV. c. 5. p. 120. edit. Romanæ an. 1594.
(*d*) Coustant. Epist. 6. S. Cornelii n. 2. Col. 136.
(*e*) Ibid. Epist. 10. col. 161.
(*f*) Coust. ib. in notis.

§. 515. Officia Cardinalium tum *propria* sunt; quia in titulis suis ampla gaudent jurisdictione in iis, quæ ad eorum spectant servitium; tum *communia*, adjuvando Summum Pontificem in administranda, regendaque universa Ecclesia. c. 17. de Elect. in 6. Conc. Trid. Sess. XXV. c. 1. de ref. quod in Consistoriis secretis, et publicis, et congregationibus tum ordinariis, tum extraordinariis maxime præstant: obeunt præterea legationes a Latere: Sede Papali vacante valde restricta potiuntur potestate. c. 3. de Elect. in 6. et Clem. 2. de Elect. Præcipuum eorum munus versatur in deligendo novo Pontifice. c. 6. de elect. in 6. (§. 377.).

§. 516. A Summo pastore descenditur ad Subordinatos, nempe Episcopos Diœcesanos, qui honori sibi ducunt profiteri subjectionem erga S. Petrum, ejusque Successores, uti Bossuetus inquit in Serm. de unitate. Est autem potestas Episcopalis divinæ pariter istitutionis, perinde ut Primatus Episcopi Romani; nam gradus intermedii Jurisdictionis ex Jure Ecclesiastico humano profluunt, ordinis causa, faciliorisque communicationis singulorum orbis Episcoporum cum Capite Universorum introducti, et pro temporum ratione variabiles. Est autem.

§. 517. I. Episcoporum potestas *adstricta ad diæceses*; quia extraordinarium Apostolorum jus ubique prædicandi, baptizandi, fundandi Ecclesias ad ipsorum Successores Episcopos non transiit (conf. J. E. Publ. §. 331. nota a. et 344.) Ipsi Apostoli Episcopos a se institutos affixerunt certis Sedibus, uti patet in Tito, Timotheo, et majoribus natu, quos S. Paulus Ephesi instituerat, indeque Miletum ad se evocavit (Act. XX.); in septem Angelis, seu Episcopis Asiæ, de quibus S. Joannes in Apoc. agit C. I. in fin. et C. II. et III. Adde can. Apost. 34. et Trid. Sess. VI. c. 5. de ref. Porro assignatio subditorum, certarumque sedium, limitum item diœceseos determinatio non ex jure Divino, sed Ecclesiastico humano profecta est.

§. 518. Eadem Episcoporum potestas divino jure *adstricta est ad servandam unitatem catholicam* id est, ad consensionem in fide et communione cum Successore Petri, tanquam centro ejusdem unitatis; adeoque est potestas subordinata et subjecta Pontificiæ potestati; ex qua subjectione per se, atque ex natura rei consequitur,

potestatem Episcoporum restringi *primo* legibus generalibus Ecclesiæ; quas obtentu temporalis commodi violare non debet Episcopus, c. 5. de M. et O. et contra quas statuere nihil potest c. 9. eod. *Secundo* per causas majores, sive illas, *quæ juxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandæ*, Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 20. de ref. *Tertio* specialibus avocationibus causarum (Trid. ibid.), reservationibus, et exemtionibus.

§. 519. II. Hac salva subjectione et subordinatione Episcopus suprema potestate universam regit Diœcesin; omnesque Diœcesanos, Laicos, Clericos et Regulares sibi subjectos habet (*g*): dispensat in votis, tanquam legibus particularibus: absolvit ab omnibus peccatis: confert omnia beneficia; quæque sunt alia generis istius, ad quæ dicitur habere *intentionem fundatam in jure*, donec ostendatur lex generalis, aut specialis reservatio, exemtio, præscriptio, consuetudo, aliave legitima exceptio. Hinc si Ecclesia, sita in aliquo Archidiaconatu, erigitur in Cathedralem, ea per se a Jurisdictione Archidiaconi eximitur c. 16. de M. et O. ibi: *Archidiaconus in tantam prorupit temeritatis audaciam, ut in Episcopum ibi consecratum, et ecclesiam suam jurisdictionem exercere præsumat.*

(*g*) Presbyteros potestate Ordinis et Jurisdictionis inferiores esse Episcopis, dogma catholicum est. De qua re ultimis hisce annis Episcopi Galliæ constantia et magnificentia Episcopali et protestati sunt, et scripserunt contra Presbyteros vicarios cum potestate a se independente sibi adjunctos. Can. Apost. 30. ejusmodi Presbyter, qui proprium aspernatus Episcopum seorsim conventicula egerit, — tanquam qui principatum ambiat, Tyrannus dicitur.

§. 520. IV. Ex divina institutione potestatis Episcoporum, eorumque divinitus stabilita adhæsione ad catholicam unitatem, quam S. Cyprianus *glutinum Sacerdotum*, Tertullianus vero *contesserationem* appellat, infertur *primo*, Episcopos in suis quemque diœcesibus residentes, adeoque extra Concilium etiam generale, efficere unum corpus, et unum quodammodo Episcopatum, uti S. Cyprianus ait. *Secundo* eosdem, quantumvis diœcesibus adstrictos, dum communi adhærent Ecclesiæ Capiti, et unitatis Centro, repræsentare universam Ecclesiam, perinde ac in Concilio generali; unitas enim loci ad rem nil confert. *Tertio*, hoc sensu et consensu cum Capite Ecclesiæ Episcopi participes sunt *regiminis universæ Ecclesiæ*, eidemque potestate sua consulunt per consensum in dogmaticas definitiones, per judicia de fide ac moribus, legesque et ritus universe receptos.

§. 521. Amplissima potestas Episcopalis distincte intelligitur ex objectis, quæ attingit, iisdem prope, in quibus Apostoli sua usi sunt potestate. J. E. P. C. III. a §. 332. Prima Episcopi cura sine dubio est conservare in grege sibi commisso puritatem fidei, et morum, atque unitatem catholicam, tum in obeundo per se et adjutores suos pastorali munere, celebratione divini Sacrificii, administratione Sacramentorum, aliisque publicis rite peragendis Religionis operibus. Huc spectant decisiones juris: I. Episcopus judicium et auctoritatem interponit, si Canonici cessare volunt a divinis c. 13. §. 1. X. c. 2. et 8. in 6. II. Providet de viris idoneis pro officio prædicationis, audiendis confessionibus, et injungendis pœnitentiis c. 15. III. Præsertim si in Diœcesi sint populi diversarum linguarum. c. 14. IV. Quando Episcopo in certis casibus competit abso-

latio ab excommunicatione canonis, non necessario per se eam impertit, sed potest eandem aliis committere. V. Negligentiam inferiorum Prælatorum Episcopus supplet ex officio ordinario (§. 370.).

§. 522. Alterum caput Episcopalis muneris situm est in Clero universo non modo ordinando, et præficiendo, sed singulari etiam solicitudine custodiendo, coercendo, et si opus sit, corrigendo. Clem. 1. h. t. Neque Clericus ob eam causam, quod Ordines acceperit a Papa, ab Episcopi jurisdictione eximitur. c. 7. de M. et O. Si tamen Clericus administratione careat, juratam Episcopo obedientiam profiteri non tenetur. c. 3. de M. et O. Quando Episcopus monasterium sibi subjectum visitat, cavet, ne monasterium infamet, et seculares secum introducat. c. 17. h. t. Præcipue inquirit in illos Clericos, qui plures dignitates vel beneficia curata tenent prætextu Apostolicæ dispensationis. c. 3. in 6. Collatio tamen beneficii facta ei, qui de priori, quod habet, mentionem non fecit, valida est, præterquam si ea collatio fiat a Legato Apostolico, vel per rescriptum Papæ. Clem. 2. h. t. Episcopus enim id nosse potest, ac mederi debet.

§. 523. Tertium caput Episcopalis officii consisti in cura temporalium bonorum Ecclesiæ, quo pertinet administratio bonorum Ecclesiæ vacantis. c. 4. h. t. cavet autem Episcopus a suspicione avaritiæ, et a quæstu, aliove gravamine in pœnis imponendis. c. 13. §. 2. Eodem referri debet Synodaticum seu Cathedraticum, et jure veteri quarta decimarum et mortuariorum: procurationes item et subsidium caritativum, præter alia Episcoporum jura; de quibus fit mentio c. 16. h. t.

ageturque ad titulum de censibus. C. 18. h. t. fit mentio de lege diœcesana et lege jurisdictionis. De eadem lege diœcesana agitur c. 22. de Regularibus. et c. 1. de V. S. in 6. Sciendum, Monachos, eorumque monasteria pluribus seculis fuisse subjecta juri Episcoporum; ac primum a Gregorio M. ipsos fuisse exemtos, quoad electionem Abbatum, solutionem Cathedratici, et Decimarum (*h*). Glossatores dein ea exemtionis capita, in quibus Monachi a potestate Episcoporum erant immunes, retulerunt ad *legem diœcesanam*: reliqua vero omnia ad *legem jurisdictionis.*

(*h*) Thomassin. P. I. L. III. c. 30. et seq. Ejusmodi privilegia non nulla indicantur can. cum pro utilitate 34. XVI. q. 1. can. quam sit necessarium. 5. XVIII. q.2. can. Luminoso. 6. ibid. Conf. Benedict. XIV. de Syn. diœces. lib. 1. c. IV. n. 5.

§. 524. Quartum caput Episcopalis muneris refertur ad modum regiminis diæcesani exercendi: unde Abbates et Sacerdotes lege diœcesana subjectos ad Synodum venire per censuram compellit. c. 9. de M. et O. Nihil tamen in Synodo contra canones potest statuere. Ibid. Obedientiam suis Decretis præstandam etiam inflicta excommunicatione extorquet. c.2.de M.et O. Libere inquirit in scelera, de iis judicat secundum canones *absque impedimento alicujus*: et cum opus fuerit, invocat brachium seculare, *non ad præjudicandum, sed potius ad ea, quæ Deo sunt placita, prosequendum.*c.1. h.t. Quovis *diœeseos suae* loco pro tribunali sedere potest, et exequi ea, quæ ad ipsius spectant officium. c. 7. in 6. Clericorum excessus sic corrigere jubetur, ut et ipsi metu pœnæ coerceantur, et alii pertimescant. Clem. 1. h. t. Etsi mandato Papæ procedat ad executionem officii sui, per hoc tamen non fit Delegatus

Papæ, sed proprio censetur jure procedere. c. 12. h. t. Quia tamen Papa aliorum juribus, nisi id exprimat, derogare non præsumitur; hinc jussus a Papa corrigere Clericos suæ diœcesis, jurisdictionem in exemtos ob id mandatum non acquirit c. 19. eod. Quomodo suppleat Ordinarius negligentiam inferiorum Prælatorum, dictum est §. 372.

§. 525. Intermedii inter Summum Pontificem, et Diœcesanos Episcopos gradus sunt Patriarchæ et Exarchi, Archiepiscopi Primates, et Archiepiscopi Metropolitani. Sunt quidam in Italia Archiepiscopi, unicum habentes Suffraganeum, alii nullum plane; meri honoris titulum ex privilegio Apostolico nacti, exemplo Synodi Nicænæ, quæ Episcopo Aeliæ, sive Hierosolymæ jus metropoliticum, sed meri honoris contulit. c. 7. dist. 65. Eadem honoris prærogativa a Concilio Chalcedonensi insignitus fuit Episcopus ejusdem civitatis Chalcedonensis Act. VI. et Episcopus Nicænus Act. XIII. De dictis gradibus universe notandum: I Quod in canonibus definitum est, *Primates vel Patriarchas nihil juris præ ceteris habere, nisi quantum sacri canones concedunt, vel prisca illis consuetudo contulit ab antiquo: ita ut secundum Nicœnas regulas sua privilegia serventur Ecclesiis, præterquam si Apostolica Sedes antiquam Ecclesiam vel Rectorem ipsius, quolibet speciali privilegio decreverit honorare.* c. 9. h. t. II. Hoc sensu inter Sedem et Sedentem, inter antiqua privilegia Sedium, et merita Sedentium recte distinguitur. *Etsi enim diversa non nunquam sunt merita Præsulum; jura tamen permanent Sedium*, ut ait S. Leo epist. 119. edit Ballerin, III. De juribus et privilegiis Sedium inhærendum est consuetudini inve-

teratæ, neque existat perturbatio et justa querela; hinc deciditur, nihil novi in causa subjectionis et obedientiæ attentari debere, possessore vel reo non citato. c. 8. de M. et O. et juxta rubricam c. fin. eod. compositio super jure Primatiæ ab uno solo, cujus interest, impediri potest.

§. 526. Patriarcharum jus ac potestas per plures provincias, adeoque supra Metropolitas, prius invaluit, quam nomen Patriarchale, quo insigniuntur. Origo repetenda est a Sedibus Petri, quas vel ipse fundavit per se, uti Romæ et Antiochiæ in Oriente, vel per discipulum suum Marcum, ceu Alexandriæ in Aegypto. Hæ quippe Ecclesiæ a B. Petro fundatæ sunt, et veraciter pro Patriarchalibus habendæ (*i*): accessit Patriarcha Constantinopolitanus, refragante diu Apostolica Sede, et Hierosolymitanus; quarum Sedium prærogativæ renovatæ sunt mutato ordine ab Innocentio III. c. 23. de privilegiis. Posteriore ævo Patriarchæ titulus concessus fuit quibusdam Primatibus, non aucto Primatum jure; tales sunt Patriarcha Venetus, Indicus, Lusitanus. Nicolaus I. Archiepiscopo Bituriensi, Aquitaniæ Primati titulum Patriarchalem concessit; quo spectat can. 8. IX. q. 3. Alii ex ruinis orientalium Patriarchatuum enati sunt, uti Armenorum, Cophtorum, Ruthenorum.

(*i*) Thomass. P. I. L.I. c. 7. a. n. XI. Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum. c. 9. 2.

§. 527. *Exarchi* Patriarchis inferiores, aliis dignitate superiores Sæculo IV. dicti sunt, qui diœcesibus, id est, districtibus plurium provinciarum, præerant. In Concilio CLno I. can. 2. nominantur diœceses Asiatica, Pontica et Thraciæ, quibus præerant Exarchi Ephesinus, Cæsareensis, et Heracleensis. *Primates* dicti sunt fe-

re, qui primas Sedes Episcopales in aliqua natione obtinent; quos Romanus Pontifex olim Vicarios habuit. Plures sibi id nomen competere putarunt, quando nulli Metropolitæ erant subjecti, etsi nec ipsi aliquem subjectum haberent. In Africa Primates dicti sunt, qui reliquis unius provinciæ Episcopis præerant (uti locis aliis Metropolitani) non dignitate civitatis, sed ordinationis ætate. Omnibus dein præeminebat Archiepiscopus Carthaginensis. *Archiepiscopi* quondam dicti sunt, qui plures sub se habebant Metropolitanos. Nov. 11. Sunt quidam *Archiepiscopi* Primates, alii Metropolitani, alii nomine et honore (§. 525.) *Metropolitani* dicti ab urbe Metropoli provinciæ, in qua residere jussi sunt, qui Episcopis ejus provinciæ præerant. can. 2. IX. q. 3. Sed mutata civili partitione visum non est Summis Pontificibus ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, ut ajebat Innocentius I. can. 1. dist. 10.

§. 528. De juribus et officiis Metropolitarum præcipuæ decisiones sunt hæ: I. Suffraganeos Metropolitica lege sibi subjectos habent. c. 11. h. t. II. Non tamen præter canones insolitum obedientiæ juramentum ab eis possunt exigere; secus Clerus Diœcesanus juste appellat. c. 13. de M. et O. III. Quæ regiminis sunt diœcesani, Episcopi sua potestate arbitrioque disponunt; extra ordinem *nil quidquam facere aggrediantur sine Metropolitani, nec ipse sine reliquorum sententia.* can. 1. et 2. IX. q. 3. IV. Episcopi non tenentur pro veteri more accedere ad Ecclesiam Metropolitanam, nempe extra Concilium provinciale, nequidem per procuratorem. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 2. de ref. V. In subditos Suffraganeorum Metropolita nullam potestatem habet, nec

invitos compellere potest ad suscipiendas delegationes causarum, quæ ad ipsum per appellationem devolutæ sunt. c. 11. h. t. nisi extirpanda sit exitialis quædam consuetudo, quæ altius, latiusque per totam provinciam radices egerit. c. 11. de fil. Presb. c. 3. de institut. c. 36. de Simonia. VI. Ad Metropolitanum spectat, Concilium provinciale singulis saltem trienniis convocare. Trid. Sess. XXIV. c. 2. de ref. De appellationibus ad Metropolitas, ac de eorum visitationibus agetur alio loco. De supplenda ab ipsis negligentia dictum est §. 373. seq.

§. 529. Prælatorum, qui sunt infra Episcopum, et Ordinarii nomine aliquando veniunt, tres species distinguit Benedictus XIV. de Syn. Diœc. lib. II. c. X. *Prima* est eorum, qui certo præsunt generi personarum, existentium intra septa alicujus Ecclesiæ, Monasterii, seu Conventus, cum passiva exemtione a jurisdictione Episcopi. Ejusmodi sunt Superiores regulares, et nonnulli Prælati seculares, qui una cum Ecclesia, ejusque Ecclesiæ Clericis et administris, quibus præsunt, immediate Romano Pontifici subjiciuntur. *Secunda* species est Prælatorum, habentium jurisdictionem activam in Clerum, et populum in certo loco, qui tamen locus est intra Episcopi Diœcesin, a qua undique circumscribitur. Ejusmodi Prælati improprie tantum, et late dicuntur esse *Nullius*. *Tertia* species est Prælatorum, qui jurisdictionem activam habent in Clerum et populum alicujus locis seu oppidi, aut plurium locorum, et oppidorum, quæ omnino evulsa et separata sunt a cujuslibet Episcopi diœcesi, quapropter dicuntur constituere quandam *quasi diœcesin*; ubi Prælatus, iis exceptis, quæ sunt Ordinis Episcopalis, omnia exercet, quæ ceteroquin

ad Episcopalem jurisdictionem pertinent; dicuntur vere et proprie *Nullius*; et veris annumerantur locorum Ordinariis (*k*).

(*k*) Caute distinguendas esse has species, et veluti gradus jurisdictionis ordinariæ in Prælatis inferioribus, distincte docet Benedictus XIV. constit. 76. Apostolicæ servitutis. T. I. Bullar. et const. 53. Inter multa. T. II. Bullar.

TITULUS XXXII.

DE OFFICIO JUDICIS.

ARGUMENTUM.

I. Officium judicis aliud nobile, aliud mercenarium dicitur. §. 530. *II. Judex litiganti providere de advocato aliquando debet.* §. 531. *III. Imploratio officii judicis sæpe fieri debet cum contestatione litis.* §. 532.

§. 530. Judex est persona publica, ad id ordinata, ut secundum leges, et consuetudines locorum jus dicat, nempe ex officio, quod duplex est, Nobile, et Mercenarium. Ex *officio nobili* procedit judex *primo* si non adactus a partibus, non rogatus, *motu proprio* quidquam facit. e. g. inquirendo in crimina; *secundo* si ad *implorationem partis*, actionem non habentis, procedit. Actio supponit jus ex parte agentis, et debitum seu obligationem ex parte ejus, contra quem agitur. Princ. Inst. de Act. At qui judicis officium implorat, jus proprie non prætendit, sed æquitatem, ob quam judex succurrere potest, et aliquando debet, velut si pars litigans petit advocatum, minor læsus restitutionem in integrum, filius alimenta a patre, condemnatus restitutionem ob errorem facti. Hæc officii imploratio est remedium extraordinarium; quod non competit, nisi cum ordinarium actionis remedium deficit.

arg. I. in causæ. 16. D. de minorib. *Officium mercenarium* est, quod actioni deservit, aut vi cujus judex ad instantiam partis, actionem proprie dictam proponentis, facit ea, quæ juris sunt; non enim judex se immiscet litibus non imploratus, nisi bonum publicum exposcat (*a*).

(*a*) Elegans in hanc rem est commentatio viri clariss. Zech de Judiciis Eccl. Sect. I. Tit. III. §. 33. „ Hæc divisio officii nobilis et mercenarii videtur pertinere ad reliquias veteris juris formularii; ubi judices a Praetore dati ex certa formula, a cujus vocibus vel syllabis abscendere piaculum erat, jus dicebant, — In illis causis, ubi absque violatione SS. Canonum, aut honestatis publicae, de mere temporali privatorum commodo agitur, facile concedo, quod judex officium suum pro suscitanda lite interponere non debeat, nisi interpellatus; cum partes suo juri renuntiare possint, et clerici ex decentia saepe debeant ex monito Apostoli. At vero si lis introducta, et auctoritas judicis pro ea definienda jam implorata est; vix tolerandum, multo minus praecipiendum videtur, ut judex pendente lite injurias continuari, tempus litis prolongari, variis artibus innocentem simplicitatem circumveniri, quiete et somnolenter aspiciat, donec ad singulos actus judiciales clamore partis oppressae excitetur, et ad fungendum munere suo compellatur. Consonat can. 11. XXX. q. 5. — Communi. regula, quod judex non interponat officium, nisi requisitus, varias patitur limitationes, scilicet si concurrat favor publicae utilitatis; — si agitur de causis piis et privilegiatis alimentorum, dotium, piorum legatorum, personarum miserabilium etc. si sint personae, quae nesciunt, aut nequeunt ipsum officium implorare, quales sunt pupilli, absentes, pro quibus judex ipse tenetur supplere; fallit etiam in iis, quae sunt nota judici, ut judici, quae scilicet constant ex actis; aut quae sunt juris; aut ubi aequitas id exigit, aut quando judex interponit officium suum ad concordiam partium inducendam.“

§. 531. Secundum dicta et adnotata deciditur c. 1, h. t. Si pars litigans idoneum advocatum ha-

bere non potest ob paupertatem, adversarii potentiam, aliamve causam, judex sive ordinarius sit, sive delegatus, ex officio illi providet, etiam de domo sua, aut familiaribus. Adde l. 1. §. ait Prætor. 4. D. de postulando. l. providendum 7. C. eod. ubi attendere jubetur judex, ne pro una parte peritissimi advocati sint, pro altera rudes, aut minus versati.

§. 532. Deciditur. c. 2. Si officium judicis principaliter imploratur *contra certam personam*, et *necessaria sit cognitio causæ*, tum post exhibitum libellum fieri debet litis contestatio. Hæ conditiones non adsunt, si minor petat se restitui ex adita hereditate. Auth. si omnes. C. Si minor ab hered. abstin. vel in causa notoria, si filius a patre alimenta petat. l. nequidquam. 9. §. de plano. 3. D. de officio Procons. In his opus non est contestatione litis; uti nec tum, si officium judicis ante vel post litis ingressum incidenter imploratur, e. g. si advocatus a judice dari, aut ab adversa parte amoveri petatur; aut si allegetur error facti, per quem necessaria probatio intermissa est. c. 3. de in int. restit.

TITULUS XXXIII.

DE MAJORITATE, ET OBEDIENTIA.

ARGUMENTUM.

I. Gradus in Ordine et Jurisdictione generatim spectantur. §. 533. II. Ex iis pendet forma status Ecclesiastici. §. 534. III. Est jus quoddam ceremoniale Ecclesiasticum. §. 535. seq.

§. 533. Concluditur hoc titulo tractatio de *Jure personarum*, quarum *Hierarchia* gradus con-

tinet Majorum, et subditorum, Imperantium, et obtemperantium. Christus in Apostolis et pastores instituit, et rectores; cura pastoralis requirit sacros Ordines: potestas rectoria jurisdictionem; hinc duplex distinguitur Hierarchia, *Ordinis*, et *Jurisdictionis*. I. In Hierarchia Ordinis a gradu infimo *ascenditur* ad culmen Sacerdotii (§. 382. seq.): in Hierarchia Jurisdictionis a Summi Pontificatus apice *descenditur* ad infimum gradum eorum, qui jurisdictionem habent in foro tantum interno vel ex officio, vel ex delegatione II. Uti in Ordine gradus superior non tollit inferiorem, sed elevat; sic in Jurisdictione, quia Episcopus est, idem eminenter parochus proprius: qui Metropolita, idem et Episcopus in sua diœcesi: qui Primas, idem et Metropolita, et Episcopus: qui Patriarcha, idem et Primas, et Metropolita, et Episcopus: qui Summus Pontifex, seu Pastor universalis, supremus et ordinarius, idem Patriarcha totius Occidentis; Primas Italiæ, Metropolita provinciæ Romanæ; Episcopus diœceseos Romanæ: denique Princeps, supremo temporali in Pontificio statu præditus imperio. Neque enim principatus sacer et temporalis, baculus pastoralis aut pedum, et gladius inter se pugnant; quod contra Wiclefitas et Hussitas definitum est. III. Gradus Ordinum inferiorum instar viæ et præparationis, probationisque ad majores Ordines suscipiendos hodie potissimum observantur; voluit tamen S. Concilium Tridentinum, ut eorum exercitium publicum, quantum fieri potest, in usum revocetur. Sess. XXIII. c. 17. de ref. IV. Valor actuum Ordinis utique a materia et forma pendet (§.399.). Legitimus tamen, et licitus usus potestatis Ordinum legibus subjacet; nec dici potest cum Febronio, quod Jurisdictionem Episcopalem ab Ordine separare, *dilaceratio sit Episcopalis di-*

gnitatis, a Christi instituto aliena, easque dissociare et inter se quodammodo discindere sit piaculum. Fieri enim honeste potest, ut quis Episcopatui cedat; ac tum jurisdictio, cui cedens renuntiat, sejungitur ab Ordine. Patres Nicæni et Africani Episcopos a schismate redeuntes ad catholicam unitatem in gradum simplicis presbyterii receperunt. Depositione character et potestas Ordinis non extinguitur; at jurisdictio penitus aufertur.

§. 534. Cognita adcurate Hierarchia, ejusque gradibus distincte exploratis *de forma Imperii, et Status Ecclesiastici* primum inquiri, ac decidi potest (§. 85.) hoc modo: I. Subjectum potestatis Ecclesiasticæ generatim est Clerus, inde a primis Ecclesiæ temporibus distinctus a laicis. II. In Clero Episcopi jure divino Presbyteris majores sunt potestate Ordinis et Jurisdictionis: Presbyteri ministris. III. Potestas publica et rectoria in Ecclesia divino jure competit Episcopis: in Episcopis divino jure eminet Romanus, nempe Successor S. Petri, non Ordine, sed auctoritate, potestate, jurisdictione suprema, universali, et ordinaria. IV. Episcopi divino jure adstringuntur ad servandam cum Successore Petri consensionem in fide, communionem caritatis, subjectionemque: Successor autem Petri vi primatus eos ad id obligare, aptisque mediis compellere potest; in quo eadem vis et ratio Primatus maxime sita est. V. De clavibus Ecclesiæ, quatenus maxime respiciunt potestatem publicam et rectoriam, recte dicitur: *Datæ sunt uni, et unitati*; neque propterea dispar aut duplex subjectum clavium concipi debet; quia *unus non excludit unitatem*, imo hanc attrahit, sibique adstringit, ac divina curante Providentia semper adhærentem habet in magno saltem Episcoporum numero; et *quia unitas* (Episcoporum)

includit unum, nempe Successorem Petri, tanquam centrum unitatis; Christus enim Ecclesiam non fecit acephalam, sed ei suo nomine præfecit caput visibile. VI. Hinc *forma Status Ecclesiastici* dicenda est *monarchica temperata per Aristocratiam limitatam*. Conf. J. E. P. §. 362. pag. 759.

§. 535. Præter Ordinis et Jurisdictionis potestatem in Hierarchis, seu Episcopis, eorumque Vicariis, Officialibus; Delegatis, et universo Clero distingui oportet certos *gradus honoris*, et prærogativas aliorum præ aliis. Hæ sitæ sunt 1. in insignibus dignitatis: 2. in titulis honoris: 3. in certis ritibus, quibus honorantur præ aliis tum in obeundo divino cultu, tum extra Ecclesiam: 4. in proœdria, seu jure præcedentiæ. Atque in his maxime situm est *jus ceremoniale sacrum*; quod spectatur tum in singulis personis physicis, tum in moralibus, sive in corporibus, in quæ divisa est Hierarchia Ecclesiastica, quasi concretive spectata.

§. 536. Dices. Hoc jus ceremoniale ambitionem sapit, et fastum nutrit. ℞. Haud quaquam per se; sed fortassis hominum vitio; alias etiam Hierarchia cælestium Ordinum, graduumque, cujus exemplum et imitationem Ecclesiastica Hierarchia refert, ambitionem saperet, imo ad præcavendam æmulationem, ambitionemque privatorum debuit introduci ordinis et proœdriæ lex. Omnia enim honeste et ordine fieri debere, primis Ecclesiæ temporibus docuit Paulus. I. Cor. XIV. 40. conf. Gratianum can. ult. dist. 89. et dist. 93. per tot. Idque in omni regimine necessarium est. arg. tit. *Ut dignitatum ordo servetur* in cod. Theod. I. VI. tit. V. in Justinian. I. XII. tit. VIII.

§. 537. Regulæ de proœdria sunt : I. Si unus Ordo cum alio concurrit, ac neutri adhæreat jurisdictio, vel in considerationem non veniat, Ordo major præfertur minori. c. 15. h. t. can. 14. dist. 93. II. Si par utrobique est Ordo, spectatur ætas ordinationis. c. 1. h. t. can. 7. dist. 17. Trid. Sess. XXIV. c. 2. de ref. nisi agatur de eo, qui fuerit ordinatus a Papa. c. 7. h. t. junctis c. 7. et 12. de præb. in 6. III. Si et Ordo et jurisdictio æqualis, senior præfertur juniori, nisi inæqualia sint ornamenta dignitatis ; nam inter Abbates Ordine et jurisdictione pares mitrati non mitratis regulariter præferuntur. c. 6. de priv. in 6. IV. In jurisdictione diversi generis, jurisdictio externi fori præfertur jurisdictioni interni, criminalis civili, ordinaria mandatæ.

§. 538. De ordine inter minora corpora Hierarchiæ observandum, summo divisionis genere Clerum dici secularem vel regularem ; ac in regulari quoque Hierarchicum ordinem spectari. Regulæ sunt I. In publicis ministeriis aut supplicationibus corpus ministrorum etiam inferiorum si vestibus sacris et solemnibus sunt induti, præcedunt Canonicos, aliosque digniores, communi vestitu utentes. II. Clerus secularis, si conjungitur cum suo Capite, id est, Episcopo, præcedit regularem : inter ipsos Clericos seculares viciniora Episcopo sunt Capitula Ecclesiæ cathedralis : dein Collegiatarum. III. In clero *Regulari*, spectato ordine Hierarchico, primi sunt *Canonici*, dein *Clerici regulares* : sequuntur *Monachi*, demum *Mendicantes*. Ceterum de jure Episcopi, componendi omnes controversias de præcedentia, quæ persæpe cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tam seculares, quam regulares, agit S. Concil. Trid. Sess. XXV. c. 13. de Reg. Eadem Sess.

in fin. sub titulo de loco Oratorum renovatur mos antiquus protestationum, ne ex facto jus alicui acquiratur.

TITULUS XXXIV.

DE TREUGA, ET PACE.

TITULUS XXXV.

DE PACTIS.

ARGUMENTUM.

I. Explicatur ordo inter præcedentes et sequentes titulos §. 539. II. Notitia de Treuga et pace. §. 540. III. Notio pacti: spectanda in paciscendo voluntas, jus seu facultas, et objectum, nempe res et facta §. 541. IV. Effectus pacti. §. 546. V. Pupillus sine auctoritate tutoris paciscens an obligetur. §. 547.

§. 539. Reddenda est primo ratio connexionis, ordinisque titulorum usque ad finem libri I. Decretalium. Sunt hi velut medii, et intercalares inter tractatum de personis et judicibus ecclesiasticis, de quibus hactenus actum est, et inter doctrinam de judiciis, a quibus orditur liber secundus. Antequam nempe ad strepitum et pericula fori contentiosi, vel, ut inter nobiles, ad vim et arma veniatur, tentanda est compositio litis per inducias, pacem, pacta, transactiones, et arbitros. Cum autem arbitrium poscat causam instructam; quod fit per advocatos, procuratores et syndicos; de his etiam disciplina juris hoc loco traditur. Et quia occasione postulationis, quæ fit per advocatos, et ob acta a procuratoribus ac syn-

dicis non raro ad restitutionem in integrum recurrendum est; hæc etiam exponitur tum generatim, uti ex officio judicis conceditur variis ex causis, tum speciatim, si per modum actionis petitur ex causa vis metusve, aut ob alienationem in fraudem alterius factam. Hæc eadem in digestis ante exponuntur, quam libro quinto demum agatur *de judiciis, et ubi quisque agere vel conveniri debeat.*

§. 540. *Treuga*, seu *Trevia*, *Treuga* a Germanico vocabulo *Treu*, quæ fidelitatem significat, est securitas præstita personis, discordia nondum finita. *Pax* vero est securitas rebus et personis præstita, discordiæ finem imponens. Canones huc pertinentes editi sunt turbulentis illis temporibus, quo viri nobiles, aut non habentes forum satis competens, in quo lites ipsorum deciderentur, aut illud aspernantes, sibimet vi, et armis, rapinis et incendiis jus dicebant, et injurias ulciscebantur; modo præcessisset diffidatio, seu indictio violentiæ imminentis, et provocatio, vulgo *fehden*, *befehden*, *befehdung*. Unde ipsa hæc bella privata nominabantur voce barbara *faidæ*. Cum ista corruptela penitus tolli non posset; quod Episcopi in synodis sæpe tentarunt, duo moderationis remedia constituta sunt, *primo* ut sacratioribus quibusdam diebus omnes omnino a vi et armis abstinerent; quæ *Treuga Dei* dicta est. *Secundo* ut personæ quædam armis non assuetæ, earumque res perpetua securitate, seu *pace* gauderent. c. 1. et 2. In Germania lues bellorum privatorum, et *jus manuarium* a seculo nono jam invaluerat. Temperavit id Carolus IV. in Bulla aurea C. 17. Extinxit demum Maximilianus I. per *Pacem Publicam* in comitiis Wormatiensibus anno 1495. constituto simul executionis modo contra reos fractæ pacis, et erecto Judicio Camerali, coram quo singuli sta-

tus causas suas agerent, jure terminandas, ut necesse non haberent armis experiri. Ex omnibus, quæ dicta sunt, patet, totum id ad supremos Principes, qui jure belli gaudent, nequaquam pertinere (*a*).

(*a*) Controversiae, quas integrum regnum aut rex cum suis proceribus adversus jura Sedis Apostolicae intentat, aut querelae plurium Episcoporum, ac cleri unius nationis adversus alios e. g. Religiosos mendicantes, non instar privatae litis, sed veluti privati belli spectari possunt; quia fere cum magna perturbatione ac scandalo fidelium conjunctae sunt. Hinc ad istum titulum duae extravagantes inter communes fuerunt relatae, altera de Sanctione Pragmatica Galliae, altera de querelis plurium Episcoporum Germaniae contra Fratres mendicantes. Sanctio Pragmatica in Concilio Later. V. initis concordatis abrogata est: querelas illas mitigavit dies, et usus contrarius.

§. 541. *Pactum a pactione dicitur; et inde etiam pacis nomen appellatum est; et est pactio duorum vel plurium in idem placitum consensus*, appellaturque *conventio*, quasi ex diversis animi motibus in unam sententiam convenirent; sive, quod in idem recidit, est *promissio acceptata*. l. 1. §. 2. et 3. D. de Pactis. Nudum ergo propositum mente conceptum, vel ejus assertio, tractatus item, seu ut ajunt, negotiationes pactitiæ, pacta non sunt. Promissio facta Deo de meliore bono, dicitur *votum*; unde cum lege tam naturali divina, quam positiva vel præceptum vel propositis præmiis suasum sit id, quod de meliore bono dicitur, de acceptatione promissi Deo facti dubitari non potest. *Pollicitatio* est solius offerentis promissum, sive promissio non acceptata; quæ facta Ecclesiæ vel reipublicæ ex juxta causa actionem producit. l. 3. aliisque D. de pollicitationibus. In Pactis, uti in omni genere obligationum, quæ

propria voluntate contrahuntur, spectari debet I. *Voluntas*, seu consensus. II. *Jus*, seu facultas moralis. III. *Materia*, seu id, quod in pactum deducitur, nempe facta, aut non facta, et res.

§. 542. I. *Voluntas* faciendi aut dandi seu generatim præstandi aliquid vel *absoluta* est, vel alligata *conditioni*, *modo*, *diei seu tempori*. In his non tam doctrina juris, quæ clara est lumine rationis, quam proprietas verborum discenda est. Conditio vere proprieque talis, in futurum et incertum eventum conjecta, *suspensiva* dicitur: ea pendente neque cedit dies, neque venit. l. 123. D. de V. O. id est, neque obligatio reipsa oritur: neque peti potest, quod in pactum deductum est; producit tamen spem, *debitum iri*, et ad hæredes promissarii transit.. l. 8. Pr. D. de peric. et commod. rei vend. §. 4. J. de V. O. et §. 25. J. de inutil. stip. Conditio existens retrotrahitur ad initium actus gesti. l. 78. pr. de V. O. l. 18. D. de R. J. Si deficit, conventio retro nulla est l. 37. D. de contr. empt. Conditiones improprie tales sunt intrinsecæ, de præsenti, de præterito, impossibiles natura vel jure. Pactum sub *conditione resolutiva* mox obligationem producit, sed existente conditione retro nullum est. l. 19. D. de usurp. l.6. §.1. D. de divers. temp. præscript. *Modus* vel *gravamen* est clausula actui benefico adjecta, qua illi, in quem beneficium confertur, quidquam agendnm, vel non agendum præscribitur; non suspendit obligationem; neque ejus vim ipso jure resolvit, si non impletur; actionem tamen ad implendum parit. l. 17. §. 2. l. 44. de manumiss. vind. A modo non multum differt pactum contractui adjectum. *Dies* omnino incertus quoad quæstionem, *an* extiturus sit, pro conditione habetur. l. 75. D. de cond. et dem. Si dies

est certus; *ex die* promittitur, *vel in diem*: priore casu statim cedit dies, sed non venit, nisi tempore lapso l. 213. D. de V. S. posteriore cedit et venit dies, sed tempore lapso exspirat l. 52. in f. D. de pact. perinde fere, ac in conditione resolutiva. Ceterum consensus verbis, aliisve signis declarari potest, aut factis; priore casu pacta sunt *expressa*, altero *tacita*. l. 2. pr. et §. 1. D. de pact. Et qui consentire non possunt, ii nec pacisci.

§. 543. II. Ad vim pacti requiritur jus et facultas moralis disponendi de eo, quod in pactum deducitur: hinc qui liberam non habent rerum administrationem, nec pacisci possunt de patrimonio, ceu *minores* l. 3. C. de in int. rest. et *prodigi*. l. 40. de R. J. Sæpe ea facultas alligata est consensui Superioris; cujus ratihabitio superveniens pactum firmat. c. 2. h. t. Monachi habentes liberam a Sede Apostolica sepulturam tenentur servare pactum cum Parochis initum de non recipiendis aliquibus vel certis parochianis; licet hi apud eos elegerint sepulturam. c. 1. in 6. quia possunt renuntiare juri suo. C. 3. ib. deciditur, ad vim pactorum a Mendicantibus cum Parochis initorum, si honesta sint, non requiri consensum Sedis Apostolicæ, Ministri generalis, vel Provincialis, aut Capituli provincialis. Ex hoc loco patet, pacta in præjudicium tertii, vel juris publici non valere.

§. 544. III. Materia pactorum sunt res vel operæ præstandæ, sive res, et facta vel non facta. Sunt res quædam extra commercium positæ; aut dispositionem privatorum. l. 38. §. 5. de V. O. aut facta turpia, seu legibus prohibita; quæ non censentur in pactum cadere. C. fin. h. t. irritæ

declarantur omnes pactiones privatorum de beneficiis, pactiones simoniacæ; turpes seu impossibiles jure aut facto. Non valet pactum de succedendo post mortem Prælati in ipsius Ecclesia. c. 5. Qui per pactum augendæ pensionis, consecutus est Ecclesiam, debet ea privari, et alias canonice puniri. c. 6. Si Rector Ecclesiæ locat domos, et concedit feuda, adjecto pacto, ut conductores et feudatarii decimas locanti vel infeudanti solvant: tale pactum in præjudicium Ecclesiæ parochialis non valet; et quidquid ea conditione perceptum est, restitui debet c. 7. Jure Germanico et Canonico (aliter Romano) turpe non censetur pactum a filia initum cum patre, cum nuptui traderetur, ut dote contenta nullum habeat ad bona paterna regressum; præsertim si id per juramentum firmatum est non vi, nec dolo præstitum. c. 2. in 6.

§. 545. In his sita est ratio generica pacti, quæ omnibus contractibus inest; ex iisdem jure naturali resultat vis pacti, nempe effectus juris, id est, *obligatio*, si est pactum *obligatorium*: aut ejusdem extinctio, si est *liberatorium*. l. 6. D. de pact. Si ea obligatio utraque ex parte producitur, vocatur pactum *bilaterale*; si una tantum ex parte, ut quis alterum sibi obligatum habeat, sine mutua obligatione sua, *unilaterale*. Jure naturali et gentium solemnitate verborum ad vim pacti opus non est. Hinc *verborum obligatio*, quæ nempe verborum solemnitatem poscit, non juris gentium, sed Romani contractus est, et maxime *stipulatio*, quæ est contractus unilateralis, quo quis ad alterius interrogationem congrue et in continenti respondendo ad dandum aliquid, vel faciendum, quod alterius interest, obligatur. De stipulationibus per titulos plures agitur in Instit. lib. 3. Jure Canonico et Germanico inter stipulationes, et pacta nihil discriminis est.

§. 546. Effectus pactorum *immediatus*, et a jure naturæ descendens est obligatio præstandi, quod promissum est: ei respondent jus exigendi implementum promissionis;cui non satisfit, etiam in casu promissi facti, præstando id, quod interest (*b*).Hac supposita naturali obligatione pacti, tanquam effectus secundarii sunt, quod solutum, ab ipso debitore repeti non possit: quod locum habeat compensatio, fidejussio, aut constitutio debiti, novatio, seu prioris obligationis transfusio in aliam, receptio et detentio pignorum; quæ omnia intelligi non possunt, si nulla ex pacto, ne naturalis quidem, et pro foro interno orta est obligatio. Si huic naturali obligationi assistunt leges, concedendo *actionem*, seu jus exigendi in judicio id, quod promissum est (quod non semper fit), tum ea obligatio appellatur *naturalis et civilis simul.* Romani ex pacto nudo non dabant actionem, sed tantum exceptionem. *Nudum* vocabant, quod intra solos conventionis fines consistit; *non Nudum*, quod in legibus obtinuit speciale nomen, vel quod habet causam (quando scilicet ex parte unius jam est impletum), aut quod contractui in continenti adjectum est, vel denique speciali legis assistentia et juris favore gaudet; quale est pactum promissæ dotis, constituti etc. quæ pactorum genera vocari solent *legitima* et pariunt *condictionem ex lege.*Jure Canonico, et moribus Germaniæ omnia pacta actionem producunt (quæ dici potest condictio *ex pacto*, vel *condictio ex moribus*) c. 1. et 3. h. t. conf. Stryck. de U. M. Pandect. ad tit. de Pactis.

(*b*) L. 1. pr. D. de Pactis. ibi: „ Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare? Promissionis et Pacti naturalem obligationem non agnoscit Franc. Connanus Comment. Jur.

L. 1. C. 6. n. 11. seq. et L. 5. C. 1. n. 4. Ad inducendam obligationem Connanus requirit synallagma, id est, mutuum factum obligatorium; sed merito rejicitur a Grotio de J. B. et P. 2. c. 11.

§. 547. Celebris est disputatio de pupillo, qui sine tutore auctore contrahit, utrum spectato jure Romano obligetur saltem naturaliter. Nam præciso eo jure, si sufficienti intellectu pollet, certe obligatur jure naturali; a quo, si lex positiva est dubia, recedendum non est. Sed leges Romanæ, quæ pugnare videntur, apte conciliantur (quod fieri necesse est, si locus datur) adhibita distinctione inter pupillum infantiæ et pubertati proximum, ut hic quidem, non item ille naturaliter obligari censeatur; neque hæc distinctio arbitraria est, sed fundatur in Jure. §. 9. Inst. de inutil. stip. Porro pupillum (pubertati proximum) naturaliter obligari, aperte asseritur. l. ult. D. de jurej. et ibi Brunneman. In contractu pupilli locum habet fidejussio. l. 127. D. de V. O. et l. 95. §. 4. D. de sólut. item novatio. l. 1. D. de novat. Hæc intelligi non possunt sine naturali obligatione pupilli. (§. 546.). Dein debitum a pupillo contractum legari potest. l. 25. §. 1. D. quando dies legat. Præterea pecunia a pupillo soluta imputatur in falcidiam tanquam debitum hereditarium. l. 21. D. ad leg. Falc. juncta l. 76. ibid. Dicunt: Quod pupillus solverit, id repeti potest: l. 41. D. de cond. indeb. ergo non obligatur naturaliter arg. 10. de O. et A. ꝶ. d. a. si solverit ex causa stipulationis a se interpositæ, tum potest repetere, c. universe potest repetere, n. Pupillum universe repetere non posse, manifeste indicatur l. 64. D. ad SC. Trebell. ibi: *Si ejus mihi restituta sit hereditas, qui pupillo sine tutoris auctoritate crediderit, si solverit mihi pupillus,*

non repetet: at si heredi solverit, repetet, non repetiturus, si ante restitutionem solvisset. De stipulatione a pupillo facta sic animadvertit Joan. Schilterus Exercit. XXXIV. circa curatelas et tutelas: Posita obligatione naturali, etsi non detur actio, datur tamen exceptio, et negatur debiti repetitio. Circa stipulationem pupilli (cit. l. 41. D. de cond. ind.) exceptio est: nam jure Romano stipulatio est certa verborum conceptio et quidem solemnis, ac firmissimum juris vinculum; hinc a solo pupillo peragi non poterat. Recte, ni fallor, auctor sentit: quia enim jura obligationem civilem detraxerunt contractibus pupilli sine auctore tutore initis; non poterant probare stipulationem pupilli; quæ ad omnes obligationes naturales in civiles transfundenda apud Romanos inventa fuit.

TITULUS XXXVI.

DE TRANSACTIONIBUS.

ARGUMENTUM.

I. Requisita ad transactionem. §. 548. *II. Ut valida sit, spectatur voluntas transigentium, jus transigendi, et transactionis materia.* §. 549. *Vis et effectus.* §. 552.

§. 548. *Transactio* est conventa decisio rei dubiæ, et controversæ aliquo dato, aliquo retento. Fit ergo I. conventione partium in judicio vel extra judicium. II. Non gratuito, sed aliquo dato, aliquo retento (*a*): unde requiritur jus dandi, seu alienandi (quia transactio est species alienationis), et jus seu potestas de objecto disponendi. III. Requiritur res dubia, et lis incerta; non *copulative*,

ut Zæsius vult ad hunc tit. D. n. 14. Hæc instar axiomatum sunt.

(*a*) Liquet enim, neminem unquam petiisse ab altero *transigendi* gratia, *totum* id, de quo disceptatur; ut inquit SS. D.N. Pius P. VI. in literis præfixis Responsioni ad Metropolitanos Germaniæ.

§. 549. Conventio pendet a voluntate partium; judex transactionem suadere potest, atque etiam debet; ut patet ex Recess. J. N. §. 110. non autem in causa liquida, aut si jura partium valde inæqualia sint, vel ob id tantum, ne alteram partem offendat sententia sua: compellere ad transigendum non potest, nisi quies publica exigat. Conventio autem a partibus fieri potest pacto nudo, contractu innominato, stipulatione, cum vel sine scriptura, adjecta pœna conventionali, jurejurando, in judicio vel extra judicium. Conventioni obest gravis et injustus metus, item dolus, aut falsitas instrumenti ab altera parte propositi, vel occultatio veri instrumenti. Transactio de re *certa* alias res, de quibus actum non est, non comprehendit. l. 15. C. h. t. et universe non extenditur ad ea, de quibus tempore transactionis cogitatum non est; etsi generalibus verbis concepta sit (*b*); nam relate ad talia deest conventio, et voluntas. Specialiter decisum est, ut, si transactio fit a Prælato cum *consensu* Capituli in causa Ecclesiæ vel monasterii, Capitulum consensum aliquando præstitum revocare nequeat.

(*b*) Id usum habet in administratoribus pecuniæ publicæ, quorum rationes in multis sæpe articulis non liquidæ deprehenduntur; inita transactione impetratur liberatio; sed quæritur, utrum ea *plena* sit, nec ne. conf. Schilter. in Prax. Jur. Rom. in for. Germ. T. I. exercit. 9. et Leyser. Specim. 46.

§. 550. Quia jus et potestas disponendi de eo, de quo transigitur, necessaria est; hinc I.

privati clerici de beneficiis Ecclesiasticis transigere non possunt sine auctoritate Ecclesiastica c. 7. h. t. *si gratis et amicabiliter inter se litigantes componant, sacris Canonibus nequaquam dicimus obviare.* II. Ad ea, quæ ex divina lege certam formam vel obligationem habent, ceu Sacramentum matrimonii, et alia ejusmodi, transactio non se extendit. c. fin. h. t. non magis, quam si disputantes de natura, vellent transigere de sanguinis circulatione, aut motu solis circa terram, vel terræ circa solem. III. Transactio, vel contractus quiscunque super juribus et reditibus Ecclesiæ aut beneficii a beneficiato vel rectore Ecclesiæ initus absque Superioris auctoritate, ejus vitam non excedit, neque Ecclesiam vel successores obligare potest. c. 8. IV. Ex defectu juris et liberæ rerum administrationis transigere non possunt pupilli et minores sine auctoritate tutorum et consensu curatorum; neque hi, nisi cum jus pupillorum et minorum valde obscurum et dubium est, et nisi interponatur Decretum judicis, quando res immobilis, aut mobilis, pretiosa in adversárium transferenda est. l. 22. C. de administr. tutor. V. Ex eadem ratione transigere non potest Procurator ad agendum et defendendum datus sine speciali mandato: neque Prælatus Ecclesiasticus sine consensu Capituli et aliis solemnitatibus pro casu, quo alienatio esset prohibita et noxia; quemadmodum exponitur ad tit. de alienat. rer. Eccl.

§. 551. Si *materia apta*, seu objectum transactionis deficit, nec jus transigendi concipi potest; fit tamen aliquando, ut quantumvis res transactionem natura sua admittat, jus transigendi desit, uti patet ex §. præc. hinc ista duo recte distinguuntur. Materia transactionis apta non est, I. nisi dubia, aut liti obnoxia (§. 548.); sive lis

mota jam sit, sive immineat: imo transigi potest, etsi pro una parte sententia jam lata sit, si appellationi sit locus, aut concessa sit, vel concedi possit restitutio in integrum. Bœhmerus de Actionibus Sect. II. C. V. §. 27. in notis ait, sustineri hodiernis moribus transactionem etiam post rem judicatam contra l. 23. §. 1. D. de cond. indeb. II. Materia apta non est res spiritualis, si pro ea detur, aut remittatur temporalis; ceu pro jure patronatus c. 9. super subjectione spirituali c. 10. h. t. super decimis spiritualibus. c. ult. de rerum permutat. super beneficio Ecclesiastico litigioso c. 7. h. t. e. g. si unus litigantium dubium jus in beneficio habeat, et alter det, vel promittat certam pecuniæ summam, aliudve pretio temporali æstimabile. Talis enim transactio nec partium conventione, nec judicis auctoritate fieri potest; uti omnes tenent ex tit. de Simonia. Si tamen uni litigantium parti super beneficio, temporale quidpiam e g. unius aut duorum annorum reditus designentur, non in compensationem dubii juris, sed ob aliam causam, et nominatim ob bonum pacis et concordiæ, non debet id tanquam simoniacum damnari, si judicis Ordinarii, aut Delegati auctoritate fiat; quamvis caute agendum sit, ne simoniacæ pactionis affectus admisceatur. c. 2. de arbitris. c. 21. de præb. Si talis transactio a partibus habuerit initium, merito reprobatur c. 4. de pactis. III In jure civili ad hunc locum disputant, anne super causa criminali trnsigi possit, quo modo feuda oblata initium habuisse docent (c). de litibus testamentariis, an transigi queat, non inspectis tabulis; id quod non prohibitum fuisse a Jure, sed dissuasum, docet Heineccius in Pandectis ad h. t. §. 379.

(c) Zech de Judiciis Eccl. Sect.I. tit. 9. §. 110. et seq. Ne super alimentis in testamento relictis sine auctoritate judicis transigatur, ostenditur ib. §.109.

§. 552. *Effectus* et vis transactionis *bona fide* et sine dolo factæ ea est, ut pariat exceptionem rei judicatæ, et impediat ingressum novæ litis, neque instrumentis postea repertis rescindatur. c. 1. h. t. l. 19. C. eod. imo ut neque per rescriptum Principis impugnari possit. l. 16. C. eod. modo utraque ex parte transigentium actum sit *bona fide*; quo modo conciliari possunt leges, quæ sibi videntur oppositæ, nempe l. 78. §. ult. D. ad SC. Trebell. et l. 9. §. 1. D. ac l. 42. c. C. h. t. Quia tamen minores adversus transactionem in integrum restitui possunt, arg. tit. Cod. *Si adversus transactionem.* putant aliqui, enormi læsione probata rescindi posse transactionem. At enim si bona fide actum est: si res in se dubia vel litigiosa fuit; non apparet, quomodo læsio probari possit. Ajunt, in casu enormis læsionis res ipsa in se dolum habet l. 36. D. de V. O. ℞. 1. ut supra, negando, ex solo eventu læsionem inferri posse; uti nec in contractibus aleatoriis potest. 2. Dolus qualitate facti, non quantitate pretii æstimatur. l. 10. C. de rescind. Vendit.

TITULUS XXXVII.

DE POSTULANDO.

ARGUMENTUM.

I. Advocatorum Officium, dotes requisitæ, honor. §. 553. *II. An et quatenus clerici possint advocati officio fungi,* §. 555. *III. Arcentur Religiosi: excommunicati et hæretici.* §. 558.

§. 553. *Postulare est desiderium suum, vel amici sui in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio* (actoris petitioni in sua vel amici causa) *contradicere.*

l. 1. D. h. t. Potest quisque, nisi specialis obstet ordinatio judiciaria postulare, id est, causam suam proponere et agere per se ipsum. Strictius vero hic titulus ad officium advocati, vel patroni causarum, qui pro altero in judicio præsente, et causam suam prosequente postulat, refertur. Id officium elucet ex juramento advocatorum posito in fine Novellæ VIII. translatoque in Auth, post l. 14. C. de judiciis; ex juramento item advocatorum in ordinat. Cam. imperial. P. I. tit. 76. Unde pertinent quædam I. *ad causam ab Advocatis suscipiendam*, ne scientes, prudentesque mala conscientia liti patrocinentur causa cognita, quod improba sit, vel penitus desperata, et ex mendacibus allegationibus composita, et si procedente certamine aliquid tale cognitum fuerit, a causa se recessuros jurant. cit. auth (*a*). II. Alia pertinent *ad causam agendam*. ,, Quod omni virtute sua, omnique ope, quod verum et justum existimaverint, clientibus suis inferre procurabunt: nihil studii relinquentes, quod sibi possibile est. ,, cit. Auth. quod nullam sinistram machinationem, fraudem, dolumve commissuri sint.. quod secreta causarum nulli hominum velint pandere,.. quod honorem judicibus sint habituri.. ab omni intemperantia et conviciis penitus abstinentes. cit. ord. Cam. imp. III. Alia ad *finiendam causam*; habito enim ad finem litis respectu pacisci non licet de quota litis. l. 5. C. h. t. nec ante litem finitam *de palmario*, seu de honorario in eventum palmæ seu victoriæ. cit. ord. Cam. imp. Exigi tamen potest probabilis, id est, legibus probata quantitas. l. Præses provinciæ. 1. §. 10. 11. 12. D. de extraordinariis cognition. Talia enim pacta, et auri fames facile ad malas artes pelliciunt causidicos.

(*a*) Inferunt, causam suscipi posse, quæ vere probabilis fit, spemque victoriæ contineat; etsi pars adversa

potiori jure ac spe videatur gaudere; modo clientem de statu talis causæ commonefaciat advocatus.

§. 554. Ex officio Advocati intelligi possunt dotes ad id requisitæ, nempe peritia jurium, et constantia animi, prudentia, probitas ac justitiæ zelus. Ex hisce dotibus perinde, ac ex ipso officio redditur ratio, cur honorificum censeri debeat advocatorum munus, et privilegiis exornantum sit. l. 3. et 5. §. 5. l. 6. et 8. C. de advocat. divers. jud. Nam ut ibid. dicitur l. 14. *Advocati, qui dirimunt ambigua fata causarum, suæque defensionis viribus, in rebus sæpe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quam si præliis, atque vulneribus patriam, parentesque salvarent; non enim soli militare creduntur illi, qui gladiis, clypeis et thoracibus nituntur, sed etiam advocati: militant namque causarum patroni, qui gloriosa vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam et posteros defendunt.*

§. 555. Gratianus can. 2. III. q. 7. multa de postulando, seu officio advocatorum congerit, nec ea satis adcurate ex Codice et Digestis hoc titulo, et ibid. sequente de his, qui notantur infamia. In Decretalibus deciditur: I. Clerici in *sacro* Ordine constituti, vel etiam in minoribus, *si stipendiis Ecclesiasticis sustententur, coram seculari judice advocati in negotiis secularibus fieri non præsumant: nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus forte personis, qui proprias causas administrare non possunt.* c. 1. h. 1. Addenda est exceptio de causa criminali, ex qua condemnatio ad mortem, vel mutilatio sequi posset. c. Sententiam. 9. ne Clerici vel Monachi. Si nempe Cleri-

cus vellet agere contra reum ; nam defendere, et tueri innocentes oppressos, vel peccatores pœnitentes a supplicio liberare, licitum, imo proprium est Clericorum omnium, exemplo Christi, qui defendit Magdalenam contra Pharisæum, et liberavit suo patrocinio adulteram.

§. 556. II. Deciditur c. fin. h. t., Sacerdotem in causis pecuniariis etiam coram judice Ecclesiastico advocati munere fungi non posse, nisi *pro se ipso, vel Ecclesia sua, vel si necessitas imminet, pro personis conjunctis, aut miserabilibus*. Ratio redditur ex can. 10. XIV. q. 5. ibi: *Si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est, neutrum juvari, quam gravari alterum, ideoque in causis pecuniariis intervenire non est Sacerdotis; in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alter, qui vincitur: quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur. Sacerdotis est igitur nulli nocere; prodesse autem velle omnibus: posse autem solius Dei est*. Ita docet S. Ambrosius lib. 3. offic. c. 9. Sed in foro Ecclesiastico alia est observantia; ex quo beneficia inferiorum clericorum fere presbyteratum requirunt.

§. 557. III. Deciditur cit. c. fin. *Clericus, qui contra Ecclesiam, a qua beneficium obtinet, pro extraneis advocatus vel procurator esse præsumit, tanquam ingratus potest (maxime si Clericus sit ejusdem Ecclesiæ) beneficio hujusmodi spoliari*. Sic etiam jure civili prohibetur postulare subditus contra Principem, nisi petita venia: vasallus contra Dominum: libertus contra Patronum, videtur tamen patrocinium contra Ecclesiam non prohibitum Clerico pro personis conjunctis et miserabilibus arg. l. 2. C. de advocat. div. jud. et l. 10. D. h. t.

§. 558. IV. Deciditur c. 2. h. t. Multo magis ab officio advocati et procuratoris in judicio arcentur Regulares, non tantum Monachi, sed etiam Canonici, præterquam in causa Ecclesiæ suæ vel monasterii, et ex præcepto Abbatis. Adde Clem. 3. de procurat. et c. 3. ne Clerici vel monachi ibi: *Ne occasione scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur.*

§. 559. V. Deciditur c. 7. de jud. excommunicatum in judicio stare non posse, nisi tanquam reum; ac tum per alium respondere debet; repellitur itaque a patrocinando. c. 8. de sent. excom. in 6. L. ult. C. h. t. ab. honorifico advocati munere repelluntur hæretici, sive ii, qui sacrosanctis catholicæ Religionis mysteriis non sunt imbuti; multo ergo magis pervicaces et perfidi Judæi abiiciendi sunt.

TITULUS XXXVIII.

DE PROCURATORIBUS.

TITULUS XXXIX.

DE SYNDICO.

ARGUMENTUM.

I. Procurator constituitur mandato. §. 560. *II. Mandati forma, ac necessitas,* §. 561. *III. Quis possit constituere procuratorem: quis debeat: in qua causa: quis possit constitui.* §. 563. *IV. Officium et jura procuratoris.* §. 567. *V. Quomodo exspiret.* §. 568. *VI. Syndici*

§. 560. *Procurator est, qui aliena negotia mandato Domini administrat.* l. 1 D. h. t. in judicio, vel extra judicium. Agitur hic de judiciali,

qui mandato domini constituitur ad agendum, vel defendendum. Omne mandatum contrahitur mutuo consensu, quacunque ratione declarato; unde quod initio est voluntatis, postea fit necessitatis: mandatum igitur semel susceptum perfici debet. l. 22. §. fin. D. mand. certe intempestive, et sine causa non renuntiari, l. 8. §. 3. D. h. t. Hinc *invitus* procurator non solet dari. cit. l. 8. §. 1. At qui sciens sine protestatione recipit instrumentum vel literas suæ procurationis, quibus constituens pro ipso cavebat, super inclusis in procuratorio dominum defendere *cogitur*. Clem. 1. h. t. Si procurator renuit primo acceptare mandatum; quamdiu constituens in eadem manet voluntate, illud *acceptare poterit, quandocunque placebit.* c. 7. in 6.

§. 561. De mandato et forma mandati tum altera pars litigans, tum ipse judex solicite inquirere debet c. 1. h. t., ne magno litium labore nihil agatur; nam *falsi procuratoris exceptio non solum ante sententiam, verum etiam postea potest objici; utpote qua probata judicium nullum, et nullius momenti controversiæ reputantur.* c. 4. in f. Mandatum expressum est, vel præsumptum. Forma expressi in majoribus tribunalibus publice præscripta est; nec admittuntur procuratores, nisi secundum eam formulam constituti. Generatim ea forma exprimere debet nomen constituentis, procuratoris constituti, actoris, contra quem, coram quo judice, in quali causa, diem et annum dati mandati. Constituitur autem procurator vel ad certas causas, vel generatim ad omnes; unde *specialis* est, vel *generalis*: *Qui generaliter constituitur ad negotia procurator; agere ac experiri potest; exceptis his casibus, qui mandatum exigunt speciale.* c. 5. pr. in 6. Si Epi-

scopus e Diœcesi discessurus Vicarios vel Procuratores constituit generales, hi etiam in judicio agere et respondere possunt, etsi sub nomine Actoris vel Syndici constituti non sint. c. 9. Si enim de mente et intentione constat, de verbis laborandum non est.

§. 562. *Mandatum a legibus* habet pater, tutor, curator, administrator. Satis est ergo, hanc qualitatem in judicio fieri manifestam, ac sufficienter doceri, exhibito tutorio, curatorio. Gail. L. II. obs. 107. *Tacitum* censetur, si alius in judicio pro alio sciente et tacente agit. Id genus mandati non sufficit. l. 8. §. 1. D. h. t. nisi ipso præsente agat; ac tum agens potius advocatus et patronus causæ censetur. *Dominus* enim *suæ causæ una cum procuratore (maxime si de collusione timeat) minime prohibetur adesse* c. 2. in 6. Ex *mandato præsumto* agunt personæ conjunctæ, ceu parentes et liberi, maritus et uxor, Magistratus et subditus, consortes litis, quos memorat Clem. 3., qui nempe eandem causam, idemque jus agendi habent. Extat titulus in Cod. *de consortibus ejusdem litis.* Ex mandato præsumto, quibus agere liceat, et quatenus, exponitur distincte h. t. de procuratoribus in Jure civili. Quoties incertum est, an ei, qui id asserit, mandatum sit negotium, exigitur ab eo cautio ratihabitionis. l. 1. C. h. t. E contrario, si de mandato *certa* habetur notitia, nulla a procuratore exigitur cautio. §. 3. Inst. De Satisdat. et ex altera parte, quando constat, nullum esse mandatum, ne quidem cum cautione de rato admittitur. l. 24. C. h. t. nisi *pro* reo absente, cautione de rato ante litem contestatam data; quia publice interest, absentes, etiam ignorantes, per quemcunque defendi, ne ignari patiantur damnum. Quærunt, an, siquis possideat, exhibeat-

que documenta, in quibus causa litigiosa fundata est, ob id ex mandato præsumto, ad agendum admitti possit? Innocentius III. c. 34. de offic. et pot. jud. del. cum, qui cum instrumentis Ecclesiæ, sed absque literis de ratihabitione ad Sedem Apostolicam accesserat, sed de rato caverat, sub fidejussoria cautione ad agendum admisit. Quod de necessitate mandati, sine quo dicitur procurator *falsus*, ex legibus decisum est, etiam valet de procuratore *revocato*, ac de revocatione certificato. Sententia contra talem procuratorem lata non præjudicat Domino. c. 3. h. t.

§. 563. *Constituere procuratorem potest uterque litigans*, actor et reus, cum mandato generali, vel speciali, nisi natura negotii speciale exigat: cum potestate libera, vel limitata, ad totam causam, vel partem. Sic I. id potest universitas Scholarium. c. 7. II. Prælatus ad lites super Ecclesiæ rebus et juribus prosequendas, ac in rebus quidem non valde arduis, in quibus per se agere posset, sine consensu Capituli: in aliis cum consensu. III. Procurator potest substituere procuratorem, si hoc ei a domino sit concessum (*a*). Ad plures causas datus procurator, si in quadam substituit, in aliis manet procurator. c. 3. in 6. Substitutum revocare non potest, nisi specialem revocandi habuerit potestatem. Ib. Religiosus, sicut sine licentia sui Superioris procurator constitui non potest, nisi pro suo in eadem lite consorte; ita neque potest alium substituere. IV. Excommunicati per se *agere* vel *impetrare* non possunt; c. 7. de judiciis. et c. 12. de except. proindeque ad id nec procuratorem possunt constituere. arg. c. 47. de testib. ibi: *Cum satis videretur absurdum, illos admitti, quorum repellerentur auctores.* At quid? si in universitate majores et jurati excom-

municati sint; an procurator talis universitatis admitti potest? Subtiliter quæstionem decidit Gregorius IX. c. fin. V. Qui liberam res suas administrandi, ac generatim, mandandi potestatem non habet, is nec procuratorem dare potest. Pupillus infantia major procuratorem dat tutore auctore: minor curatore consentiente.

(*a*) C. 1. §. 2. in 6. sic deciditur: „ Licet a procuratore post litem contestatam ab eo, possit (cum dominus litis sit effectus) dari alius procurator: antea tamen non potest, nisi in rem suam sit datus. " Fictum hoc dominium litis recessit ab usu fori, etsi de eo in Recess. Imp. de an. 1570. §. 100. et an. 1600. §. 73. fiat mentio. Dein facta, et in jure probata cessione juris vel actionis, cessionarius agit jure suo; et contra naturam mandati appellatur procurator in rem suam. Id adnotandum; sola exhibitione instrumentorum ad causam litigiosam pertinentium non fieri sufficientem præsumtionem pro legitimatione procuratoris in rem suam; quia ex illa exhibitione non demonstratur cessio legitime facta, nempe ex titulo justo, et ad transferendum dominium habili.

§. 564. *Constituere procuratorem debent*, quibus id a legibus injungitur, scilicet personis illustribus, potentioribus, feminis, minoribus XXV. an., militibus in propria causa, omnibus, qui personam standi in judicio non habent; in specie I. excommunicatus conventus debet per alium respondere in judicio. c. 7. de judiciis. II. Qui constituto jam judicio impeditus est, et comparere non potest. Hinc reus, qui discedit a judicio, constituto solum procuratore ad agendum, contumax censetur, et condemnatur in expensis. c. 12. Ceterum contra absentem ex probabili causa, legitime per nuntium excusatum, non valet sententia, etiam expensarum condemnatoria. c. 2. ibi: *Cum non possit quis cogi, nisi velit, in gravibus causis procuratorem constituere.* III. Quia cum uni-

versitate agi non potest, ea tenetur constituere actorem vel Syndicum. IV. Providendum autem est judici, maxime in causa matrimoniali, ut constituens procuratorem plena gaudeat libertate. c. 10.

§. 565. In quavis causa constitui procurator potest. Excipiuntur I. *causæ criminales*, in quibus agitur ad pœnam mortis naturalis vel civilis, nisi quis nomine rei, absentiæ vel innocentiæ causas velit proponere. II. Si agitur de adulterio coram judice seculari, non intervenit procurator: at coram Ecclesiastico judice intervenire potest; coram quo accusans non se obligat, vel inscribit ad pœnam talionis. c. 5. h. t. III. In causa pupilli, minoris, universitatis, a tutore, curatore, Syndico ante litem contestatam non constituitur procurator, sed actor; at post litem contestatam. Sed totam hoc fundatur in ficto dominio litis; ac mera subtilitas est. IV. Fieri potest, ut natura causæ præsentiam ipsius principalis requirat, et procuratorem excludat, saltem quoad aliquos actus, ceu in causa status, in causa matrimoniali de impotentia.

§. 566. *Constitui procurator potest regulariter omnis, qui non prohibetur expresse*; et hinc I. etiam laicus ad agendum et defendendum in causis spiritualibus. c. 1. in 6. II. Etiam filiusfamilias, et quidem ad futuras etiam lites. c. 14. et c. 5. §. 1. in 6. III. Unus vel plures, in solidum, vel non adjecto, in solidum. cit. c. 14. X. c. 6. in 6. ubi jura istiusmodi procuratorum pro utroque casu definiuntur. Si plures diverso tempore constituuntur, dato posteriore prioris procuratio censetur revocata. cit. c. 14. et l. 31. §. 2. D, h. t. IV. At procurator judicialis constitui non potest minor 25. an., licet quis post annum 17. ad negotia (extra-

judicialia) licite deputetur. c. 5. §. 2. in 6. V. Neque constitui possunt infames. can. 1. III. q. 7. VI. Neque religiosi sine Superioris licentia, nisi pro suo in eadem lite consorte. VII. Neque ulli omnino Clerici apud judices seculares, nisi pro Ecclesiæ suæ aut propria causa, vel necessitate coacti pro conjunctis, et miserabilibus personis. c. 1. et ult. de postulando. c. 2. et 4. ne Clerici vel monachi. consentit Novella 123. c. 6.

§. 567. *De juribus procuratoris* illud I. statuendum, procuratoris esse, non excedere fines mandati l. 5. D. mandati. Iis servatis, quidquid gesserit procurator, ratum, ac firmum est, sive noceat domino, sive prosit. c. 1. II. *Qui ad agendum, et defendendum, et generaliter ad omnia (etiamsi mandatum exigant speciale) constituitur procurator, ex vi generalitatis hujusmodi ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum exigitur, admitti non debet. Sed si aliquis, vel aliqui de articulis speciale mandatum exigentibus specificati fuissent adjecta clausula generali, tunc ad non expressos, etiam admittetur.* c. 4. et 5. in 6. Articuli speciale mandatum exigentes sunt, causa restitutionis in integrum, causa juramenti præstandi in animam alterius, compromissi faciendi, transactionis ineundæ etc. III. A procuratore generaliter constituto ad omnia, etiamsi mandatum exigant speciale, Jus Canonicum videtur distinguere eum, *cui bonorum vel causæ administratio libera* est *concessa.* Nam talis etiam absque speciali mandato juramentum deferre, transigere vel pacisci potest. c. 4. in 6. (*b*). At certe donare non poterit; hoc enim est potius perdere, quam administrare. l. 28. §. ult. D. de pact. l. 7. §. 3. D. de donationib. Neque procurator in causa electionis vel provisionis electo aut proviso opponere

potest crimina vel defectus sine mandato speciali. Clem. 2. h. t. IV. Si procuratori generali negantur induciæ ad consulendum dominum, ex causa probabili absentem, jus habet appellandi. c. 11. V. A sententia condemnatoria appellare potest ac debet, nisi justa ex causa excusetur: ac tum ad dominum de sententia referre debet; appellationem autem prosequi vi prioris mandati non tenetur. c. 14. VI. Expensas in causa domini factas juste repetit. c. 6. VII. Procurator damnatus conveniri non debet, *nisi aut in rem suam datus esset, aut obtulisset se, cum sciret, cautum non esse. Idem erit observandum, etsi defensoris loco cum Satisdatione se liti obtulisset.* l. Plautius. 61. D. h. t. VIII. An et quatenus culpa procuratoris domino noceat, vide l. 10. C. h. t. Instituta adversus procuratorem actione mandati, Dominus consequi potest restitutionem in integrum. l. 8. §. 1. D. mandati. l. 13. §. ult. C. de judiciis.

(*b*) Heineccius in Dig. ad h. t. §. 430. putat, distinctionem cum libera et sine libera otiosam esse et inanem.

§. 568. Officium et potestas procuratoris exspirat, I. mutuo consensu, vel potius dissensu domini et procuratoris. II. Revocatione mandati procuratori insinuata. Ante litis contestationem libere mandatum revocari potest: post litem contestatam, si procurator nolit, non sine justa causa. c. 2. in 6. Sed hæc decisio fundatur in dominio litis. Revocatio fit per alium procuratorem posterius constitutum. c. 14. aut si Dominus procuratore simpliciter, non pro casu suæ absentiæ prius constituto, dein causam per se ipsum tractet. c. 8. in 6. Etsi vero Dominus procuratorem suum revocare possit; non tamen potest procurator le-

gitime a se substitutum revocare, nisi specialiter id concessum habeat. c. 3. in 6. Revocatio a domino fieri non debet cum contemtu judicis, et dispendio partium. Siquis ergo citatus ad dicendam totam causam procuratorem constituit; eumque postea revocat, id facere censetur cum contemtu judicis, et dispendio partium; quapropter contra eum nihilominus procedi potest, quantum status causæ patitur *sine nova citatione* c. 8. Pro conciliandis inter se cap. 3. et 13. nota, si procurator constitutus, atque etiam revocatus sit, antequam ejus constitutio judici vel parti insinuata fuerit, is simpliciter censetur procurator falsus; ut, quæcunque cum ipso acta sint, irrita judicari debeant. c. 3. neque hoc casu opus est, ut revocatio parti vel judici intimetur. Similiter acta cum procuratore revocato irrita sunt, si, postquam constitutio judici et parti intimata fuit, etiam revocatio *intimetur*; non aliunde tantum a parte, vel judice cognoscatur. At si dominus procuratorem ad judicia constitutum, partique et judici jam intimatum revocaverit ignorante judice vel parte, acta cum procuratore revocato valent. c. 13. h. t. Si domino conceditur jus revocandi procuratorem jam constitutum; huic negari nequit jus mandato renuntiandi, seque exonerandi, modo non intempestive id fiat. §. 11. Inst. de mandato. l. 8. §. 3. seq. D. h. t. III. *Morte* mandantis. l. 23. C. h. t. ac per obitum rectoris Ecclesiæ revocatur procurator ab eo pro Ecclesia constitutus etiam quoad negotia jam cæpta. Clem. ult. h. t. Similiter etiam morte procuratoris, quoniam mandatum ad hæredes non transit. l. 27. §. morte. D. mand.

§. 569. Quæ de procuratoribus generatim dicta sunt, ad Syndicos pertinent, nempe eos, qui

causas Universitatis vel Collegii agunt. Specialia Syndicorum sunt: I. Eliguntur necessitate juris, non arbitrio Domini. c. un. de Syndicis. II. Et quidem per suffragia majoris partis de universitate vel collegio. c. 2. de in int. rest. III. Jurant, si necesse sit, in animam suam, non principalis, seu universitatis, a qua constituti sunt. c. 3. et 4. de jurament. calumn. IV. Constituuntur ad omnes causas præsentes et futuras universitatis, non tamen singulorum, qui de universitate sunt.

TITULUS XL.

DE HIS QUÆ VI, METUSVE CAUSA FIUNT.

ARGUMENTUM.

I. Vis est multiplex. §. 570. *II. Vi gesta nullo jure habentur rata.* §. 571. *III. Quæritur, an jure naturali per se valeant.* §. 573.

§. 570. Vis multiplex inferri potest hominum actionibus; diciturque *ablativa* relate ad bona corporalia mobilia: *expulsiva* circa immobilia corporalia: *compulsiva* circa incorporalia: *turbativa* circa possessionem: *inquietativa* circa usum rei suæ. Alia est *absoluta*, quæ libertatem plane tollit, nempe coactio physica. c. 5. h. t.; alia *respectiva*, de qua ipsa dicitur: Cum *inter vim et vim sit differentia.* c. 6. de spons. nam vis ad *inferentem*: metus ad *patientem* refertur; aliusque est metus *intrinsecus* ortus, alius *extrinsecus* incussus: juste vel injuste, ac tum *gravis*, qui cadit in virum constantem. c. 4. aut *levis*, habito respectu personarum; quo pertinet metus reverentialis, si cum dura tractatione, vexationibus et minis conjunctus est. Frequens in Jure de vi et metu occurrit mentio, ceu in electionibus, renuntiationibus, in ipsis Synodis, in professio-

ne religiosa, aliisque votis, in sponsalibus et matrimonio, in Baptismo etiam Judæorum c. 3. de Bapt. in testamentis, absolutionibus a censuris, in juramentis additis actui vi extorto; ubi de obligatione istiusmodi juramenti singularis existit controversia (*a*).

(*a*) Sæpe fit, ut, cum Scriptores retractant ipsi errores, quos sparserant, retractatio explodatur a sectatoribus, tanquam metu extorta; quod nostra ætate ab hominibus malignis de retractatione Febroniana vulgatum est. Quod idem de palinodia a Richerio facta prætensum fuisse, narrat V. C. Laurentius Veith. in System. Edmundi Richerii Sect. I. C. III. §. VIII. Aptius exemplum de iis, quæ vi et metu gesta sunt, affert Petrus Ballerin. de infallib. RR. PP. C. XV. §. XIII. agens de lapsu Liberii.

§. 571. *Ait Prætor: Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo.* l. 1. D. quod metus causa. Similiter Pontifex ait: *Quæ metu et vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.* c. 2. *Quæ vi, metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis.* c. 4. Hinc a jure canonico approbata est *actio metus*, competens illi, qui ex metu gravi cadente in constantem virum læsus est: ejusque heredi; et omnibus, quorum interest, adversus eum, qui metum incussit, ejus heredes, alios qui ex negotio metu gesto agunt, vel aliquid prætendunt (c. 1. h. t.), et contra quemcunque rei metu extortæ possessorem; quia est actio in rem scripta. Si id, quod metu extortum fuit, nondum præstitum, sed tantum promissum est, cuivis ex promisso agenti, opponitur *exceptio metus.* Utroque casu probanda est læsio, et qualitas metus. c. 6. Probato metu, si de quantitate damni, et rebus amissis agitur, locum habet juramentum in litem. cit. c. ult.

§. 572. Actioni metus opponitur exceptio, et exceptioni metus replicatio hæc, I. quod non

fuerit metus cadens in constantem virum, sed vanus timor, ex inani ortus suspicione. c. 4. et 6. II. Quod metus etiam gravis fuerit purgatus, idque ratum habitum, quod metu gestum fuerat c. 1. et 3. III. Quod metus fuerit justus, legitima auctoritate incussus. l. 3. §. 1. D. quod metus causa. uti siquis auctoritate legitima adigatur ad errores abjurandos, intentata excommunicatione, vel depositione. Ad judicis officium pertinet, arbitrari, quid pro metu gravi habendum sit, facta rerum, et personarum consideratione. l. 3. D. ex quib. caus. majores.

§. 573. Disputant, utrum jure naturali irrita sint, gesta ex metu. Negant non pauci antiquiores; quia etiam coacta voluntas est voluntas. l. 21. §. 5. D. quod metus causa. Qua auctoritate Juris Romani, aut veterum potius Stoicorum maxime nituntur; dicebant enim hi, virum sapientem metu concuti non oportere. At potest etiam vir sapiens, inter duo mala obversantia eligere minus, et potius crumenam, quam vitam prodigere; cum etiam morte obita crumenam non servaret. Sola voluntas agentium ad vim et valorem actus non sufficit; nisi sit voluntas et acceptatio *justa*, id est, jure dandi, et jure acceptandi nixa; uti aliquis instituere heredem incapacem, vel eligere ineligibilem non potest; etsi id maxime velit, ac tentet. Vim inferens jus acceptandi, quod datur vel promittitur, non habet; quia habet obligationem contrariam, naturalem, ab adversariis sententiæ agnitam, non inferendi injuriam, vel quodcunque gravamen; quale esset ipsum jus re data, vel promissa acquisitum. Bœhmerus de Act. Sect. II. C. XI. §. 42. ostendit, actionem metus a Romanis inventam esse ob negotia stricti juris, et postmodum ad ne-

gotia bonæ fidei extensam; in quibus tamen ex capite nullitatis agi queat. l. 1. C. de rescind. vend. et l. 21. §. 3. D. quod metus causa. Conf. J. N. pr. §. 58. pag. 119. Non ergò satis liquida est, et firma auctoritas Romani juris: neque illud valet, quod perpetuo ajunt: Vis et metus voluntarium non tollit; quod sane conceditur, et patet ex c. 5. h. t. et ex pœnitentia præscripta lapsis in persecutione.

TITULUS XLI.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

TITULUS XLII.

DE ALIENATIONE JUDICII MUTANDI CAUSA FACTA.

ARGUMENTUM.

I. Restitutio fit aliquando per leges. §. 574. *II. Requisita.* §. 575. *Restitutio minorum, Ecclesiæ, majorum.* §. 576. *IV. Modus petendi et obtinendi.* §. 581. *V. Alienatio judicii mutandi causa facta.* §. 582.

§. 574. *Restitutio in integrum* est causæ stricto jure amissæ ob læsionem redintegratio; refertur vel ad læsum, qui eam petit actione vel implorato judicis officio, vel ad judicem, qui eam dat causa cognita. Casus quidam restitutionis definiuntur per leges. I. Siquis conspiratione adversariorum, et testibus pecunia corruptis in judicio opressus fuit l. 33. D. de re judic. II. *Si nova istrumenta se invenisse dicat, quibus nunc solis usurus sit*; postquam adversarius præstito juramento fuerat absolutus. 31. D. de jurej. III. Siquis in contractu ultra dimidium læsus sit. l. 2.

C. de rescind. vend. IV. Huc referri potest jus aggratiandi, quod Principi competit. exemplum extat l. 1. C. de sentent. passis, et rest. V. Proprie autem huc pertinet restitutio, quæ læsis in negotio extrajudiciali, vel actu judiciali datur tum minoribus XXV.an. eorumque exemplo etiam Ecclesiæ, locis piis, reipublicæ, civitati; tum aliquando majoribus tit. Dig. et Cod. *ex quibus causis majores XXV. an. in integrum restituuntur.*

§. 575. Ad petendam et obtinendam restitutionem requiritur, I. negotium ipso jure, vel præsumtione validum, uti fit in metu et dolo; hæc enim non præsumuntur, sed probari debent; si negotium ipso jure invalidum est, de nullitate agitur. c. 8. II. Ut non suppetat remedium civile ordinarium. Conceditur tamen minoribus, ut eligant hoc beneficium Prætoris, si pinguius sit, et beneficio ordinario facilius (*a*). III. Ut probetur læsio notabilis arbitrio judicis; minima enim non curat Prætor. IV. Ut fiat cognitio causæ.

(*a*) Qui agit ex l. 2. C. de rescind. vend. probare debet læsionem enormem; qui restitui rogat occasione emtionis venditionis, probat læsionem notabilem; ac recuperat rem ipsam, ut conventus supplendo pretium non possit firmare priorem contractum.

§. 576. Causa restitutionis in minoribus est lubricum ætatis; probanda est igitur ætas minor; et læsio notabilis: utraque probata amplissimum est hoc beneficium minorum, ut in jure civili explicatur. Exceptiones, ob quas illud cessat, sunt 1. si adolescens major factus rem ratam habuerit; quod sit completo anno 25. aut impetrata a Principe venia ætatis, quæ tamen potestatem non confert alienandi vel hypothecandi bona immobilia si-

ne decreto Magistratus. l. 2. §. 1. et l. 3. C. de his, qui ven. ætat. impet. 2. Si pubes juramento, quod gestum est, confirmavit. auth. *Sacramenta puberum.* C. si adversus vend. 3. Si minor se ipsum læserit delinquendo. l. 1. C. si advers. d[illegible] [illegible]el majorem se dolose dicendo. l. 2. C. si minor se major. 4. Si post actum prudenter gestum læsio alia ex causa, aut divina vi contigerit. l. 11. §. 4. D. de minor.

§. 577. *Ecclesia jure minoris debet semper illæsa servari.* c. 1. et 3. h. t. Idque receptum est utroque jure. arg. l. 3. C. de jure reip. ibi: *Rempublicam, ut pupillum, extra ordinem juvari, moris est.* Ratio est, quia magnus et publicus est Ecclesiæ favor; et quia rebus Ecclesiæ administratores præficiuntur, sicut pupillis tutores, et minoribus natu curatores; qui per contractus, actusque judiciales rem meliorem facere possint, non deteriorem. Hinc deciditur in jure nostro, I. si Ecclesia læditur locatione rei suæ sub pensione nimis modica, vel alienatione sub censu reservativo modico, alienatio rescinditur, et bona ad jus et proprietatem Ecclesiæ revocantur. c. 1. h. t. additur: *Providendum est tamen, ne si forte coloni possessiones illas expensis ac labore suo reddiderint meliores, sumtibus, quos bona fide fecerunt, debeant defraudari.* Non enim minor, aut Ecclesia ita restitui possunt, ut cum alterius partis detrimento lucrum capiant; hinc si fit restitutio adversus venditionem, in primis pretium reddendum est, et compensandæ impensæ *necessariæ* vel *utiles*, ut patet ex hoc c. et l. 39. fin. D. de minor. alia est ratio de expensis *voluptariis.* l. 32. §. [illegible]. D. de administrat. et per. tut.

§. 578. Deciditur II. si procurator jura Ecclesiæ vel monasterii non produxit, e. g. instru-

mentum exemtionis, fit restitutio *ad audientiam*, ut Ecclesia vel monasterium de novo audiatur. c. 2. III. Si Ecclesia in judicio læsa est ob omissam necessariam probationem ea restituitur non obstante termino juris probationes excludente. c. 3. et restituitur etiam adversus Ecclesiam. c. 3. quia etiam minor, qui agit de damno vitando, restituitur adversus minorem, qui agit de lucro captando. Si par sit utriusque conditio, uti si parutraque omisit necessarias probationes, restituis tur pars utraque, uti in casu cit. c. 3. aut potiore jure gaudebit ex minoribus is, qui possidet, vel qui consumsit. L. 11. §. 6. l. 34. pr. D. de minorib.

§. 579. IV. Deciditur: Majoribus etiam concedenda est restitutio propter *absentiam* a loco domicilii vel a judicio, justa ex causa, et judici probata e. g. reipublicæ causa, ob metum, justum errorem ex dolo alterius ortum; c. 4. h. t. Sed ea causa plene probanda est; secus non fit restitutio, nisi in causa favorabili e. g. matrimonii, in qua veritas rei singulari studio discutienda est; id eruitur ex cit. c. 4. Prætor in edicto l. 1. D. *ex quibus causis majores XXV an. in integr. restituuntur*; *absentiam* a loco domicilii vel judicii, sed justam commemorat; ob quam fit, ut absente altero, dum non est conveniendi copia, jus alterius per usucapionem, præscriptionem vel rem judicatam extinguatur. Impetrata restitutione fingitur, eum, qui usucepit, non usucepisse; quo pertinet rescissoria actio (*b*); vel pars ob absentiam læsa auditur, etsi instantia judicii finita fuerit. Ceterum Prætor in cit. edicto subjicit generalem clausulam: *Item siqua alia mihi justa causa esse videbitur, in integrum restituam, quod ejus per leges, plebiscita senatus consulta, edicta, decreta Principum licebit.* Hæc verba videntur referen-

da ad alias *absentiœ* causas justas ac probabiles, præter eas, quæ in edicto enumeratæ sunt. Atque ita explicat Ulpianus I. 26. §. 9. I. 28. pr. D. ibi. Sed causarum Patroni ex hac clausula restitutionem petunt quotiescunque æquitatis ratio eam mereri videtur (*c*).

(*b*) Bœhmer de action. Sect. II. c. 3. §. 23.

(*c*) Heineccius in Pand. tit. de in int. rest. in nota §. 462. dictam clausulam refert ad justum errorem; uti siquis cum pupillo, falso auctore tutore contraxit.

§. 508. V. Deciditur, Ecclesiam restitui etiam contra sententiam Papæ. c. 5. ibi: *Quia sententia Romanæ Sedis non negatur posse in melius commutari; cum, aut surreptum aliquid fuerit, aut Ipsa pro consideratione ætatum aut temporum, seu gravium necessitatum dispensative quidquam ordinare decrevit. Et secundum jura civilia Principes etiam contra res bis judicatas in auditorio suo examinari restitutionem in integrum permiserunt.* cit. c. 5.

§. 581. VI. De modo petendi et obtinendi restitutionem deciditur: *Primo* restitutio quoad judicialia peti debet partibus in judicio præsentibus per se vel idoneos procuratores c. 5. conf. §. 532. *Secundo* si contra sententiam petitur restitutio, suspenditur executio sententiæ, nisi contra petentem pugnet præsumtio malitiæ, quod causa differendæ executionis petat; quo casu fit executio præstita cautione de restituendo, si petens restitutionem, obtinebit in causa. c. 6. *Tertio* post terminum peremtorium Ecclesia de jure communi non auditur; sed auditur per beneficium restitutionis. c. 7. *Quarto* restitutio petenda est a judice

ordinario habente administrationem vel a delegatis ab eo: non autem a mero executore, judice pedaneo, qui tantum notionem habet, neque ab arbitrio; nisi coram eo talis quæstio mota fuerit *incidenter* c. 9. I. ult. C. Ubi et apud quem. Debet autem esse judex competens respectu illius, contra quem petitur, vel in loco domicilii, vel rei sitæ, vel ubi hæret causa principalis. *Quinto* si restitutio Ecclesiæ in judicio negata fuit, non potest iterum eam petere (nisi ex nova causa): at potest appellare ob negatam restitutionem; idque si omisit, restituitur ad appellandum. c. 10. Quævis enim pars, quæ ob negatam vel concessam restitutionem se gravatam sentit, appellare potest. *Sexto* restitutio ad retractandam sententiam vel contractum petenda est intra quadriennium: postea enim nec Ecclesia admittitur; *nisi prævaricationis vel fraudis manifeste probetur super hoc intervenisse commentum: aut alia rationabilis causa subsit, quæ Superiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum* c. 1. in 6. e. g. si Prælatus, qui male administravit, in vivis est; nec adducitur, ut proprium factum restractet; vel si a judice, qui sententiam tulit, propter metum non audeat Ecclesia restitutionem petere (*d*). *Septimo* restitutio contra lapsum temporis, in quo Ecclesia se læsam affirmat, datur ad illud tempus tantum, quanto se læsam fuisse probaverit. Clem, un. h. t.

(*d*) Minori hoc quadriennium currit ab anno 25. completo, vel ab impetrata et intimata venia ætatis: Majori, quando restitutio ei competit, a die factæ læsionis, vel remoti impedimenti, aut quo absentia cessat; etsi enim hoc quadriennium sit in decursu continuum, utile tamen est in suo initio. l. fin. C. de temp. in int. restit.

§. 582. Ad causas restitutionis in integrum pertinet *Alienatio judicii mutandi causa facta*;

quod contingit, siquis metu futuræ litis rem *dolo malo* alienat, hoc est, in *extraneam* personam, alteri subjectam judici, vel in alium sub eodem constitutum judice, sed *potentiorem* transfert, c. 1. de Alien. jud. mut. aut siquis actionem ab eo, cui competit, sibi cedi facit, ut alterius causa durior fiat. c. 2. eod. Hoc casu Prætor ei, qui per talem alienationem læsus est, dat actionem in factum contra alienantem ad id, quod interest, eum alium adversarium non habuisse; uti habetur in Dig. imo is, cujus interest, actione in rem contra possessorem experiri potest, si velit. l. un. C. h. t. *Exceptiones*, sive causæ, ob quas hoc beneficium Prætoris cessat, sunt; 1. si alienatio facta est non dolo malo, ut causa alterius durior fiat, sed ob valetudinem, necessarias occupationes. 2. Si respectu transferentis fuit res aliena. 3. Si alterius non intersit, nec ejus causa durior facta est. Speciale in Jure Canonico est hoc: Siquis ob timorem rescripti contra se impetrati, et judicii mutandi causa per fraudem rem alienat, hoc casu possessor fraudis conscius vigore ejusdem rescripti conveniri potest, licet alioquin rescriptum non extendatur ultra personam expressam. c. 40. de offic. et pot. jud. del.

TITULUS XLIII.

DE ARBITRIS.

ARGUMENTUM.

I. Arbitria varii generis in Jure. §. 583. II. Sunt arbitri, seu necessarii, sunt etiam voluntarii §. 584. III. Quis possit compromittere in arbitrum, in qua causa, in quem? §. 586. IV. Potestas arbitri compromissarii §. 589. V. Casus dissensionis plurium §. 590. VI. Vis pronuntiationis definitivæ, et extinctio compromissi §. 591.

§. 583. *Arbiter* jure Romano sæpe dicitur judex a Prætore datus, qui in negotiis *stricti juris*, in quibus certa formula, angustisque limitibus includebatur, *judicis* nomen retinuit: in negotiis *bonæ fidei* arbiter dictus est, et æquitatem sequi permittebatur. Hinc illæ clausulæ: *ex bona fide. Quantum æquius melius sit dari*, ceu cum agitur bonis dividundis, familiæ erciscundæ. Hoc loco arbiter opponitur judici, diciturque is, qui *ex dispositione juris*, vel *conventione partium* constituitur, ut super controversia earum judicium, sive animi sui sensum proferat, eamque dirimat. Est ergo arbiter vel *necessarius*, id est, ex dispositione juris necessario eligendus: est alius *voluntarius*, qui dicitur arbiter, *receptus*, sive approbatus a partibus, vel *compromissarius*, a compromisso, seu conventione earundem. Atque hic suscepto arbitrio procedit servato juris ordine, omnique eo, quod substantiale est in judiciis, intra fines tamen compromissi. Qui ex consensu partium absque forma judicii causam cognoscit, conventiones ad finem perducit, rerum pretia, mercedem operarum, lucrum et damnum arbi-

tratur, sive æstimat, suoque judicio et intellectu definit, *arbitrator* nuncupari solet. Tale arbitramentum habet speciem amicabilis compositionis.

§. 584. Arbitri necessarii, sive *arbitri juris* qui a lege, Principe, aut judice dantur, aut eligi jubentur, habent jurisdictionem quasi ordinariam, ita, ut appellari ab eorum sententia possit. Exempla sunt: I. Si judices super revocatione literarum Apostolicarum non consentiunt. c. 14. de rescript. c. 11. de offic. deleg. in 6. II. in causa suspicionis judici objectæ c. 39. de offic. deleg. c. 4. *et* 11. eod. in 6. III. Si Episcopus cum clerico sibi subjecto controversiam habeat. can. 46. XI. q. 1. IV. In Ecclesia Africana, si a sententia Synodi provincialis appellatio fieret, arbitri pro causa cognoscenda eligi debuerunt. can. 96. cod. Africani. V. Aliquando etiam testator pro casu litis inter heredes oriturae arbitros designat; quos heredes in controversiis suis tenentur assumere, atque hi arbitri proprie dicti potius, quam meri arbitratores censentur; litemque terminant observato ordine judiciali (*a*).

(*a*) Conf. Leys Vol. I. Specim. 65. §. VII.

§. 595. De arbitris voluntariis statuendum I. Arbitrium suscipere initio est voluntatis; at qui id suscipit, fidem suam pro cognoscenda et dirimenda causa videtur obligare; quam liberare necesse est, ut ad id a magistratu aut Superiore cogi possit. l. 3. §. 1. et l. 22. D. de recept. qui arbitr. (*b*). II. Exacte dein servanda est *formula compromissi*; quia arbitria stricti juris sunt: actus enim arbitri non a jurisdictione, quam partes dare non possunt, sed ex earum conventione procedunt; et quamvis sint judiciales, non tamen sunt jurisdictionales:

quidquid ergo contra formulam compromissi fit nulliter fit. III. Ex formula compromissi pendet vis arbitrii, sive sententiæ ab arbitro latæ, quæ *laudum* nuncupatur. (*c*). Si enim arbitri sententiæ stare se velle partes compromiserint, tenentur; sive convenerint pacto nudo, addito juramento (quod fieri potest per jus Canonicum. c. 2. de arbitr. non item civile. l. 4. §. 2. de receptis arbitris), sub pœna conventionali, aut quavis voluntatum declaratione. Si pœna adjicitur in eum, qui non paret arbitrio, soluta pœna recedi potest a laudo, nisi addita sit clausula: *rato manente compromisso*. Qui ergo in arbitrum compromittit, quodammodo transigit, ac de re arbitrio subjecta disponit in arbitrii nempe eventum.

(*b*) Possunt tamen justae arbitrium abjiciendi causae incidere, ceu adversa valetudo, iter necessarium, reip. munus, inimicitiae inter partes et arbitrum ortae: si ipsum infamaverint, si alium arbitrum adegerint, idest, adierint.

(*c*) Lapsa latinitate laudare sumebatur pro eo, quod est, judicare, ut feud. lib. 2. 20. hinc et laudum pro judicio aut sententia arbitri usurpatum est.

§. 586. Quia compromittere in arbitrum perinde est, ac transigere, ut dictum §. præc. intelligitur, quis in arbitros compromittere possit, quis non possit, aut in qua causa id fieri possit. I. Regulariter compromittere possunt omnes, qui liberam rerum habent administrationem, et alienandi facultatem; quia compromissum est via ad alienationem. II. Super causis, de quibus non potest transigi, regulariter etiam non potest compromitti.

§. 587. Hinc decisum I. in matrimoniali causa, liberali, vel criminali *cum majores judices pe-*

scant, arbiter nequi assumi. c. 9. de in int. rest. II. Discordia in causis electionis terminari potest per arbitrum quoad compromittentes, non quoad eum, qui jus habet cognoscendi de juribus electi, et causa electionis, eamque confirmandi. c. 10. h. t. III. In præjudicium exemtionis, atque ejus, cui Ecclesia exemta immediate subjacet; non potest ad arbitrum recurri. c. 5. IV. Uti procurator sine speciali mandato transigere non potest, ita nec compromittere in arbritrum. c. 9.

§. 588. In arbitros eligi possunt omnes, qui jure non prohibentur, unus vel plures. Valet etiam compromissum factum in unum, vel plures certos, ut ipsi per se causam definiant, vel per alios, quos ipsi elegerint. c. 13. Quando plures eliguntur, expedit, ut sint dispari numero, ut causa exitum certius habeat. c. 1. Femina potest esse arbitratrix in negotio extrajudiciali, non tamen suscipere arbitrium, nisi sit capax jurisdictionis. c. 4. In laicum super causis spiritualibus compromitti non potest c. 8. secus est, si habeat adjunctum arbitrum clericum, et accedat auctoritas judicis Ecclesiastici. c. 9. Compromitti etiam potest in proprium judicem; quo fit, ut is recusari nequeat, neque ab ejus sententia possit appellari. c. 7. et 10.

§. 589. De potestate arbitri, quæ ex formula compromissi pendet, deciditur I. coram arbitro non habet locum reconventio. c. 6. nisi per modum exceptionis, aut nisi id expresse contineatur in compromisso. II. Arbiter non potest vices suas alteri delegare, vel partes ad alium arbitrum ablegare. c. 13. et l. 32. §. 16. D. de recept. qui arbitr. III. Arbiter post rem judicatam super novis discordiis assumtus non potest immutare senten-

tiam priorem, et sopitas per eam querimonias suscitare; etsi is de conciliandis partibus mandatum acceperit a Papa. c. 11. IV. Si ex tribus arbitris unus legitime requisitus ad causam cum aliis examinandam et definiendam nolit interesse, cum legitime impeditus non sit; tum alii duo libere procedent, et negotium definient, *ut sic ipsius absentia præsentia repleta divina, eum reputari faciat pro præsenti*. c. 2. in 6. Aliter statuit jus civile in suo foro observandum. l. 17. §. Celsus 7. D. de recept. qui arb. In ipso Ecclesiastico foro, si plures sint dati *judices*, nec addita clausula, *si non omnes*, duo absente tertio præstare nil possunt. V. Arbiter citat partes etiam ex alieno territorio (quod judex ordinarius non potest); debet tamen observare ferias in honorem Dei institutas; nisi necessitas urgeat, aut pietas aliud suadeat, quia compromissum ad similitudinem judiciorum redactum est. l. 1. D. de recept. qui arbitr.

§. 590. In decidenda causa, si plures electi arbitri dissentiant, et pro tali casu nihil constitutum sit in compromisso, prævalet consensus majoris partis. c. 1. Si pari numero dissentiant, partes designabunt unum, quem Super-Arbitrum, vulgo *Obmann* vocant. Compromissum tamen de incerta persona in superarbitrum assumenda non tenet; quia duo de hac ipsa assumtione discordare possent. c. 12. et l. 17. §. 5. D. de recept. etc. Si ex pluribur arbitris omnes discordent, et pronuntiatum unius contineatur in pronuntiato alterius, tenet sententia, quæ continetur in alia. Unde *cum unus in XV. alius in X. tertius vero in V. pronuntiant, illius, qui dixit de summa minori, cum in illa omnes concordes existant, sententia efficax censeatur* c. 1. in 6. l. 27. §. 3. D. de recept. Multa hic subtiliter obmoveri possent. De duobus

judicibus diversas sententias proferentibus memorabilis extat decisio c. fin. de sent. et re jud. Si duo arbitri dissentiant, ex dictis videndum, an unius sententia non contineatur in altera, vel an causa non sit divisibilis.

§. 591. Sententia arbitri dicitur *homologata*, si intra decem dies a partibus expresse vel tacite sit approbata. De ea nota I. a sententia arbitri nunquam licet appellare: usu tamen passim receptum est, ut, qui causa cecidit, intra 10. dies petere possit, ut ea reducatur ad arbitrium boni viri, nempe ad ordinarium judicem. II. Sententia notorie injuste, legibus adversa, vel dolo edita vim non habet, etsi homologata sit, uti si arbiter simoniacum quidpiam definit, et partibus imponit. c. 2. si in detrimentum Ecclesiæ aliquid præscribit. e. g. si decimas in dotem dare jubeat. c. 3. si alterius juri præjudicet c. 5. et 10. III. Acta coram arbitro in eadem causa, et inter eosdem compromittentes in quolibet judicio vim probandi retinent. c. 50. de testibus.

§. 592. Exspirat arbitri potestas et compromissum. I. morte unius compromittentium. c. 10. et ult. nisi heredum facta sit mentio in compromisso. l. 32. §. 19. D. de recept. II. Morte arbitri unius ex pluribus c. 42. de offic. deleg. III. Mutuo consensu. IV. Lapsu temporis. V. Pronuntiatione definitiva; nam executio sententiæ judici ordinariæ relinquenda est. c. 4. de for comp.

O. A. M. D. Gl.

APPROBATIO

De mandato Rmi P. Magistri S. P. Ap. Institutiones Juris Ecclesiastici, maxime privati, ordine Decretalium, Auctore Jac. Ant. Zallinger ad Turrim S.Theologiæ, ac Juris utriusque Doctore, *attente perlegi, nihilque in iis reperi, quod Catholicæ Fidei, bonisque Moribus adversetur : imo veram Ecclesiæ doctrinam eadem mihi visæ sunt exhibere. Dignas igitur, quæ typis edantur, existime.*

Ex Monast.° S. Bernardi ad Thermas Dioclet.

Die 8. Januarii 1823.

D. Paulus Pancaldi Abbas Cistercensis.

REIMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Joseph della Porta Archiep.
Damascen. Vicesgerens.

REIMPRIMATUR.

Fr. Philippus Anfossi Sac. Palatii Apostolici Magister.